

# CHRONICON THEODORICI ENGELHUSII,

CONTINENS RES ECCLESIAE ET REIPUBLICAE AB ORBE CONDITO  
AD IPSIUS USQUE TEMPORA.

*Ex aliquot MSS. plurimum auctum emendatumque.*

## CATALOGVS SCRIPTORVM, QUORUM TESTIMONIIS IN HOC CHRONICO SUO USUS EST AUCTOR.

- |   |   |
|---|---|
| <b>A</b> mbrosius.  | Gualterus de Vita Alexandri.  |
| Aristoteles.  | Guido de Columnis, de bello Trojano.  |
| Augustinus de Civitate Dei.   | Citatur, ubi de Troja.  |
| Aureum speculum D. Alberti Engelschalci,<br>Theologi Parisiensis. De eo Auctor sub<br>Gregorio XII. | <i>Ejusdem</i> Chronica Britannorum. Cita-<br>tur in Praefat. Auctoris.                                       |
| Bedae gesta Anglorum.   | Hebraeorum Traditiones.   |
| S. Bernhardus.  | Helinandus.   |
| Boethius.   | Henricus Rosla Nienborgensis Poeta.   |
| Casarius (Heisterbacensis).   | Citatur in Praefatione Auctoris, alibi<br>passim.   |
| Caldrini Repertorium.   | Hieronimi Chronica.   |
| Chronica Martiniana.  | Hilarius.   |
| Chronica Trevirorum.  | Historia Scholastica Comestoris.  |
| Chronica Slavorum.  | Homerus.  |
| Chronicon Goslariense.  | Honorii Solitarii Historia solemn. Prae-<br>fat. Auctoris. Citari solet litera H.                             |
| Chronicon Caroli.   | <i>Ejusdem</i> gemma animae in Praefat.   |
| Chronicon S. Michaelis in Hildesheim.   | Hugo Floriacensis in Praefat.   |
| Chronicon Amelungsbornense, citatum<br>saepe litera A. solum.                                       | Hugo Bambergensis in Historia Poeta-<br>rum. Vide Auctorem sub Rodulpho<br>Habsburgensi.                      |
| Claudianus.   | Ioachimi Abbatis prophetia.   |
| Corpus Juris Canon.   | Iorad.  |
| Damasi Chronicon Romanorum Pontifi-<br>cum.   | Iordani, Magistri generalis ordinis Praedic.<br>Chronica de Germanis regibus. De<br>eo Auctor in Gregorio IX. |
| Egesippus.  | Iosephus.   |
| Epiphanius.   | Irenaeus.   |
| Epistolae variorum.   | Isidori libri Etymologiarum.  |
| Epitaphia varia.  | Iulius Celsus.  |
| Estadius. Citatur, ubi de Phaleg & Jano.  | Libellus Mosis contra Belial.   |
| Eusebii Historia Ecclesiastica.   | Liber Virorum illustrium ordinis Cister-<br>tensis.   |
| Extravagantes.  | Lucanus.  |
| Freculphi Chronica.   | Methodius.  |
| Gaufredi Chronica Britonum.   | Orosii Ecclesiastica Historia.  |
| Genadius.   | Ovidius.  |
| Glossa Juris Canon.   | Petrus Damianus.  |
| Gobolini Personae Cosmodromion. De<br>eo Auctor sub Innocentio VI.                                  | Philo.  |
| Gotfridus Viterbiensis.   | Plauti Comediae.  |
| Gregorii Dialogi.   |   |
| Gregorius Tronensis.  |   |

Hhhhhh

Poema



Poema Aurora Petri de Riga. De eo Au- tor sub Anaftasio IV.	Theodori Longi de Eimbeke Poëma. Trogius Pompejus.
Poetria nova Gaufredi sub Calixto II.	Turpini Remensis Chronica Francorum.
Prosperi Chronica.	M. Tydericus minor. Vide in Alexan- dro III. Videtur non esse alius a Theo- derico de Niem.
Ruffinus.	Versus Variorum.
Salustius.	Vincentii speculum historiale.
Seneca.	Virgilius.
Septuaginta interpp.	Vita S. Hermachoræ.
Solinus.	Wilhelmus Parisiensis.
Statuta Imperatorum.	
Theodolus.	
Theodoricus de Niem.	

INCIPIT

## NOVA CHRONICA

MAGISTRI

THEODORICI ENGELHUSEN.



Incentius in principio speculi historialis, de quo plurima sunt hic po-  
fita, dicit: *Quoniam multitudo librorum, & temporis brevitatis, memoria quoque  
labilitas, non patiuntur cuncta, quæ scripta sunt, pariter animo comprehendere;*  
mihi visum est quosdam flores ex omnibus, quos legere potui, si-  
ve Catholicorum, siue Philosophorum, siue Poëtarum & Histori-  
corum, in unum volumen summatim redigere: ex his præcipue, quæ pertinere  
videntur ad fidei nostræ astructionem, vel morum instructionem, seu caritatis ex-  
citandam devotionem, aut etiam divinarum scripturarum declarationem. Valet  
autem id opus, tam ad legendum, disputandum & solvendum, quam etiam ad  
prædicandum. Est enim scilicet novum & antiquum; breve quoque, sed & pro-  
lixum. Antiquum materia & auctoritate; novum vero compilatione. Breve  
quoque, propter multorum dictorum in brevi perstrictionem: longum vero,  
propter immensam materiæ multitudinem. Est ergo Doctorum, auctoritate: no-  
strum autem, sola partium ordinatione. De regnis etiam, bellis, & cæteris hic  
positis, satis utile videtur speculari. Nam & historiæ non solum gentilium, sed  
etiam Ecclesiasticæ, secundum Imperatorum & Regum tempora describuntur. Lu-  
cas nempe, cum incarnationis Dominicæ historiam texeret, in ipso Evangelii sui  
principio de *Herode Rege*, & post pauca, de *Augusto Cæsare* mentionem fecit, ut il-  
la, quæ minus nota erant hominibus, ab iis, quæ pene apud omnes fama celebri fere-  
bantur, confirmarentur & roborarentur. *Ille quippe res gesta, ut dicit Hugo Floriacen-  
sis, quæ nulla regum ac temporum certitudine commendantur, non pro historia recipiuntur, sed inter ani-  
les fabulas reputantur.* Valet ergo successionis temporum & annorum annotatio, quæ  
& *Chronica* dicitur, ut si quandoque de aliquo dubitetur, ex Katalogo regulari tem-  
porum, quando talis res gesta sit, reperiat. Ceterum ex bellis famosis per or-  
bem commissis lector advertere poterit, quanto fervore nobis pugnandum sit con-  
tra spirituales hostes, pro salute spirituali & æterna gloria, nobis promissa; cum  
illi quidem, utpote infideles, hujus salutis & gloriæ ignari, tam acriter dimicave-  
rint pro salute temporali, & gloria momentanea adipiscenda, vel tuenda. Ex cæ-  
de quoque hominum in eisdem præliis innumerabili perpetrata, licet advertere fe-  
veritatem Dei in reprobos, quos quasi pecora vilia reputans, peccatis eorum exi-  
gentibus, tot eorum millia interire, simulque in anima & corpore passim perire  
permisit: e contra vero bonitatem ejus & clementiam in electos. Et si hic forsitan  
sint, quæ non multum necessaria videantur, tamen hæc ipsa turpe est ignorare.  
Nec aliquis redarguendum putet, quod multa de gentilium libris ac apocryphis  
hic posuerim. Aliquando & Apostolos redarguere poterit, qui ex utroque genere  
nonnulla in Epistolis testimonia sibi usurparunt. Nam verbi gratia Paulus in Epi-  
stola



stola ad Corinthios Menandri Comici versum promit: *Corrumpunt bonos mores colloquia p̄vva.* Et ad Titum Epimenidis Poëtæ: *Cretenses semper mendaces, malabestia, ventres pigri.* Item Arati Poëtæ testimonio utitur de Deo, dicens: *Ipsius igitur genus sumus.* Hinc & B. Hieronymus Magno oratori Romano per Epistolam sic respondens: *Quæris, ait, cur in opusculis nostris secularium literarum interdum exempla ponamus, candoremque Ecclesiæ Ethnicorum sordibus polluamus.* Rursum breviter habeto, quia & in *Mose*, & in *Prophetarum libris*, & *Epistolis Pauli*, quadam de *libris gentilium assumta sunt.* Idem etiam potest dici de Apocryphis. De Magis enim Pharaonis Paulus ad Thimotheum scribit, dicens: *Quemadmodum Iampnes & Mambres resistunt Mose, ita & hi, scilicet hæretici, resistunt veritati.* Quæ utique Magorum nomina non invenit Apostolus in divinis libris, sed in Apocryphis, ut dicit ibi Glossa. Judas quoque in canonica sua dicit: *Prophetavit de iis septimus ab Adam Enoch.* Qui tamen *liber Enoch* inter Apocrypha computatur. Nec tamen aliter Apocrypha legenda sunt, quam servando quod dicit Apostolus: *Omnia probare, quod bonum est tenete.* Unde Hieronymus contra Vigilantium ita loquitur: *Operis, inquit, ac studii mei est multos legere, ut ex plurimis diversos carpam flores, non tam omnia probaturus, quam qua bona sunt electurus.*

Totum autem opus id summam continet historias temporum ab initio mundi per successiones regum & regnorum usque in tempus præsens, juxta multorum approbatorum Chronicas; præcipue *Eusebii*, *Hieronymi*, *Historia Scholastica*, *Ecclesiastica* &c. *Gosfridi Viterbiensis*, quæ hic *Pantheon* allegatur, *Honorii Solitarii*, qui scripsit *Chronicam solemnem & Gemmam animæ*, cum multis aliis; *Turpini Remensis Archiepiscopi*, qui & *Chronicam Francorum* fundavit, & magister fuit *Karoli Magni*, *Gwidonis de Columnis*, qui scripsit *Chronicam Britannorum* in XXXV. libris, *Martini*; quamvis & cæterorum, quos prædicti viderunt, quorum & multi nominantur in principio *Speculi prædicti*. Hæc enim collecta sunt ex diversis Chronicis, Romanorum videlicet, Francorum, Slavorum, Saxonum, Britannorum, & quorundam modernorum, ut *Magistri Theodorici de Niem*, magni *Curtisani*, & sacri *Pallatii auditoris*, & *Cosmodromii*, i. e. *Chronicæ Domini Gobellini Persona*, *Decani Bilveldensis*, *Padefontanæ diceceseos*, quam *Cosmodromion*, i. e. *cursum mundi*, nominavit, & eam (a) pertexit in annum MCCCCXVIII, & aliorum, hic (b) quoque allegatorum, (ac de *Chronicæ monachorum in Amelungsborne*, quæ hic solum per literam A. designatur.) Cum itaque secundum *Senecam* libro *Quæstionum Naturalium*, *acrior sit cupiditas ignota cognoscendi, quam nota repetendi*: naturale enim nobis est, magis nova quam magna mirari (jucundum quoque est redire in antiqua tempora, melioresque ad annos respicere, sicut idem *Seneca* dicit, in principio *Declamationum*), & tum secundum *Hieronymum* super *Danielem*: *Sæpe Deus malos Reges patitur suscitari, ut mali malos puniant*: necessarium est utique historias texere, quibus ærumnosas mortalium calamitates lector inveniat, quas, heu! modo magis corpore sentimus, quam in codicibus legimus. Modo quidem dico, i. e. anno præfenti (c) MCCCCXXVI.

**A**DAM & EVA, sicut creditur, die suæ creationis, scilicet sexta die mundi, circa meridiem prævaricati, paulo post circa horam nonam ejecti sunt, & exilium projecti. In quadam tamen antiqua *Chronica Treverorum*, quæ & hodie jacet in Ecclesia S. *Matthiæ* ibidem, legitur, septies quaternis temporum annis in paradyso fuisse, & post hæc expulsos. Virgines autem de paradyso egressi sunt. Anno itaque Adam XV. natus est ei *Cayn* & soror ejus *Calmana*, quam *Cayn* duxit uxorem. Post alios XV. annos natus est ei *Abel* & soror ejus *Delbora*. Creditur autem Adam in spiritu doctus, docuisse filios decimas ac primitias offerre Deo. *Cayn* itaque agricola spicas Deo obtulit, & meliora sibi retinuit; *Abel* vero simplex & innocens de pinguioribus gregibus obtulit. Et quoniam ejus vita Deo placuit, ipsius etiam oblatio grata fuit, quod Deus per inflammationem sacrificii ejus ostendit. *Cayn* igitur invidens, fratrem occidit, cum esset XXX. annorum, in agro *Damasceno*, ubi & Adam factus est; in generatione sua septima à *Lamech* occisus; cujus etiam *Cayn* tota generatio periit in diluvio. Genuit enim *Enoch*, ex cujus nomine civitatem nominavit, qui ulterius genuit *Inud*, & iste *Maviaël*, qui *Mathusaël* & iste *Lamech*, primum  
Hhhhhh 2 biga

(a) protulit. MSC. conringianum & Gerhardinum. (b) quandoque G. (c) in C. est MCCCCXXIX. alia manu, quæ & ibi addita sequentia: Nota: hic etiam textentur (taxantur) infra in multis locis dicta *Marci de Venetiis*, item *T. Canonici Eyabecensis*, & *Henrici Roske Nyenborghensis*; item ex *Chronicæ Honorii*, qui fuit *Sanctus Eremita*.



bigamum : qui de *Ada* uxore sua genuit *Label*, qui reperit tentoria pecorum & pastorum, segregans greges ab invicem juxta species suas : *Tubal* primum musicum. De *Sella* vero genuit *Tubalcayn* primum fabrum in cuncta opera metallorum, cum filia *Noëma*, quæ reperit opera mulierum cum fuso, filo & acu. Iste *Lamech* primus venator, cum præsenio caligaret oculis, ductus à puero, feram credens, *Cayn* telo occidit & puerum. Unde dixit uxori- bus : *De Cayn ultio septuplum dabitur, de Lamech vero septuagies septies*, i. e. CCCCXC. vicibus : vel quia ab Adam ad Christum sunt LXXVII. generationes. Adam in valle, quæ ex hoc dicta est *Vallis lacrymarum*, plorans Abel, centum annis, vovit amplius non generare. Sed Angelus Dei jusfit votum immutare, unde *Pantbeon*, i. e. Chronica Gotfridi Viterbiensis :

*Tristis Adam deservit Abel, plenusque dolore  
Vovis ab uxore non amplius edere prolem ;  
Angelus adveniens frangere vota monet.  
Dicit ei, te patre mei nascentur Hebræi,  
Dextra Dei donabit eis regnum Cananæi,  
Filius ipsè Dei post orietur eis, &c.*

Isti autem centum anni luctus dicuntur non esse scripti à Moysè, eo quod tunc steriles & quasi inutiles mundo parentes primi viderentur. Cum autem Adam, secundum Hebræos, esset annorum CXXX, secundum Josephum autem, Methodium & Scholasticam Historiam CCXXX. esset annorum, genuit secundum patrem omnium hominum, scilicet *Seth*, & secundum dictos (d), idem Adam de Eva genuit & alios XXX. filios, & totidem filias.

SETH cum esset annorum CV, genuit filium *Enos*, anno mundi CCXXXV, obiit autem anno ætatis suæ CMXII. (Philo super Genesim dicit : Seth genuit post Enos tres filios & duas filias. Ibidem dicit, Cain ædificavit civitates VII, & vixit annos 730. C.) *Enos cepit invocare nomen Domini & genuit Caynan* anno ætatis suæ XC, & obiit DCCCCV. *Caynan* genuit *Malalehel* anno ætatis suæ LXX, & obiit DCCCCX. *Malalehel* genuit *Jared* anno suo LXV, & obiit DCCCXCV. *Jared* genuit *Enoch* anno suo CLXII, & obiit DCCCCLXII. *Enoch* genuit *Mathusalem* anno ætatis suæ LXV, & cum esset *Enoch* CCCLXV. annorum, translatus est in paradysum, ut in fine temporum veniens cum *Helia*, corda patrum convertat (e) ad filios. Hic autem septimus in generatione piorum fuit optimus, sicut *Lamech* in generatione impiorum pessimus. Multa scripsit, cujus meminit *Judas* in canonica sua. Nota tamen *Isidorus V. Ethic.* secundum LXX. interpretes, frequenter addit C. annos, ultra numerum cujuslibet supra scriptorum : quia dicit : *Adam anno CCXXX. genuit Seth. Seth genuit Enos anno CCV. &c.* & ideo prima ætas est multo major apud illos, quam hic, ut patet infra in Noë. Tempore *Caynan* dicuntur imagines inventæ. *Mathusalem* anno ætatis suæ CLXXXVII. genuit *Lamech*, obiit anno DCCCCLXIX. Gigantes tunc erant in terra. Adam obiit anno Mundi DCCCCXXX. & Eva secum. Homines autem audientes mundum diluvio periturum, studia sua duabus columnis, latere scilicet marmoreque factis, conscribentes, posteris reliquerunt, quarum marmorea dicitur adhuc in *Siria* permanere, ut dicit *Josephus* libro *Antiqq.* *Lamech* anno ætatis suæ CLXXXII. genuit Noë, & obiit anno suo DCCLXXVII, mundi vero MLVI. Nota secundum *Pantbeon*, ab Adam usque ad Noë nec pluit nec hyems fuit, sed omni tempore temperies, & omnis rerum abundantia, quæ omnia per diluvium consumta sunt. (Nota. Hujusmodi præscripti Patres adhuc multos habuerunt filios & filias, quam hic ponuntur. Sed solum hic ordo textitur & initiatur à principio generationis ea de causa, ut eo citius veniatur ab Iesu lineam, & eo celerius memoriâ conferretur.)

NOE, tertius pater omnium hominum, anno ætatis suæ D. cepit generare, genuitque successive *Sem*, *Cham* & *Japhet*. Tunc inundante malitia hominum, præcepit ei Dominus fabricare arcam, quam C. annis complevit, qui dati sunt hominibus ad poenitendum, fuitque Noë in arca per annum & X. dies. In hoc terminatur prima ætas mundi, scilicet anno Noë DC ; ab initio vero mundi secundum Hebraicam veritatem MDCLVI. Sed secundum *Orosium* & *Methodium* prima ætas habuit duas chiliades i. e. duo millia annorum. Unde Poëma (f) *Aurora* :

*Incipiens ab Adam fuit ad Noë labilis ætas  
Prima, per annorum millia pene duo.*

Et idem Poëma : de diluvio.

*Tempus ad hoc ab Adam, Iosepho restante, fuerunt  
Anni sexcenti millia pene duo.*

Juxta

(d) auctores scil. Josephum &c. (e) Al. cum filiis. (f) in MSC. est Pe. id est Petri.



Juxta septuaginta interpretes, Hieronymum & Scholasticam Historiam hæc prima ætas fuit 2242. annorum, in quo tempore penitus nulla historia Græca vel gentilis invenitur: Eusebius. Post diluvium vixit Noë CCCL. annos, videns filios & nepotes, viros (g) 24100. præter mulieres & parvulos, ut scribunt *Iorad & Philo*, de uxore sua nomine Puerphara. Remansit autem archa in *Armtb* monte Armeniæ. Quo vero venerit Noë, vide infra in *Falech*. A tribus filiis Noë prædictis texuntur LXXII. generationes, quia de *Iaphet* XV. qui obtinuit Europam; de *Cham* XXX, qui Africam; de *Sem* vero XXVII. qui obtinuit Asiam, Unde *Pantheon*:

*Traditione patrum sic divido germina fratrum:  
Sem tenet archatus Asia, Cham continet Affros,  
Iaphet in Europa fit pater ille patrum.*

### INCIPIIT SECUNDA ÆTAS.

1661. SEM qui & Melchisedech, cum esset C. annorum, biennio post diluvium genuit *Arfaxat*, cum aliis successive, quos hic prætermittimus, solam Christi generationem investigantes. Ab illo *Arfaxat* venerunt *Caldei*. Hoc tempore contigit ebrietas Noë, quem filius ejus *Cham* derisit, cujus hæc fuit progenies. *Pantheon*:

*Cham genuit Chanaan, de quo veniunt Chanani  
Atque Gomorrei, Jebuzei, sunt & Ewei.  
Sive Pherezei sorte ferente Dei.  
Has gentes populus partim delevit Hebraus.  
Sanctus ab Egypto cum duceret hunc Moiseus  
Cui datur è cælis manna pluisse Deus.*

De isto Cham vide plura in *Thare*. ARFAXAT anno vitæ suæ xxxv. genuit *Caynan*, quem S. Lucas interferit genealogiæ Christi, quem etiam S. Augustinus & *Jordanus* Episcopus hic ponunt: solus S. Jeronymus prætermisit. CAYNAN anno vitæ suæ XLII. genuit *Sale*, & obiit anno suo CCCCXXX. SALE vero, à quo *Indi*, adificat urbem *Salem*, quæ postea dicta est *Iberusalem*; genuit *Heber* cum esset XXX. annorum, & obiit anno suo CCCCXXXIII. HEBER autem, à quo nomen & genus ceperunt *Hebræi*, quia in ejus domo remansit lingua *Hebræa*, divisione facta linguarum, genuit anno vitæ suæ XXXIII. *Phalech*, & obiit anno suo CCCCLXIV. *Phalech* nomen habuit ab eventu tali. *Phalech* enim est divisio, quia in diebus ejus terra divisa fuit in LXXII. linguas, cum turrim *Babyloniæ* cœpissent ædificare, diluvium redire timentes, *Nembroth* filio *Chus*, filii *Cham*, Noë nepote inchoante, anno mundi MDCCC. Turris illius altitudo dicitur habuisse M. M. M. M. M. CCCLXXXIII. passuum. (A confusione linguarum usque ad nativitatem *Abrahæ* sunt anni CXCI. secundum *Hebræos*.) De partibus autem orbis, provinciis & regionibus, vide alibi in *Isidoro* de proprietatibus rerum &c.

PHALECH cum esset annorum XXX. genuit *Reu*, vel *Ragau*, obiit CCXXXIX. Hoc tempore Noë, cum filii contra Dei & suam voluntatem turrim construere cœpissent, ipse cum filio suo *Ionico* ratem ascendens, pervenit ad locum *Europæ* ubi nunc est *Roma*, & ibi constructo palatio, juxta *Albulam* refedit, ubi nunc est *Ecclesia S. Johannis*, ad *Janiculum* à nomine filii sui *Jano*; non longe tandem ab urbe sepultus, ut ait *Estadius*, anno vitæ suæ DCCCCL. Iste *Ionicus* dicitur fuisse pater *Nembroth* venatoris, diciturque raptus in paradysum, unde tulerit ramum, quem plantavit, de quo facta est crux *Dominici*, ut dicit *Pantheon & Scholastica historia*.

REU cum esset annorum XXXII, genuit *Saruch*, obiitque anno suo CCXL. Sub hoc regnum *Scytharum* i. e. *Gothorum* seu *Tartarorum*, secundum aliquos, ortum est; & licet id sit antiquissimum, tamen non computatur inter principalia regna, sicut nec multarum nationum regna, quæ non toti mundo nitebantur dominari, limitibus suis contenti. Ortum est etiam tunc *Egyptiorum* regnum, quod duravit usque ad *Octavianum Augustum*, licet non continue, sed factis quibusdam interruptionibus, ut patet in *Cambyse*.

1740. SARUCH cum esset annorum XXX, genuit *Nachor*, & obiit anno suo CCXXX. Hhhhhh 3 Regna

(g) MSC. G. ita: viros XXIIIC, præter filios & parvulos, ut scribunt *Iorad & Philo* de uxore sua puerpera, MSC. autem C. hunc in modum: viros incredibiliter multos. Unde *Philo* super *Genesin* scribit: factus est numerus filiorum *Iaphet*, qui omnes virtutificati, & in præcinctu armorum positi in conspectu ductorum suorum CXLCCXII præter mulieres & pueros. In pleno autem numero fuerunt simul CXLXII. *Nembroth* filius *Cam* secundum septuaginta, ducationum suarum habuit numero XXIII IL XXX. Universi vero filii *Cam* præter mulieres & pueros CCXLIII. Numerus filiorum *Sem* CCC XLVII DC. Numerus igitur filiorum Noë in unum DCCCXIII C. Hi omnes considerati sunt adhuc vivente Noë, ut scribunt *Iorad & Philo* de uxore sua Puerpera.



Regna iterum duo magna sunt exorta, scilicet *Affyriorum* five *Babyloniorum* & *Sicyoniorum* five *Græcorum*. Apud *Affyrios* primus regnavit *Belus*, quem multi scribunt *Saturnum*, de quo orta est *Idololatria*, ut scribunt *Comestor* & *Helinandus*. Mortuo enim *Belo*, *Ninus* filius ejus in solatium doloris fecit fieri patris imaginem, cui tantam exhibuit reverentiam, ut etiam reis & malefactoribus eam venerantibus parceret, unde homines cœperunt imagini divinos honores impendere, & exemplo illius etiam alii imagines fecerunt, quas juxta idiomata sua vocaverunt, alii *Bel*, alii *Baal*, *Baalim*, *Beelſegor*, &c. Unde *Isidorus* VII. *Ethicorum*: Quos populi Deos asserunt, homines olim fuisse produunt historiae, qui pro suis meritis apud suos coli cœperunt, ut apud *Aegyptum* *Isis*, apud *Cretam* *Iovis*, apud *Latinos* *Faunus*, apud *Athenas* *Minerva*, apud *Samum* *Iuno*, apud *Paphos* *Venus*, apud *Lemnos* *Vulcanus*, apud *Delos* *Apollo*, &c. Ad idololatriam vero tria provocaverunt, scilicet affectio erga mortuos, ut jam dictum est, & adulatio erga Reges & potentes, & diligentia artificum in sculpendo & pingendo, ut patet in libro *sapientiae*, cap. IX.

1880. NACHOR cum esset annorum XXIX. genuit Thare vel Tharam, & obiit CL. Sub hoc *Ninus* cœpit condere *Niniven* civitatem in regione *Affyriorum*, quam etiam pater suus *Belus* ex progenie *Nembroth*, prius inceperat, sed *Ninus* ampliavit, universam *Asiam* præter *Indos* dominatus. Iste *Ninus* vicit *Zoroastrem*, qui regnavit in *Bactria*; & secundum Doctores fuit *Cham* adhuc vivens, qui dictus est *Zoroastres à Zoë*, i. e. vita, quasi vivens in astris, quia fuit astrologus. Et secundum *Augustinum* XXI. libro de Civ. Dei, fuit inventor magicæ artis; qui & septem artes liberales invenit, & scripsit in XIII. columnis, VII. æneis & VII. latericiis, contra utrumque scilicet ignis & aquæ diluvium. De hoc dicit *Solinus*, quod mox natus risit. Cujus libros *Ninus* combussit: *Aristoteles* tamen scribit, se vigesies centum versus ab eo factos reperisse, ut ait *Helinandus*.

1958. THARE (anno *Nini* regis *Affyriorum* XLIII, qui est annus circiter MCCXXXVIII ante conditam *Romam*, velut alteram in occidente *Babyloniam*. Idem ab eodem XLIII. anno *Nini*, usque ad *Trojæ* captivitatem, sunt anni DCCCXXXIII; & idem numerus est à XXII. anno *Europis* Regis *Sicyoniorum*, usque ad *Trojæ* captivitatem, & similiter idem numerus à nativitate *Abrahæ*, usque ad tertium annum (h) *Labdon*, judicis *Israël*. Ideo simul fuerunt *Ninus* vel *Semiramis* apud *Affyrios*, *Europis* apud *Sicyonios*, *Thebei* apud *Aegyptios*, *Abraham* apud *Hebræos*. A.) Nota; (tertio anno *Abrahæ* fuit quadragesimus *Jubilæus*, *Euseb.* Ante urbem conditam MCCC. annis *Ninus* regnavit annis 50. *Orosius*, Ante urbem conditam MCLX. annis *Pentapolis* arsit.) Idem *Thare* cum esset LXX. annorum, genuit *Abraham*, *Nachor* & *Aram*, & obiit anno CCV. *Aram* genuit *Loth*, & duas filias, *Melcham* quam duxit *Nachor*, & genuit de ea tres filios, scilicet *Hus*, de quo venit *Job*, *Bus* de quo venit *Balaam*, dictus *Helii* *Busites*, & *Batuel*, de quo *Laban* & *Rebecca*, de quibus in *Genesi* & in *Job*. Sub hoc *Thare* in nativitate *Abrahæ* terminatur secunda ætas mundi, quæ habuit secundum *Hebræos* CCXCII. annos; sed secundum LXX. Interpretes & *Eusebium* habet DCCCXLII. annos. Sicque ab initio mundi fluxerunt secundum *Hebræos* anni MDCCCXLVIII. sed secundum *Orosium* & LXX. Interp. sunt M.M.M. CLXXXIII. Nota; Numerus iste major excedit numerum minorem in MCCXXXIII.

### TERTIA ÆTAS INCIPIT.

ABRAM, vel *Abraham* natus post diluvium annis DCCCXLII. inde ab *Abraham* usque ad *Christum* M.M. XV. anni. Anno *Nini* Regis *Affyriorum* XLII, & *Europis* Regis *Sicyoniorum* anno XXII. cum esset annorum LXXV. cœpit peregrinari ad mandatum *Domini*: cui tunc *Deus* promisit semen de *Zara*, & iste erat primus annus repromissionis *Abrahæ*. (Ab illo anno *Abrahæ* usque ad egressum *Israelis* de *Aegypto* sunt anni 430. quorum meminit *Paulus* in *Actis*.) Anno *Abrahæ* VIII. *Trebeta* frater *Nini*, filius *Beli* ex quadam *Regina* *Chaldæorum*, cœpit ædificare civitatem in *Europa* *Treverim*. *Semiramis* enim noverca sua, uxor *Beli*, ut sola regnaret, filium suum *Ninum* interfecit, & fratrem fugavit, qui profugus venit in *Europam* ad fluvium *Mosellam*. Unde *Pansbeon*:

*Femina terribilis prælia mira gerit.*  
*Filius est Trebeta de Nini semine Regis,*  
*Cedere quem regno regina noverca cœgit.*  
*Pulsus ab hinc Trebeta subiit Germanica regna:*  
*Fundat ibi Treberim fluvio præsentem Mosella.*  
*Insignem profugus Treverim sic condit urbem.*  
*Post eadem Treveris bellica Roma fuit*  
*Ante Romam Treveris juv: annis mille trecentis.*

Alii

(h) *Lapdon*, G.



Alii scribunt MCCL, anno Abrahæ octavo, Trebetæ successit in regno Treberorum, Hero filius ejus.

Eadem Semiramis libidinosa, cum filii sui concubitum petisset, ab eodem interfecta est. Hæc etiam Æthiopiæ regno suo adjecit, Babylonem ampliavit. Indis quoque bellum intulit, quos post illam & Alexandrum Magnum nullus accessit. Hæc regina usum bracarum invenit, & regnavit annis XLII.

Abraham in bello quatuor regum contra quinque, cum CCCXVIII. vernaculis iruens super eos, Loth populumque cum præda reduxit, & quia tunc Loth erat L. annorum ideo Hebræi dicunt, tunc Abraham instituisse annum Jubilæum sive quinquagesimum. Et quia peritus erat in astris, vidit post L. annos motum planetarum magis immutari. Cui tunc *Melchisedech* sacerdos Dei occurrens, panem & vinum obtulit, in (i) mysterio Abrahæ benedicens; & decimas obtulit. Et hic primo decimæ leguntur oblatæ. Hunc ajunt Hebræi esse *Sem* primogenitum Noë, & omnes inde primogenitos usque ad Aaron sacerdotes extitisse, de quo VII. Quæst. 1. *Quam periculosum.* Vixit autem iste Sem post mortem Abrahæ XXXV. annis. Obiit enim anno suo DC. *Pentapolis seu Zodoma* cum aliis civitatibus exusta est, & factum est *mare mortuum.* *Ismael* natus est Abrahæ de Agar, de quo *Ismaelita* seu *Aggareni*, qui se nominarunt *Sarracenos* à Sara. De hoc *Ismahele* prodierunt XII. Duces, vixitque CXXXVII. annis, Gen. XXV. Circumcisio datur Abrahæ & semini ejus, Gen. XVII. Cum igitur esset C. annorum, & Sara uxor ejus XC. juxta repositionem natus est ei *Isaac*; & tunc erat XV. Dynastia apud *Ægyptios*, & incepit XVI. quæ duravit annis CXC, & regnabant Thebæi. Sara, cum esset CXXVII. annorum, obiit. Versus:

*Annis centenis visis & bis duodenis,  
Atque tribus plenis Sara lux ultima venit.*

(Nota, eo tempore, quo Argus vixit, in terra Achajæ fuit magnum diluvium, & fuit ibi tunc Rex *Deucalion*. Idem venit in montem excelsum valde, qui *Parnassus* dictus, cum uxore sua *Pyrrha*, & ibidem salvat se cum multis. Eo tempore viguit magnus iste *Atlas*, de quo dicebatur, quod ipse cælum tenuit ea de causa, quod cæli cursum magistraliter scivit: qui habuit Fratrem *Prometheum*, de quo scribitur, quod ipse de lapidibus fecit homines, seu de rusticis sapientes.)

ISAAC cum esset XL. annorum, duxit *Rebeccam* filiam *Batuel*, filii *Nachor*, fratris Abrahæ, puellam XI. annorum, cum qua XX. annis in conjugio fuit sterilis. Oravit pro ea, & concepit geminos *Jacob* & *Esau*. Tunc cœpit regnum *Argivorum*, sub *Inacho* primo Rege, & duravit per XIII. Reges, usque ad XII. annum *Debboræ*. *Esau* vendidit jus primogenituræ edulio lentis quod in sex consistebat: In auctoritate sacerdotali; in veste clericali, in sacrificiis offerendis; in finali benedictione patris suscipienda; in benedictione, quando benedicebat in solemnitatibus & conviviis; in duplæ portionis susceptione; & regali honore. Abraham obiit anno vitæ suæ CLXXV.

*Centenos sexagenos pariterque decenos,  
Insuper & quinos Abraham dum perficit annos,  
Claudit eum tumulis hospita terra suis.*

Fames secunda facta est, & erat *Jacob* XIII. annorum. *Jacob* peregrinatur, cum esset XL. annorum, ferviens apud *Laban* pro uxoribus & mercede XX. annis. Hoc tempore *Foroneus II.* Rex *Archivorum*, regnavit annis XL. filius *Inachi* & *Niobæ*. Dedit *Archivis*, i. e. *Græcis*, leges & judicia, à quo locus judicii dicitur *Forus*. Illius filius dictus est *Apis*, & post mortem *Serapis*, Deus *Ægyptiorum*, cujus filius *Argus* dictus est Pastor centum oculorum, quia valde fuit circumspectus, à quo dicti sunt *Argivi*, & regnum *Argivorum*. Filia autem *Inachi*, dicta *Isis*, vel *Io*, vocata est *Ceres* Dea frugum, quia agriculturam docuit, de qua *Augustinus VIII.* de Civitate. Hæc dicitur mutata in vaccam, & nominata *Bosforus*, quia meretrix vaga facta est: de qua *Jupiter* dicitur *Herculem* genuisse, cujus fabulam tangit *Theodolus*. Illum vide, si placet.

JACOB genuit primogenitum *Ruben*, de quo venerunt cum aliis filiis *Datan* & *Abiron* primi schismatici. Item anno vitæ suæ LXXXVIII. genuit *Levi*, qui anno suo XLV. genuit *Caad*, *Gerson* & *Merari*. De *Caad* venit *Amram*, qui tandem genuit *Moysem*, *Aaron* & *Mariam*. Generationes *Levi* vide primo *Paral. VI.* & primo *Esdræ VII.* *Levi* vixit annis CXXXVII. *Exodi VI.* Ibidem de fratribus ejus. *Apis*, cujus idolum *Serapis*, regnavit in *Ægypto* annis XXX. *Memphis* civitas *Ægypti* conditur ab eodem. (Nota, quatuor *Jacob* uxores dicuntur fuisse, filia *Laban* ex parte patris.)

2216.

(i) in mysterio novi Sacramenti: cui & Abraham decimas obrulit C. G.



2216. JOSEPH natus anno patris sui XC. venditur à fratribus suis in Ægyptum XXX. aureis, cum esset annorum XVI, ante mortem Isaac anno XII. vivente adhuc matre Rachel. Et anno Joseph IX. factum est diluvium Achajæ, quod dicitur *Diluvium Ogygis*, ante urbem conditam annis MXL. Joseph cum esset XXX. annorum, somnio Pharaonis exposito, Dux Ægypti constitutus regnavit annos LXXXIII. cui tunc Pharao dedit uxorem *Asseneth*, pulcherrimam filiam Putifar. Erat autem Asseneth neptis *Dina*, fororis Joseph, quam *Job* duxit uxorem post flagella. De ista Asseneth nati sunt *Manasses* & *Effraym*; de qua mira narrantur in *speculo Historiali*, quod cum præter patrem nullum virum vidisset, & Joseph in curru aureo de fenestra vidisset, dixit: Ecce sol venit de cælo: dicens, Joseph esse filium Dei, propter maximam ejus pulchritudinem; sicque relictis Idolis copulata est Joseph. Fames tertia post septem annos fertilitatis in Ægypto, ante urbem annis MVIII. Jacob descendit in Ægyptum in animabus LXX. anno vitæ suæ CXXX. ut patet Genes. XLVII. & ab hoc usque ad egressum filiorum Israël ex Ægypto computantur anni CCXV. Isaac obiit anno vitæ suæ CLXXX. Versus:

*Centenis sexagenis jam bis quoque denis.  
Annis præteritis Isaac lux ultima venit  
Cui Jacob & Esau digna sepulchra dedit.*

(Nota, ante dynastiam vigesimam fuit Rex Ægypti 19nus, nomine *Ramestes* annis 66. Inde *Meneses*. Hic & *Vesotes* XL. Inde *Agamenes* 26. circiter. *Thenas* autem in Dynastia 20.) Jacob obiit anno CXLVII. Versus:

*Centenis quadragenis bis quatuor annis  
Israel in terris vixit digne memorandus  
Vixit in Ægypto quinquæ decemque duos.*

(Post obitum Joseph incepit Judæorum servitus, afflictio & dolor in Ægypto; & tunc in Græciam primo portata fuit siligo.) *Sparta* condita est à filio Foronei, anno tertiæ ætatis CCCXIII. *Joseph* fuit princeps Ægypti sub quinque Regibus, ut dicit *Comestor*. Primus fuit *Nefren*, secundus fuit *Amosis*, cujus anno XIII. obiit Jacob. Tertius *Chebron*, quartus *Amenophis*, & quintus *Mephres*. Omnes isti nominati sunt *Pharaones*, pastores. Et erat tunc XVII. (k) Dynastia Ægyptiorum. Joseph autem obiit, anno IX. Regis *Mephres*, anno vitæ suæ CX. & ætatis tertiæ CCCLX. Versus:

*Centenis annis plenis simul & duodenis  
Principis Ægypti Joseph lux ultima venit.*

(Post mortem Joseph regnavit in Ægypto *Mispharmutes* annis 26. *Theomessus* 9. *Ammenopes* 31. *Orus* 38. *Acenteses* 12. *Achoris* 7. *Cencres* 18. *Acherres* 8. *Cherres* 15. *Armagus*, qui & *Danaus*, & frater *Remesis*, qui & Ægyptus 68. *Menopes* 40. *Setus* 55. Dynastia 20. mox post excidium Trojæ duravit annis CLXXVII. In Dynastia 21. post regnavit *Pfonfennos* annis 41. *Itifertes* 4. *Amynerops* 8. *Osochat* 6. *Opmateus* 9. *Pufenes* 32. *Sisterus* 21. *Afareon* 15. *Teldegates* annis 13. *Ponbastes* 25. *Oforton*, quem Ægyptii *Herculem* cognominant, annis 9. *Spamus* 10. *Bocchorus* 46. Sub hoc agnus locutus est. Inde venit Rex *Tracus* annis 20. *Æthiops*, qui & *Mernies* 12. *Stephmatus* 7. *Nesepes* 6. *Nechao* 8. *Seammencius* 44. *Nechao* 29. qui & *Necepsus* 6. *Pfammeticus* 12. annis. A.) *Servitus Hebræorum* cæpit & duravit CXLIII. annis. Versus:

*Ferus Amenofus populum jubet angariari  
Hebraicos jubet infantes omnino necari  
Femineum sexum servat, & optat ali.  
Odit eos gratia metuens sic multiplicari.*

*Gracia* cæpit habere segetes, delatis aliunde feminibus. Ipsa enim præcellens sapientia, segetes habuit aliunde, sed in se & à se leges; prius informata legibus, quam reduntaret panibus. Bellum fuit immane inter *Thessalonicenses* & *Laphitas*. Tunc *Lafita* primo videntes equites, putabant homines mixtos equis fore monstra, quos vocabant *Centaurus*. Inde vetus fabula de *Centauris*. Bellum tunc etiam erat inter *Cretenses* & *Athenienses*. (Cres enim quidam regnavit in ea insula, quam ex se nominavit *Cretam*. Intè *Cretenses*. Regnum autem *Atheniensium* cæpit anno *Moyisy* XXXV. ante egressum filiorum Israël anno 45. duravitque in annum 29. *Manassis*.)

AMRAM Levita duxit uxorem contribulem nomine *Israhel*, de qua genuit *Mariam* &

(k) in G. pro XVII. est XVI.



& Aaron, & post hæc volens amplius abstinere, malens carere liberis, quam in necem procreare, propter edictum Pharaonis; audivit in somno Dominum sibi dicentem: *Ne time, quia puer, quem timent Ægyptii tibi nascetur.* Sicque natus est *Moyſes*, regnante tunc VIII. Rege ab illo, qui Joseph sublimavit, anno tertiæ ætatis CCCCXXV. Versus:

*Natus Amram crevit, genitus de semine Levi,  
Qui genuit Moyſen sub Regis tempore savi.*

(Puer iste projectus à parentibus in aquam, inventus à *Theremuth*, filia Pharaonis, vocatus est *Moyſes*, & commissus propriæ matri, putatus est filius filia Pharaonis. Hic puer coronam Regis, in qua erat imago Ammonis Idoli, suo capiti impositam, projecit in lutum. Dumque sacerdotes Ægypti dicerent: Hic puer destructurus est Ægyptum; & propter hoc niterentur eum occidere, salvatus est, dum prunis ardentibus cum auro coram se positis, prunas elegit, & quasi puer, projecit in os, linguam comburendo; (de quo dicit Eusebius, *Moyſen* gentis Hebraicæ ductorem, qui primus omnium Prophetarum divinas leges sacris literis explicavit, Inachi fuisse temporibus; ut & eruditissimi viri tradiderunt, ex nostris Clemens & Africanus; ex Judæis Josephus & Justus. Porro Inachus L. annis Trojanum bellum antecessit.)

MOYSES factus adultus, postquam Æthiopes Ægyptum vastantes (l) debellavit, & Tarbis reginam Æthiopiæ ibi duxit uxorem; cum nollet secum manere filiam Regis, peritus astrorum duas similes gemmas sculpsit hujus efficaciam, ut altera memoriam, altera conferret oblivionem: annulum oblivionis præbens uxori, cujus virtute regina oblita promissi, permisit Moyſen redire in Ægyptum. Verum post occisionem Ægyptii, quem abscondit fabulo, fugit in Madyan, anno ejus XL; ubi pascens oves *Ietro*, qui dictus est *Raguel* & *Cineus*, duxit filiam ejus, nomine *Zefforam*, uxorem, de qua genuit *Gerson* & *Heliesar*; & videns rubum ardentem, missus est à Domino ad educendum filios Israël ex Ægypto. Tunc cæpit regnum Atheniense, ubi primo regnat *Cecrops* annis L. qui propter plagas Ægypti fugit in Græciam, & condidit ibi civitatem, quam nomine suo *Cecropiam* nominavit, ut dicit *Isidorus*. Quæ post eum *Minerva* consecrata, dicta est *Athene*. Dum enim, ut ait *Varro*, & allegat *B. Augustinus* lib. XVIII. de Civ. Dei, cap. IX. arbor olivæ & aqua repente apparerent, dixit *Apollo*, quod olea *Minervam* significaret, aqua *Neptunum*, & esset in potestate civium, ex cujus nomine illorum duorum civitas vocaretur. Cum autem feminæ eligerent *Minervam*, mares *Neptunum*; feminæ, quia una plus erant, vicerunt eamque *Minervam* & *Immortalem* sive *Athenas* nominarunt. *Prometheus* usum aunulorum invenit, dicens, eum ponendum in quarto digito, à quo vena pertingit ad cor. Hic dictus est fecisse homines, quia de rudibus fecit doctos, ut dicit *Comestor*. Cujus frater *Atlas* Astrologiam invenit, avus *Mercurii*, & dicitur cælum sustentasse, quia magnus fuit astrologus. Tunc fuit *Diluvium* Thessaliæ tempore *Deucalionis*. Iste enim Rex cum *Pyrrha* uxore sua montem *Parnassum* ascendens, salvatus est, de qua in (m) *Theodolo*. Versus:

*Venit ac oceano submergens cuncta vorago.*

Moyſes cum esset LXXX. annorum, & Aaron LXXXIII. Exodi VII. Ducatum populi suscepit à Domino, quem per signa & portenta de Ægypto duxit per desertum XL. annis ante urbem annis 805. In hoc anno finem habuit servitus Hebræorum, finitaque est eorum peregrinatio, dicta *Abrahæ*, seu CCCCXXX. annus: fuitque hic annus ætatis tertiæ DV. mundi vero, secundum numerum minorem, MMCCCCLII. Spoliaverunt in exitu Ægyptum divina permissione, quasi pro mercedis suæ recompensatione. Quos infecutus Pharaon cum DC. curribus & XXM. peditibus, submersus est; Cujus secundum *Orosium* (n) certissima extant monumenta. Nam tractus curruum & orbitæ rotarum non solum in litore, sed etiam adhuc videntur in profundo. Versus:

*Ductus in Ægyptum populus, quem carmine pango,  
Bis centum triginta duos ibi manserat annos.  
Tempore quo venit, sorte ferente redit.  
Millia sexcenta tunc sub Pharaone retenta,  
Dicimus exempta, Domini virtute redempta,  
Exceptis parvis femineisque suis.  
Tunc erat Italicus sapiens Rex, nomine Picus:  
Regnat apud Græcos Danaus, primævaque ficus,  
Nunc fit apud Danaos, caulis apud Siculos.*

*Jupiter,*

(l) Nota, idola Ægyptiorum dixerant eis, quod unus Judæus eorum deberet esse adiutor. Ea de causa Moyſes fuit missus contra Æthiopes, & victor eorum erat. Alia manu in MSto C. (m) extat cujusdam, qui se *Theodulum* vocat, carmen certaminis inter veritatem & mendacium. (n) usque ad templum Salomonis sunt anni CCCCXXXVI. Secundum eundem extant adhuc certissima monumenta.



*Jupiter, ecce, suas muris cingebat Athenas:  
Succedit Cecrops Rex, fingens Idola seva.  
Tunc prior in Creta crevit oliva ferax.  
Tunc & Prometheus, qui frater est Athalantis.  
Mensuras ceteris, sub eodem tempore, Ceres  
Instituit, segetesque dabat sub falce jacere.*

(Tunc Cecrops Rex Athenis primam oblationem fecit Deo Jovi). Danaus per L. filias occidit L. filios fratris Ramefis sive Ægypti, simulatis nuptiis, ut dicit *Honorius*, solo uno, scilicet *Sintheo* evadente, qui Danao interfecto post ipsum regnat. (Sola enim *Hypermetra* filia Danai non occidit virum suum, cum L. sorores ejus viros occidissent.) Literas habere cœperunt Hebræi. Bithynia, Tharsis, Paphus & Corinthus civitates conduntur. Vitis reperitur in Græcia à Dionysio Baccho. *Iob* obiit, cum esset CCXLVIII. annorum. Parseus quidam Græcus potenter Asiam intravit, & subjugatam à se Parfyam nominavit. Inde *regnum Parsarum* nomen habuit. (Tunc & Lacedæmon civitas condita est à quodam sic nominato. Tunc & aërea terra dicta est Ægyptus, à dicto Rege Ægypto. Aaron summus Pontifex obit anno ejus CXXIII: Moyses vero obit anno suo CXX. Versus:

*Centenos & bis denos jam vixerat annos,  
Cum legitur Moyses morientibus adnumerandus.*

*Hermes* Termegistus Philosophus floret. *Hercules* interfecit Athlantem, magistrum suum, & thesaurum ejus diripuit. Lacedæmonia condita est & Archadia.

2493. JOSUE, successit Moyfi anno egressionis Ægypti XLI. ætatis tertiæ DXLV. Ipse fuit XLIII. annorum, quando Moyfi accessit, & ei servivit XL. annos in deserto, & obit CXI. anno. Rexit XXVI. (o) annos. Delevit XXXII. Reges cum eorum regnis, *Iosux* Cap. XII. sorte dividens terram duodecim tribubus. *Eleasar* fit secundus Pontifex post patrem suum Aaron. *Cadmus* filius *Hermetis*, vel ut alii scribunt, filius *Agenoris* Regis *Syriæ*, *Thebas* condidit, & literas Græcas invenit. De cujus filia natus est *Dionysius* dictus *Bacchus*, Liber pater. Frater *Cadmi* nomine *Phœnix*, regnans apud *Tyrum*, terræ *Phœnicæ* nomen dedit; & sororem vindicavit, quam rapuit *Jupiter*, & ab ea terram vocavit *Europam*, sicut soror vocabatur. Versus:

*Græcorum primus vestigat grammata Cadmus.*

*Erichthonius* Rex Atheniensis, filius, ut dicitur, *Vulcani* & *Minervæ*, *Quadrigam* invenit. Filius (p) *Dardani*, à quo *Frigia* dicta est *Dardania*, genuit filium nomine *Tros*, qui *Dardaniam* à se nominavit *Trojam*. Tunc etiam *Troja* constructa est in *Frigia*. Versus:

*Temporibus Iosua surgunt nova mania Troje.  
Dardanus & Trojus Iovis ambo semine pollent;  
Hi duo Trojana mania prima parant.  
Fratribus his binis nova Troja creatur ab imis.*

*Orpheus*, *Linus* & alii Philosophi, dicti *Theologi*, (q) floruerunt. *OTHONIEL*, frater *Calef* ex tribu *Juda*, filius *Cenez*, judicat populum XL. annos, *Iud.* III, cœpitque anno egressionis LXVII. ætatis tertiæ DLXXII. Hic liberavit *Israël* de manu Regis *Syriæ*; cujus tempore factum est *Idolum* (r) *Michel*, & mors uxoris *Levitæ*; quoniam non fuit Dux in *Israël*, quia *Othoniel* nihil juris habuit in populo, sed tantum consilio & prudentia præfuit. Duxit *Axam* filiam *Calef* fratris, uxorem, occiditque *Odonibezeth* Regem, qui dixit, se LXXII. Reges interfecisse. *Iud.* I. *Cyrene* conditur in *Libya*. *Orcus* rapuit *Proserpinam*, quem *Cerberus* canis inferni devoravit. Fabula est, mystice significans, quod *Diabolus* rapit animas peccatrices in infernum.

*AOTH* Ambidexter de tribu *Effraim*, judicavit populum annis LXXX, *Iud.* III. Liberavit *Israël* de manu *Eglon*, quem interfecit cum populo suo circiter X. millia; ibidem, anno ætatis tertiæ DCXI. Anno ejus LXXVI. ortum est regnum *Sabinorum* sive *Laurentum*, quod postea dictum est *Latinorum*, & nunc *Romanorum* in *Italia*. Ubi primus regnavit *Ianus* annis XXVII, cui sub *Aoth* successit *Saturnus* XXXIII. annis; dein *Picus* XXX. annis, quem secutus est *Faunus* totidem annis. Istum *Faunum* Latini coluerunt pro Deo. Genuit autem *Latinum*, à quo terra dicta est *Latina*. Isti autem quatuor *Saturnus*, *Picus*, *Faunus* & *Latinus* regnaverunt CL. annis usque ad *Aeneam*. Ubi nota *Demogorgon*, qui fingitur summus *Deorum*; cui nunquam factum est *idolum*, ne ei aliquid simile videretur. (s) Genuit

(o) in MS. C. est XXVII. (p) Alter *Erichthonius*, filius *Dardani*. (q) & sancti *Magistri*, tempore *Iosux*. Aliâ manu in MS. C. (r) *Michæ*. (s) Belum omittit MS. C. cujus hæc verba: Genuit *Cretum*, qui primus Rex *Cretensium*, &c.



nuit *Belus*; *Belus* genuit *Cretum*, *Cretus* primus Rex *Cretenſium* genuit *Celium*; & hic genuit *Ianum*, & iſte *Saturnum*, qui docuit terram colere, vineam plantare, humanisque moribus vivere. Ideo pro tot beneficiis appellatus eſt Deus *Stercus* vel *Stercutius*, quia modum invenit agri ſtercorandi. *Saturnus* iſte genuit filios: *Iovem*, qui dictus eſt Deus aſtrorum, *Neptunum* Deum aquarum, & *Plutonem* Deum inferorum.

SANGAR Dux Iſraël occidit DC. viros de Philiſtæis vomere uno, rexitque anno uno. DEBBORA Prophetiſſa (a) cum BARATH, qui creditur vir ejus, judicavit Iſraël XL. annis. Jud. V. Anno egreſſus CLXXXVII, ætatis tertix DCXC, liberavit Iſraël de manu *Tabin* regis Chananæorum, & *Iahel* interfecit *Sifanum*, ducem exercitus cum falcatis curribus DCCCC. Iud. IV. *Tantalus* rapuit Ilium, filium Troy, & ortum eſt bellum immane. Regnum *Argivorum*, quod duravit annis DXLIII. transfertur in *Mycenas*; ubi primus regnavit *Pelops* annis XL. ætatis III, anno DCCV. *Iupiter* genuit *Mercurium* & *Apollinem*. *Apollo* genuit *Æſculapium*, qui alias *Peon*. *Apollo* citharam reperit & medicinam. Paſtor fuit *Ovium*, *Ciron* autem quidam Græcus invenit medicinam jumentorum. Verſus:

*In cunctis medicus primus Apollo fuit.*  
*Tunc Æſculapium medicum genenſit Apollo,*  
*Cujus & egregia conſcripta volumina volvo.*  
*Hic ubi mira gerit, fulminis igne perit.*

GEDEON, qui & JEROBAAL, judicavit Iſraël annis XL. Iud. VIII, ab egreſſu CCXXVII. ætatis tertix DCCXXX. Hic ſigno velleſis liberavit Iſraël de Madianitis, interfectis eorum Regibus, *Oreb*, *Seb*, *Sebee* & *Zalmana*. *Mercurius* liram condidit, ut dicit *Iſiderus*. *Carmenta* Nympha, mater *Fauni*, literas Latinas invenit. Anno tertix ætatis DCCXL. facta eſt navigatio *Argonautarum* pro aureo vellere; *Argus* invenit navem. *Miletus* conditur & *Tyrus*. *Dadalus* menſas & ſedilia excogitavit. Faber fuit Athenienſis artificioſus. Conſtruxit *Labyrinthum* in *Creta*. Eſt autem *Labyrinthus* mirabile ædificium; quod ſi quis introjerit ſine glomere lini, exire non poteſt; & ſunt quatuor ſecundum *Iſidorum* XV. *Eth.* ita mirabiliter conſtructi, ut eos diſſolvere nec ſecula poſſint. Primus erat in *Ægypto*, ſecundus in *Creta*, tertius in *Lemno*, quartus in *Italia*. Hujus *Dadali* filius fuit *Icarus*, *Icaro* mari, cui nomen dedit, ſubmerſus. *Gedeon* cum CCC. viris interfecit duodecim millia.

2723. ABIMELECH filius *Gedeonis* interfecit LXX. fratres ſuos, regnans tribus annis; fragmine molæ excerebratus à muliere. Iudicium IX.

THOLA de *Iſachar* judicat Iſraël annis XXIII. Iud. X. Cœpit ab egreſſu CCLXX; ætatis III. DCCCLXXV. Chorus inventus eſt in *Græcia*. Rex quidam *Ægypti*, *Vefor* nomine, indixit bellum *Scythis*. Cui iſti ridiculoſe reſcripſerunt, fruſtra ditiffimum regem contra pauperes bellum ſumere; adjicientes, non oportere eum venire, cum ultro parati ſint ei occurrere. Dicta facta ſequuntur. Pugna conſita eſt, fugienteque *Vefore*, *Scythæ* depopulati ſunt *Ægyptum*, indeque pene per XV. annos *Aſiam* ſubjugarunt. Quibus tandem occiſis, uxores eorum arma ſuſerunt, & dictæ ſunt *Amazones*.

*Italiam tunc Saturnus regnabat alumnus.*

*Primus erit Iannus; ſed Rex fuit ille ſecundus.*

*Tertius eſt Picus, Rex probitate prior.*

*Saturnus natum latuiſſe Iovem recitatur.*

*In Sutrio latuit, Latium locus ille vocatur:*

*Illud enim Latii nomen abinde fuit.*

*Græcia Rege caret: nondum quis regnat in ipſa.*

*A Iove ſit Danaus regnans, regnoque patrisans,*

*A Danao Danais nomina prima dedit. Panth.*

*Hercules* agonem *Olympicum* inſtituit, & tandem in morbum peſtilentem incidens, in flammis præcipitavit. Fuerunt autem plures *Hercules*, ut patet in *Sampſon*. *Priamus* regnavit in *Troja*. In *Theſſalia* Græciæ regnabat *Peleus*, cujus uxor erat *Thetis*, & filius *Achilles* fortiffimus. Hujus *Pelei* frater *Æſon* genuit *Iaſon*, qui rapuit *Medeam* virginem pulchram, filiam Regis inſulæ *Colchos*, quæ dicebatur arces cum aureo vellere. Hæc fuit fabula *Tauri* cum aureo cornu. Idem *Iaſon* & *Hercules* cum aliis Græcis deſtruxerunt antiquam *Trojam*, in qua pater *Priami* morabatur; cujus etiam ſororem rapuerunt. *Priamus* autem novam *Trojam* multo ſolenniorem reædificavit. Habuit autem *Priamus* quinque magnos filios, quorum nomina ſunt: *Hector* fortiffimus, *Alexander*, dictus *Paris*, ſpecioſiffimus, *Deifobus* & *Helenus* ſapientiffimus, & *Troilus* ſtrenuiſſimus. Inſuper habuit XXX. alios filios valde potentes, & tres filias pulcherrimas; de quarum una *Anchiſes* natus eſt, pater *Æneæ*, de quibus in *Aylon*.

(a) cujus Prophetia diuturna indiget expoſitione, cum *Barack* M. S. C.



2746. JAIR Galadites judicavit Israël XXII. annis, habens XXX. filios. Iud. X. Inter Jair & Jepte fuerunt filii Israël sine iudice annis XVIII. *Carthago* conditur à Didone.

JEPTE Galadites rexit Israël annis VI. Iud. XII. ab egressu CCCXV. ætatis tertiz DCCCXX. Iste filiam obtulit Deo, & tamen inter sanctos numeratur Heb. XI. *Menelaus* regnat in Lacedæmonia, & *Agamemnon* frater ejus Mycenis imperat. Mortuo Jepte, eodem anno rapitur *Helena* à Paride, filio Priami, & cœpit bellum decennale. Ab hoc anno usque ad quartum annum (c) Acha Regis Iuda, qui est primus annus Romæ, sunt anni CCCCXXXVIII. Et fuit ætatis III. anno DCCCXXVI.

ABESSAN vel ESEBON cœpit judicare Israël ab egressu CCCXXI. & rexit annis VII, habens XXX. filios, & totidem filias maritatas. Iud. XII. *Booz* duxit *Ruth*. Nota, Eusebius in Chronica ponit immediate post Abellan *Abdon*, licet alii interponant *Aylon* vel *Eglon* Zabolonitem, qui judicavit Israël annis X. Iud. XII. (De excidio Trojæ Liber incipit. Cornelius Nepos Sallustio Crispo suo salutem &c. Peleus Rex Peloponnesi Æsonem fratrem habuit, cujus filius Iason, virtute præstans, omnes amabat & amabatur validissime. Peleus veritus, ne se regno dejiceret, dixit Iasoni, Colchis pellem auream arietis esse, dignam ejus virtuti. Si eam auferret, omnia se ei daturum. Iason ut animo fortissimus, locaque videre volens, dixit, se iturum. Peleus igitur Rex Archum architectum vocari fecit, ei imperans, ut navim ædificaret pulcherrimam ad voluntatem Iasonis. Rumor currit per totam Græciam, navem ædificari, in qua Colchis Iason esset iturus. Amici igitur & hospites ad Iasonem venerunt, pollicentes, se una ituros; & conveniunt ad navem, cui nomen Argo. Peleus necessaria jussit imponi. Iason ut ad Phrygiam venit, Laomedonti Regi nunciatum est, mirandam navem portum intrasse, & in ea multos juvenes de Græcia vectos esse. Laomedon igitur commotus considerat, grave periculum esse, si consuescerent Græci navibus uti: mittit ad portum, qui dicerent, ut Græci de sinibus exirent. Si non obtemperarent, armis ejiciendos. Iason & sui graviter hoc tulerunt. Recesserunt tum, Colchos profecti; pellem abstulerunt, domum reversi sunt. Hercules hoc graviter tulit; Iason ad Pollucem & Castorem venit, ut injurias defendat. Pollux & Castor promiserunt Herculem juvare. Laomedonti nunciatum est, Græcos accessisse. Laomedon ab Hercule occiditur cum suis. Priamus autem filius Laomedontis in Phrygia, cujus sororem, nomine *Hesiam* Thelamon, socius Iasonis, abduxit cum præda magna, hoc graviter ferens, illum ivit cum uxore Hecuba & filiis, mœnia struxit ampliora, multitudinem militum ibi collocans, ulturus patris mortem. Ante nos igitur missus in Græciam, ut saltem soror sibi remitteretur, non obtinuit. Reversus consuluit Priamo se vindicare; sicque cœpit bellum Trojanum.) Anno Abdonis tertio capta est Troja magna, insidiis Sinonis. Iste enim Sinon Græcus turrim fecit fieri miræ magnitudinis ad formam equi, dicens Trojanis, hunc esse Deum Græcorum, quem si capere possent, & in civitate colerent, civitas eorum nunquam caperetur. Murum ergo creduli deponentes, dum Græci putabantur dormire, equum rapientes plenum armatis introduxerunt, & civitatem perdiderunt, anno Abdon III. Cecidit ergo Troja, quæ habuit infinita palatia; & tota marmorea. Steterat autem Troja annis CLXXXV. Ceciderunt ibi de Græcis DCCCLXXXVI, de Trojanis VI. millia, & LXXXVI. Hector solus interfecit XVIII. Reges Græcorum, quem & Achilles cum aliis occidit. Paris interfecit Achillem, Ajax Paridem, ab eodem pariter occisus. Pyrrhus, interfecit Reginam Amazonum, quæ cum multis millibus mulieribus Priamo subvenit, & una die præter XL. perierunt omnes. Idem Pyrrhus occidit Priamum, & Hecubam uxorem ejus pulcherrimam. Ecce Lector, qualem finem miserrimum fecit & facit successus temporalium. Priamus longo tempore fecundus prole, divitiis & honoribus pollens, subito miserrime deletus est. Hæc est conclusio operis, dicit *Guido de Columnis*. Diomedes dicitur ibi Venerem vulnerasse, quia ipse cum aliis Græcis, tunc castis, devicit Trojanos luxuriosos: & quia inde recedentes navibus se commiserunt, ideo dicuntur in aves commutati. *Pyrrhus* iste occisus in templo Apollinis ab Oreste. Dum audisset quosdam in convivio de se male locutos, dixit eis: Cur talia? Respondit unus ex eis: Nisi vinum nobis defecisset, hæc, quæ audisti, præ iis locuturi eramus, ludus fuissent ac jocus. Tum urbana excusatio simplexque veritatis confessio iram Regis convertit in risum. De hoc Pyrrho scribit *B. Augustinus* lib. III. de Civ. Dei c. 13. Alius est Pyrrhus, de quo Augustinus scribit l. 5. cap. 18. de Civit. Nota *Epitaphia*:

*Trojam protektor, Danaum metus, hic jacet Hector.*

*Defensor patria, juvenum fortissimus Hector.*

*Qui murus miseris civibus ætus erit.*

*Occubuit, telo violenti victus Achilles,*

*Occubere simul spesque salusque Phrygum.*

*O quantos Priamo lux attulit illa dolores.*

*Quot fletus Hecube, quot dedit Andromede!*

Item

(c) Achas C.



Item de Achille:

*Pelides ego sum, Thetidis notissima proles,  
Cui virtus clarum nomen habere dedit.  
Qui stravi totiens armis victricibus hostes,  
Sicque fuga solus millia multa dedi.*

2780. ABDON vel LABDON rexit Israël annis IIX. habuit XL. & XXX. nepotes, equitantes LXX. asinos, Iud. XII. Nota, à tertio anno Abdon, quo Troja capta est, usque ad primam Olympiadem sub Ozia Rege Iuda, sunt anni CCCCV. Hoc tempore Græci victores, Trojam deletam relinquentes, & patriam visitantes, diversis & horrendis cladibus contriti sunt, sicque in varias mundi partes devenerunt. Nam inter alios *Aeneas* Anchisiades, i. e. Anchisæ & Veneris filius, unus de XXXIII. Ducibus, qui Priamò venerant in subsidium, cum eodem *Anchise* patre suo, & *Priamò* nepote magni Priami, *Bruto*, *Siclo* & *Ennecone*, filio *Hectoris*, in XXII. navibus, & populo MMMCCGC. devenit in Europam. Priamus iste junior construxit *Trojam Iuniolem*, quæ nunc dicitur *Xanctus*, & *Veronam*, quæ *Bunna* dicitur in diocesi *Coloniensi*. *Siclus* venit in *Siciliam*, *Francus* in *Franciam*, *Britus* in *Britanniam*. Terras enim nominabant à seipsis. *Aeneas* autem veniens in *Italiam*, reperit *Evandrum*, Regem septem montium, ubi nunc est *Roma*, bellantem contra *Latinum* Regem *Latinorum*. Audivit vocem in somnis dicentem: *Evandrum* juva, quia tibi debetur regnum. Quod ut credas, do tibi signum: invenies sub arbore ilice porcã albã, cum XXX. filiis albis. Sicque factum est, & in eodem loco *Ascanius* ædificavit civitatem, quam ob hoc *Albam longam* vocavit; à qua terra dicta est *Albania*, & inde Reges *Albanorum*. Tunc *Turonus* Rex *Tusciæ*, gener *Latini*, eo quod *Laviniam* filiam ejus haberet uxorem, juvenis *Latinum*, occidit filium *Evandri*, cujus nomen *Pallas*, qui universorum *Romanorum* altitudinem dicitur excessisse; de quo in *Henrico II. vel tertio*. *Aeneas* autem *Turnum* occidit, relictamque ejus duxit uxorem; de cujus nomine civitatem condens, *Laviniam* nominavit. Condidit & *Gajetam*, à nomine (d) matris appellando, & regnans ibidem annis tribus in *Prænestino* (e) reliquit filium de prima uxore, filia *Priami*, nomine *Ascanium*, qui regnavit post eum annis XXXIII. Versus:

*Aeneas moritur, Ascanius hinc comitatur:  
Imperat in Latio, socero consorte Latino.  
Sunt Albanenses hac posteritate vocati.*

*Brutus* autem, qui patrem interfecit, cum esset XV. annorum, credens feram sagittare; expulsus, intravit templum *Dianæ*, audivitque in somno juxta hoc metrum:

*Diva potens nemorum, terror silvestribus apris,  
O dic, quas terras nos habitare velis?*

Cui responsum est in nocte:

*Gallica trans regna (ee) clausa est jam insula mari,  
Nunc deserta quidem, genibus apta tuis.  
Hanc pete: namque tibi sedes est illa perennis,  
Hæc fiet natis altera Troja tuis:  
Hic de prole tua Reges nascentur, & ipsi  
Totius terræ subditus orbis erit.*

Tali visione *Brutus* confortatus, venit cum suis in insulam, quam à se nominavit *Bruttanniam*, quæ postea mutato *u* in *i* dicta est *Britannia*. Regnans autem ibi annis XXIV, ædificavit civitatem, quam *Trojam novam* appellabat; quam postea Rex quidam, nomine *Luth*, appellat *Carluth*. Hæc est *Lundon*, ut scribit *Gaufredus* in *Chronica Britonum*. De aliis in locis suis.

2790. SAMSON de tribu *Dan*, cœpit judicare *Israël*, Iud. XV, secundum *Eusebium* ab exitu *Ægypti* CCCXXXVI, ætatis tertiæ DCCCXLI, & judicat annis XX. *Samson* & *Hercules* pares ætate & fortitudine, fraude feminea perierunt. *Samson* per *Dalilam* opio potatus, rufus & cæcatus est; *Hercules* per uxorem suam tunica toxicata indutus, quasi cera ad ignem liquefactus est, ut ait *Pantbeon*. Non aliter *Samson* excusatur, quod se ipsum cum hostibus oppressit, nisi quia *Spiritus S.* hoc latenter jussert, qui per eum miracula faciebat. *Augustinus* lib. 1. de *Civ. Dei*. *Ipcras* claruit:

Iiiii 3

Duns

(d) nutritis. (e) in Prænestino. (ee) Gallica regna super magno jacet insula ponto.



*Dum moritur Samson, Ipocras viget orbe superstes,  
Cujus ab antidotis tollunt medicamina pestes.*

Post Ascanium regnat Romæ frater ejus *Silvius*, posthumus filius *Æneæ* XXIX. annis. Ab isto omnes posterii dicti sunt *Silvii*. Filius enim Ascanii, nomine *Julius*, à quo venit familia *Iuliorum*, parvulus erat: ideo regnum dereliquit fratri. Posthumum secutus est *Æneas Sylvius* XXXVI. annis.

2810. HELI Sacerdos, primus de filiis Ithamar, judicat Israël XL. annis, 1. Reg. IV. ab egressu CCCLVI; ætatis III. anno DCCCLX. Archa Domini capta est, & ceciderunt de Israël triginta millia, anno ultimo Heli, ætatis tertie DCCCC. *Pelasgus* regnat apud *Sicyonios*, à quo Græcia dicta est *Pelagga*; in quo & defecit regnum eorum, & Atheniensium respublica nomen & autoritatem habere cœpit in Europa. Tunc etiam Græci cum Latinis, quasi uno semine, scilicet *Æneæ*, nati, cœperunt habere conformitatem morum & linguæ; Sicque *Italia* dicta est *Græcia*. Ideo & alias gentes *Barbaros*, i. e. rudes, vocare consueverunt. In speculo Hist. lib. 3. c. 68.

2850. SAMUEL Propheta post mortem Heli, cum Saule Rege cœpit judicare Israël, anno egressionis CCCXCVI, quibus simul XL. anni annotantur, ut patet Actorum XIII. Aliqui dicunt, quod post mortem Heli sacerdotis Samuel judicat solus annis XII, & post cum Saule, annis XVIII. His temporibus putatur à quibusdam *Homerus* fuisse, qui composuit *Iliadem*, i. e. librum de bello Trojano, vixitque centum octo annis. Duo regna cœperunt; scilicet *Lacedæmoniorum* sive Spartanorum, quod cœpit anno VIII Samuelis, usque in XLIX. annum Osæ Regis Iudæ per annos CCCXXV, & per Reges IX, ut dicit Hugo: & regnum *Corinthiorum*, quod duravit in primum annum Ioathan, per annos CCCXXVIII. *Codrus* regnavit Athenis XVII. annis, qui ab Apollinis oraculo didicit, bellum eorum finem habere, si ipse hostili manu occumberet; quod non solum in Atheniensium castris percubuit, sed etiam in contrariis. Ob quod edictum est, ne quis *Codrum* vulneraret. Id postquam cognovit, depositis insigniis imperii, familiarem cultum induit, ac pabulantium hostium globo se objecit, unumque ex iis falce percussit, in cædem suam compulit, ut occideretur à Pelopenisibus; sicque victus, suos fecit victores. Finitur ætas tertia, habens annos DCCCCXL. Quarta vero, incipiens à primo anno Regis David, usque ad transmigrationem Babylonis, per annos CCCCLXXXV. protenditur. Anno tertio ejus cœpit quintus Rex Romanorum *Latinus Silvius*, & regnat annis L.

2890. DAVID Rex & Propheta, filius Jesse, à Deo vocatus in regnum, in triumphis gloriosus, leonem & ursum interfecit sine gladio, regnavitque in Israël annis XL. 3. Reg. II. Habuit XIX. filios, præter filios concubinarum, & VII. habuit uxores, ut dicit Hugo. In cuius regni principio cœpit

#### ÆTAS QUARTA.

Anno egressus ab Ægypto CCCXXXVI, à nativitate Abraham DCCCCXL, ab imperio Nini DCCCCLXXXIII. à condito mundo 2890, Principes IV. super cantores ejus fuerunt *Asaph, Eman, Eban & Iditun*. Prophetæ multi fuerunt, scilicet *Aza, Addo, Gath, Naïban, Semias &c. Abjathar & Zadob* Pontifices. Joab cum fratribus, filiis Sarvix, sororis David, fuerunt potentes in bello. *Andronicus* condidit Ephesum, & *Carsago* conditur à Didone, & *Samus* conditur. David obiit anno ejus LXX.

SALOMON cœpit regnare anno ætatis IV. quadragesimo primo, ab egressu CCC LXXVI: & regnavit annis XL. Quidam dicunt LXXX, & dicunt, scripturam tantum commemorare annos, quibus Deum non offendit Idolis. Sed primum verius est; quia vixit tantum LXXII. annis. Josephus tamen dicit, eum regnasse LXXX. annis, & vixisse XCIII. De gloria ejus scribitur III. Reg. IV. & XI. & II. Paralip. IX. Templum ædificat VII. annis, & consummavit anno regni sui XI, ut patet III. Reg. VI. Cœpit enim templum ab egressu CCCCLXXX. annis, ut patet ibidem. Ab illa ædificatione templi, usque ad illius destructionem, sunt anni CCCXLII, menses IV, dies X: usque ad ejus restorationem vero anni DXII, menses VII, dies viginti. A. Prophetaverunt tunc *Sadoch & Hajar*. *Alba Silvius* cœpit regnare Italiæ anno IX. Salomonis, & regnavit ibi XL. annis. Versus:

*Silvius Alba venit, cui cedit copia regni*

*Tempore, quo Samnis urbs condita Samne (f) recedit.*

*Samnia post Romæ prælia multa dedit.*

*Cantuarva* conditur in Britannia per Regem *Beit*, cui successit *Bludad Nigromanticus*; qui volens volare, contritus est in frustra. Cui succedit filius ejus *Leir*; qui ædificavit civitatem, quam

(f) Samnis id est Beneventum ita MS.



quam Saxonice *Leircaſt* vocavit. Iſte Leir filiis carens, tres filias habuit, quas tentans interrogat, quantum ſe diligenter. Cumque prima diceret, plus quam animam propriam: altera, ultra omnes creaturas; ait tertia: Credis pater, nos aliter te diligere, quam ut filii ſolent parentes? i. e. quantum habes, tantum vales. Unde pater iratus, primis duabus maritatis regnum diviſit ſub hoc pacto, ut eum generi cum CCCC famulis per vitam tenerent honeſte. Promittunt generi cum filiabus; ſed parum poſt pater ſpernitur, nec niſi unum ſervum habere jubetur. Filia vero tertia, à patre derelicta, à Rege quodam Francorum in uxorem ducta, audiens patris miſeriam, miſit ei pecuniam, ut ſervis conductis viſitaret eam honeſte. Quod & fecit, & per eundem Regem reſtitutus eſt in regnum. Hoc *Gaufridus*.

2960. ROBOAM filius Salomonis regnat annis XVII. Ipſe dedit occaſionem ſchiſmatis in populo, dum derelicto ſenſu conſilio, juxta conſilium juvenum dura populo reſpondit. Cœpit autem ætatis quartæ LXXX. anno. Habuit XXVIII. filios & XL. filias. II. Paral. XI. Contra eum ſurrexit *Hieroboam*, ſervus patris ejus, in Regem Iſraël primùm electus; & regnavit annis XXII. 3. Reg. 14. Duravitque ſchiſma illud annis CCL. uſque ad Oſee, qui fuit ultimus Regum Iſraëlis. Contra Roboam aſcendit Ierufalem *Sefac*, Rex Ægypti, anno Roboam V. & ſpoliat templum, III. Reg. XIV. *Ægyptus Silvius*, alias dictus *Achis*, regnat in Italia annis XXIII.

ABIA filius Roboam, malitiam patris imitatus, regnat annis III. 3. Reg. XV. Quia tamen nomen Domini invocavit, humiliavit *Hieroboam*, qui ſecum habuit LXXX. millia, cum ipſe ſolum haberet XL. millia, & filios Iſraël, vulneratis ex eis L. millibus. 2. Paral. 13.

2990. ASA Rex Juda regnat annis XLI, 3. Reg. 15. & 2. Paral. 14. ætatis quartæ CI. Contra quem regnaverunt in Iſraël *Nadab* filius Ierobeam II. annis; quem *Baafa* interfecit, & regnavit annis XXIV. 3. Reg. 15. & poſt eum filius ejus *Hela* II. annis, quem ſervus ejus *Samri* delevit cum omni domo *Baafa*, regnans VII. dies. Timens autem *Samri*, combuſit ſeipſum cum domo: ficque regnavit *Amri* annis XII; qui Samaritam condidit 3. Reg. 15. Iericho reædificata in ſuo primogenito. Poſt eum *Achab* Rex Iſraël peſſimus, filius *Amri*, regnavit XXII. annis. Ipſe occidit *Naboth* conſilio *Iſabel* uxoris ſuæ, propter vineam, & Prophetas multos: ſicut & *Baaza* percuffit prius *Hieu* Prophetam. *Achab* percuffit *Benhadad* Regem Syriæ cum XXXII. Regibus, & de Syris centum millia Syriamque vaſtat. 3. Reg. 20. Rex etiam *Moab* ſolvit ſibi C. millia agnorum & totidem arietum 4. Reg. 2. Iſtum *Achab* occidit Rex Syriæ in *Ramoth*, 2. Paral. XVIII. *Helias* claruit, ſacerdos & Propheta ex tribu *Aaron*, habitator ſolitudinis, raptus in cœlum igneo curru. *Abdias*, quia C. Prophetas pavit, conſecutus eſt prophetiam. *Micheas*, & quidam alii Prophetæ ſimiliter floruerunt. *Abimelech* fuit Pontifex. Non pluit annis tribus & menſibus ſex, 3. Reg. XVII. *Capis* regnat in Italia XXVIII. annis. Condidit civitatem, quam à ſe nominavit *Capuam*, ubi reperi- tus eſt uſus campanarum: unde & terra dicitur *Campania*.

3030. JOSAPHAT Rex Juda dives & bonus, regnavit XXV. annis. 3. Reg. XXIII, & 2. Paral. XX. Cœpit anno ætatis quartæ CXLII. Habuit ad manum bellatores mille millia, & centum & LX millia, 2. Paral. 16. *Helifans*, *Helix* diſcipulus, ex tribu *Ruben*, duplici virtute micuit *Helix*. Idola deſtruxit, *Jordanem* ſtare fecit, aquas ſteriles fecundavit, *Naa- man* leproſum ſanavit, moruum mortuus ſuſcitavit. In cujus ortu aurea vitula mugitum fecit: Unde Propheta quidam tunc dixit: Hodie natus eſt idololatriam deſtructor. Apud Latinos regnavit *Carpentes* vel *Carpenates* annis XIII.

3056. JORAM, filius *Jofaphat*, regnavit in Juda annis VIII. Fratres occidit & Principes. Habuit enim filiam *Achab* in uxorem, 4. Reg. 8. & 2. Paralip. 21. Propterea ſuſcitavit contra eum Deus Philiftæos & Arabes, qui vaſtaverunt terram Juda, & tulerunt theſau- ros Regis *Joram*, & omnes filios ejus occiderunt, præter unum, qui minor natus fuit, *Oco- zias* nomine. Percuſſit etiam Dominus *Joram* plaga ventris peſſima, ita quod tandem vi- ſcera egeſſit, & ſic mortuus eſt. *Ocozias* filius *Achab*, 11. annis regnat ſuper Iſraël. In infirmitate ſua miſit nuncios ad conſulendum *Beelzebub*, Deum *Ackaron*: quibus occurrens *Helias* Propheta dixit: propter hoc de lecto non reſurget. Quo audito, Rex miſit quin- quagenarios ad *Heliam* in montem &c. Poſt quem regnat *Joram*, frater *Ocozias*, ſuper Iſraël annis XII. cujus tempore *Aſabel*, ſervus *Benadad* Regis Syriæ, interficiens dominum regnat pro eo, 4. Reg. 8. & ſic poſt *Aſabel* filius ejus *Benadad*. *Helias* rapitur in cœlum, anno *Joram* VII. *Tiberius*, à quo fluvius *Albula* Romæ dicitur *Tiberis*, regnat ibi annis IX. ſubmerſus ibidem. Poſt quem regnavit *Agrippa* annis XL. à quo quidam dicunt *Co- loniam* prius *Agrippinam* eſſe fundatam; Alii dicunt, quod mater *Neronis*, *Agrippina*, fundavit eam: cujus & frater, *Granus* nomine, fundavit locum *Aquisgrani*. Fuit & *He- rodes* *Agrippa* & filius ejus *Agrippa*, & uxor *Claudii* *Agrippa*, à quorum quolibet ſic po- terat intitulari.

OCOZIAS vel *Ahaſias*, filius *Joram*, regnavit anno uno & menſe ſuper Judam; quem interfecit *Jen*, inunctus ab *Elia* ſuper Iſraël; qui regnavit XXVIII. annis, interfecitque *Joram*



ram Regem Israëli, Iefabel, & omne semen Achab, LXX. filios, cum Prophetis Baal, 4. Reg. IX. *Aremulus* regnavit apud Latinos XVIII. annis, & ob impietatem fulmine interiit. *Athalia* mater Ocoziæ regnat super Judam VII. annis. Hæc occidit omne semen regium præter Joas puerum: quam tandem Jojada sacerdos interfecit extra templum Domini.

JOAS puer VII. annorum, fit Rex per Jojadam summum Pontificem, regnatque XL. annis, & cœpit anno quartæ ætatis CLXXXII. Bonus erat diebus Jojadæ; sed eo mortuo perversus, occidit filium Jojadæ *Zachariam* Prophetam inter templum & altare. Ideo & servi sui occiderunt eum, 4. Reg. XI. & 2. Paral. 24. Jojada Pontifex insignis solus post Mosen vixit annis CXXX. sicut refert Eusebius in Spec. Hist. lib. 3. cap. 89. *Joachus* filius Jehu, regnavit super Israëli annis XVII. & post eum filius ejus Joas annis XVI. 4. Reg. XIII. *Licurgus* Philosophus claruit, qui ut refert Trogius Pompejus Lacedæmonius jura composuit, eosque jurejurando obligavit, nihil de suis legibus mutare prius, quam revertatur: simulans se ad oraculum Delphicum proficisci, consulens, an quid addendum vel mutandum legibus videatur. Profectus Cretam, ibi voluntarium elegit exilium, moriensque projici jussit ossa sua in mare, nec forte Lacedæmoniam relatis, putarent se solutos à juramento. *Aventinus Silvius* regnavit Italis annis XXXVII. qui nomen dedit Aventino monti, in eo Romæ sepultus. Elifæus obit anno quartæ ætatis CCXIII.

310. AMAZIAS filius Joas regnavit super Judam annis XXIX. Jugulavit servos, qui patrem suum occiderunt, sed filios eorum servabat. 4. Reg. 14. & 2. Paral. 25. Ipse percussit de Idumæis X. millia, & totidem captivavit, quos sui præcipitaverunt de summitate cujusdam petræ, & crepuerunt omnes. Et quia idola, quæ illis abstulit, coluit, misit sibi Dominus Prophetam, qui eum corripuit. Sed Rex Prophetam spernens, minabatur ipsi mortem. Ideo Dominus concitavit contra eum Jonas Regem Israëli, qui percussio exercitu Amasiæ captivavit eum, dejecit murum Jerusalem in longitudine CCCC. cubitorum, & abstulit omnem thesaurum domus Domini, & domus Regis, & abiit. Et postea facta est conjuratio contra Amasiam, & interfecerunt eum in Lachis. Regnavitque filius ejus *Ozias* pro eo, ut patet 2. Paral. 25. Cœpit autem Amasias anno ætatis quartæ CCXXII. Nota, *Mathæus* in Genealogia Christi prætermisit istos tres Reges, Ocoziam, Joas, & Amasiam. *Jeroboam* regnavit super Israëli XLI. annis 4. Reg. XIV.

SARDANAPALVS XXXVI. annis, novissimus & corruptissimus Regum Assyriorum, regnavit annis XX. Inter scortorum greges colum, habitu muliebri, tractans, interfectus est à præfecto suo *Arbato* Medo; sicque fortissimum illud & florentissimum ditissimumque hac in terra Babylonicum regnum, quod stetit annis MCCC. à Belo incipiendo secundum *Augustinum* XVIII. de Civ. Dei, derivatum est ad *Medos*, anno Ozias sequentis VII. Mansit tamen adhuc, propter antiquam urbis dignitatem, solo nomine, re autem apud Chaldæos, & auctoritate penes Medos. Medorum autem regnum duravit usque ad Cyrum, ut dicit *Orosius*; ubi primus regnavit *Arbatus* annis XXVIII. Sidon (g) Archinus mensuras & pondera reperit.

OZIAS qui & Azarias Rex Iuda, deditus agriculturæ: regnat annis LII. de hoc 2. Paralip. 26. Cœpit anno quartæ ætatis CCLII. Multas habuit victorias de inimicis suis, habuitque exercitum magnum valde, videlicet MMDC. Principes & CCCVII. & D. millia virorum ad bella paratorum, quibus omnibus præparavit clypeos, hastas, galeas & loricas. Sed quia ex iis elevatus, usurpavit officium sacerdotis, volens incensum offerre; imo sacerdotibus prohibentibus minas intulit: terræ motus factus est, & ipse lepra percussus, de templo ejectus est, 2. Paral. XXVI. Prophetæ minores floruerunt. Versus:

*Tunc Zacharias vates erat ordine magnus,  
Nunc & in Ægypto loquitur mirabilis agenus.*

*Hesiodus* claret. *Zacharias* Rex Israëli regnavit menses VI, quem *Sellum* interfecit, & regnat mense uno. Post quem *Manaën* regnat X. annis, qui percussit Sellum. Post *Menahem Faceja* filius ejus regnat II. annis; post quem venit *Phácee*, regnans XX. annis, 4. Reg. 15. Inde *Ozee* ultimus Regum Israëli. Anno XIII. *Osia* cœpit regnum *Macedonum*, & duravit in annum IX. *Onia* Pontificis, qui dictus est *Menelaus*, per annos DCXXXVI. per Reges XXXIX. Primo regnavit *Caranus* annos XXVIII, à quo usque ad *Alexandrum Magnum* computantur CCCCLXVII. anni. Mirum, cum *Saxones* fuerint *Macedones*, cur nunquam scribitur in antiquis regnum *Saxonum*, semper *Macedonum*; nisi forte, quia Græci se plus quam *Saxones* scriptis occuparunt. Insuper etiam regnum *Lydorum* cœpit anno *Osia* XLVIII. quod duravit annis CCXXX. usque in annum XLIII. transmigrationis, quando Rex eorum ultimus *Crasus* captus est à *Cyro*, sicque regnum id venit in ditionem *Perfarum*. Eodem tempore defecerunt Reges *Corinthiorum* & *Lacedæmoniorum*. *Olympias prime* acta est apud Græcos & dicitur *Olympias*, quia apud (h) montem *Olympum* actum est quin-

(g) Archinus MS. G.

(h) urbem Olympiam.



quennale certamen, anno ætatis IV. CCC. Ab illo computant Græci annos suos; & ab hoc anno, qui fuit XLIX. Osæ, usque ad secundum annum Darii, qui fuit LXXIX annus desolationis Judæorum, fuerunt Olympiades LXIV. quæ faciunt annos CCLVI. *Procas* regnat apud Latinos XXIII. annis. Post quem venit *Amulius* XLIV. annis, qui fratrem suum regno privat, qui dictus est *Numitor*. Cujus filia virgo Vestalis, nomine *Ilia*, geminos peperit anno XI. Joathas; propter quod fecit ipsam vivam sepeliri, natosque in aquam projici. Quos Pastor quidam inveniens, uxori suæ *Laurentiæ* commisit; quæ *Lupa* nominata, nutrit eos. Sicque adulti facti, quia fortes & bellicosi videbantur, Martis filios per lupam nutritos esse fabulantur: cum tamen non Martis, sed sacerdotis filii fuissent, dictique sunt *Remus & Romulus*.

3200. JOATHAS, filius Osæ, regnavit super Judam annis XVI. Cœpit ætatis IV. anno CCCIII. Devicit Regem Ammon 2. Paral. XXVII. qui dedit sibi C. talenta argenti, decem mille choros tritici, & totidem hordei. Ibidem. *Isaias*, filius Amos, nobilis & sanctus Propheta, semper nudus caput & pedes, prophetavit LXX. annis, sub Osæ, Ioatham, Achab, Ezechia & Manasseh, à quo lignea ferra sectus est. *Naum* de tribu Simeon, prophetavit contra Niniven; quæ postea subversa est à Rege Medorum. Tempore Iosæ Tegladi phalasar Rex Assur ascendit in Israël, & vastavit regionem. Et est dubium, an fuerit Phul vel alius; & fecit initium captivitatis X. tribuum, anno IV. ætatis CCXCIX. *Sofarmus*, secundus Rex Medorum, (i) regnavit annis XXX. cujus anno VII. Cœnus secundus Rex Macedonum cœpit regnare annis XII. quem secutus est (k) Tiremanus. In Sicilia *Syracusa* & *Catbina* civitates conditæ sunt. Tempore quo Tegladi invasit Samariam, (l) *Medidus* III. Rex Medorum regnat annis XL. cujus anno III. cœpit Achas, & anno illius Medidi IX. *Roma* conditur.

3220. ACHAS regnavit super Judam XVI. annis. Servivit Regi Assyriorum Tegladi, cœpitque anno quartæ ætatis CCCXX. Propter cujus peccatum Facee Rex Israël, occidit de Juda duodecim millia bellatorum uno die, & filii Israël ceperunt CC. millia mulierum & puerorum, & infinitam prædam. Sed correpti per *Obeib* Prophetam, omnes captivos remisertunt, 2. Paral. 28. *Salmanasar* Rex Assyriorum cepit Samariam anno nono Osæ Regis Israël, & transtulit Israël in Assyriam, scilicet septem tribus, in civitates Medorum, super fluvium (m) *Gofam* 4. Reg. XVI. cum quibus *Tobias* ductus est Niniven. Tegladi enim pater ipsius *Salmanasar*, prius cepit tres tribus Israël. Translatus est igitur Israël in Medos, postquam regnavit annis CCLXI. & menses VII. & dies II. ex quo recessit à domo David. Versus:

*Surgens Salmanasar, magnus Rex Assyriorum,*  
*Marte capit Regem, loca depopulatur eorum.*  
*Salmanasar moritur, qui captivavit Hebræos,*  
*Semacherib succedit ei, pulsans Phariseos.*

Fuit autem filius ejus; cujus percussit Dominus exercitum CLXXXV. millium 4. Reg. 19. qui etiam *Samariam* ædificavit, quam sic vocavit, quasi custodiam terræ: quam postea destruxit Antiochus, & restauravit Herodes, nominando eam *Sebastien* Græcè, & *Augustam* Latine. *Sibyllæ* claruerunt, ut dicit *August.* XVIII. de Civ. D. Eriçtea sive Cumana nonnulla scripsit de Christo. Perdicca IV. Macedo, regnavit annis LI.

ROMA conditur X. Kal. Maji, anno Achas VII, evolutis secundum *Orosium*, *Methodium* & *Martinum* in Chronicis, ab Adam MMMMCCCCLXXXIV. annis, *Remo* & *Romulo* auctoribus, tunc XVIII. annorum, avo eorum *Numitore* adhuc superstite. Cujus mox regnum paricidio, avo fratreque interfectis, tertio anno urbis *Romulus* infecit, regnans ibi XXXVIII. annis: quando filii Israël compleverunt in terra promissionis DCLXXXV. annos. Quorum XXVII. computantur sub Josue, CCCLVII. sub Iudicibus, CCCI. sub Regibus usque ad Achas. *Isidorus* dicit XV. Ethic: de autoribus urbium plerumque dissensio reperitur, adeo, ut nec urbis quidem Romæ origo possit diligenter agnosci. Nam *Salustius* dicit, eam à Trojanis, *Virgilius* ab Evandro, alii conditam à Romulo. Si ergo tantæ civitatis certa ratio non apparet, non mirum, si in aliarum opinione dubitetur. *Orosius* dicit: Post everfionem Trojæ CCCXIII. annis, Olympiade VI. Roma fit. Unde nec historicos nec commentarios, varia dicentes, imperitè, condemnare debemus, quia antiquitas ipsa creavit errorem. *Pantbeon* dicit: Ab imperio Nini MCCC. à destructione Trojæ CCCXVIII. regnante Achas in Iudæa, Roma condita est. Et dicitur habere turres CCCLX. in circuitu XLII. miliaria. Versus:

Sunt

(i) cœpit regnare anno Ozæ 36. Alia manu in MS. C. Sofarmus alius est tertius Rex Medorum. (k) Thurimas alius. (l) Mandauces alius est secundus Rex Medorum. (m) Gozam & Mofin. C. 6.



*Sunt Roma mille, quingenta quinque capella.  
Qua modo Roma sonat, fuit ante Valentia dicta. (o)*

Romani cum Sabinis, quorum filias rapuerant, & uxores duxerant, fœdus inierunt, ut Sabinorum Rex, nomine *Tatius*, simul cum Romulo regnaret & Remo; & ad fœdus confirmandum Romani nomina Sabinorum suis nominibus præponebant, & Sabini Romanorum. Unde consuetudo venit, ut nullus Romanus sit absque prænomine. Remus à Fabio, duce Romuli, dubium an iussu fratris, rostro pastoris extinctus est. *Falaris* tyrannus Agrigentinus Siculus, Rex iniustus, iuste combussit *Berillum* in æneo tauro, quem illi finxit. Ideo solet dici: Vadas Agrigentum: quasi dicatur, Vade ut comburaris in tauro. Et *Ovidius*:

*Non est lex æquior ulla,  
Quam necis auctores arte perire sua.*

*Wallo* Rex Britannia, XL. annis ibi regnans, leges constituit in Britannia, & quatuor vias liberatas fecit fieri per regnum, lapidibus cæmentoque stratas; quod & filius ejus *Belin* confirmavit. Unde & hodie via ab oriente in occidentem *Belinstrate* nominatur: *Beda*. Senatus fit Romæ. Nam Romulus, contractis undecunque pastorum latronumque copiis, mille juvenes electos milites appellavit, & C. Senatores ex senioribus. Ex hinc militaris ordo, senatoriaque dignitas exordium sumere. Versus:

*Romulus & Remus socios habuere latrones.  
Amulium perimant, & avum relevant Numitorem:  
Et cito per Latium prælia dira movent.*

Romulus iste temperatus fuit in bibendo; unde quidam *Piso* dixit ei: O Romule si omnes sic biberent, vinum vilius esset: respondit, imo carius, si, quantum quisque vellet, biberet, *Helinandus*.

3236. *EZECHIAS* filius *Achas*, bonus, regnat super Iudam annis XXIX, cœpitque anno IV. ætatis CCCXXXV. Hic primo mense regni sui templum cœpit mundare & restaurare, ministros ordinando. Circumdedit Ierusalem triplici muro secundum glossam II. Paralip. 31. (In primo erat templum & domus sacerdotum, & domus Regis: in secundo erant nobiles prophetæ; in tertio communis populus, ut dicit *Hugo* super *Esdras*.) Anno *Ezechia* sexto captivata sunt X. tribus Israël, & defecit regnum Israël. Anno vero ejus XIV. *Sennacherib*, filius *Salmanassar*, percussus est ab angelo cum exercitu. Ipse fregit serpentem æneum quem fecerat *Moisès*, eo quod filii Israël adolebant ei incensum, IV. Reg. 18. Romulus cum nusquam compareret mortuus, ad Deum transisse creditus est: & regnaverunt Senatores post eum per unum annum, anno ætatis IV. CCCLXII, deinde *Numa*.

3265. *MANASSES* impiissimus regnat in Juda LV. annis, cœpitque anno IV. ætatis CCCLXIV: Duxit filiam *Ysaia* uxorem, quem & occidit, & Ierusalem sanguine replevit. Sed captus à Rege Assyriorum, egit pœnitentiam. Idcirco Dominus reduxit eum in regnum, 2. Paral. XXIII. *Numa* *Pompilius* regnavit Romæ annis XLII. Iste leges moresque Romanis constituit: nullum bellum gessit. Divisit annum in XII. menses, quia addidit *Januarium* & *Februarium*. Versus:

*Numa duos menses solemniter addidit anno,  
Nomine qui resonant Ianuarius & Februarius,  
Ante decem fuerant, nec minor annus erit.*

Hic etiam *Capitolium* fundavit, nummos & numeros invenit, qui & nomen habent ab ipso, sacrilegiumque Deorum duxit in urbem anno ab urbe condita XL. *Sibylla Samia*, i. e. de *Bonvento*, quæ & *Erophila*, claruit. *Cardiacus* quartus Medorum regnavit annos XIII; inde *Deoces* vel *Dyocles* quintus regnat annis LIV. *Tarepsium* conditur. *Simonides* Poëta claruit. Hic interrogatus, quomodo quis evadere posset tedium invidorum? ait: invidos non patieris, si nihil ex magnis rebus habueris. Hic gloriabatur LXXX. anno, se carmina composuisse. Septem sapientes Græciæ claruerunt, quorum ista sunt nomina: *Thales* *Milesius*, *Pittacus* *Mitylenæus*, *Solon* *Atheniensis*, *Chilon* *Lacedæmonius*, *Periander* *Corinthius*, *Cleobulus* *Lydius* & *Bias* *Prienæus*, ut dicit *Eusebius*. *Tullius Hostilius* tertius Romanorum Rex regnat annos (q) XXXVII. Cœpit anno quartæ ætatis CCCCIV. Urbem ampliavit. Primus ex Romanis usus est purpura. Versus:

*Tullius*

(o) MSta subjungunt: De qua vide in promptu (id est in promptuario) verbo *Tera*. (q) MSC. C. XXXII.



*Tullius Hostilius nunc tollit in urbe coronam,  
Ampliat & vallo satagens praeingere Romam.  
Bella foris renovat, fortis ad arma volat.  
Purpura prima sibi Roma fuit, unde Senatus,  
Dum videt ornatum, simili titulo deonatur.  
Fulmine Rex periit, Rex modo Marcus erit.*

Anhus Manassis XXIII. fuit centesimus Romæ.

*Tunc super Allobroges vigere Sicambri tropæa,  
Signa veretur Azar, speciosa times Basilea,  
Fertilis Alsacia gesta veretur ea.*

Hoc tempore Albani pugnabant cum Romanis. Metius igitur Princeps Albanorum, appetens colloquium cum Tullio Hostilio, sic ait: Cupido imperii duos agnatos vicinosque populos ad arma stimulat. Eligatur igitur via, qua discernatur sine magna clade, quis populus imperare debeat. Placuit Tullio. Erant autem in quolibet exercitu tres germani fratres, nec ætate nec viribus dispares. Tres erant de Albanis, Curiatii nominati: & tres Horatii erant Romani. Assensum ergo ab utroque Duce, ut isti inter se pugnarent vice duorum exercituum; & ubi fuerit victoria, ibi sit imperium. Concurritur igitur in prælium, & primi interfecti sunt duo Horatii, tertio illæso. Curiatorum nemo interfectus, sed omnes graviter vulnerati sunt. Integer tertius Horatius cogitans, se non posse tribus resistere, fugam simulat, ut tres, insequi tentantes, ab invicem separet. Quibus ab invicem remotis, ad prælium revertitur, & primo interficit sibi viciniorem; postea alium, & tandem faciliter superat tertium. Quibus semotis ipse ad suos revertitur cum ingenti læticia Romanorum, & Romani receperunt imperium sine magna clade.

AMMON malus regnavit super Iudæam secundum LXX. Interpretes annos IV. sed secundum Eusebium tantum duobus annis; quem servi sui interfecerunt. Censur primus agitur Romæ. Bisantium, quæ nunc dicitur Constantinopolis, conditur à Rege Spartanorum Pausania. Argeus quintus Rex Macedonum regnavit XXXVIII. annos, & Fraortes VI. Medorum, annos XXIV.

330. IOSIAS optimus, cum esset IIX. annorum, cœpit regnare super Iudam, juxta Eusebium, anno quartæ ætatis CCCCXXI. & regnavit annos XXXI. Multa bona fecit. Tandem occisus à Necho Rege Ægypti, 2. Paral. 35. Reliquit tres filios, Heliachim primogenitum, qui dictus est Ioakin & Sellum, Ioachaz & Mathaniam, qui dictus est Zedekias. Quorum secundus à populo constitutus post patrem in regnum, amotus est post tres menses à Rege Ægypti, & primus substitutus, mutato nomine, dictus est Ioakim, factus tributarius Regis Ægypti. Tunc floruerunt Hieremias Propheta, prius consecratus, quam natus; qui prophetavit LXXII. annis & II. mensibus, sub quatuor Regibus, scilicet Iosia, Ioachas Eliachim & Sedechia; in Ægypto lapidatus. (Cœpit autem anno Iosia XIII.) Ezechiel cœpit XXX. anno ætatis suæ & captivitatis Israel V. prophetare in Chaldæa: quem populus Israël interfecit, cum eorum crimina corripere. Baruch similiter Propheta & Olda prophetissa. Tunc & claruit Arion musicus, qui, cum navigaret, à nautis projectus est in mare, eo quod pecuniam putaretur habere: dumque projiceretur, cœpit fide canere. Unde novum mirum, & pium factum. Delphin enim inter undas advenit, & illum dorso receptum duxit incolumem ad Corinthum: ubi se aperiendo, qualiter evehctus fuerat, obtulit, rem gestam enarrans. Arfaces VII. Rex Medorum regnavit annis XXXII. Ancus Martius, quartus Romanorum, regnat annis XXIII, ab imperio Nini anno MCCCCLIII, à destructione Trojæ CCCCLXVII, ut dicit Pantheon; ab U. C. annis C. Philippus cœpit regnare apud Macedones, & regnavit annos VIII, & post eum Erepus annis XXVI, & apud Medos Fraortes annis XXXVIII. Ancus iste Romanus Hostiam civitatem condidit, & primum pontem trans Tiberim.

IOAKIM filius Iosia regnavit super Iudam annos XI. Occidit Vriam Prophetam, cum eum redargueret. Cujus anno quarto cœpit regnare apud Babylonios magnus Nabuchodonosor, subjugavitque sibi Syriam & Ægyptum, & anno IV. regni sui, qui fuit octavus Ioakimi, ascendit Ierusalem, captumque Ioakim cum nobilibus duxit in Babylonem. Sed remisit eum Ierusalem, tributum imponens; & obsides de femine regio, scilicet Danielelem & tres pueros cum aliis, secum duxit. Ioakim igitur tribus annis servivit Regi Nabuchodonosor. Sed postea, cum tributum promissum negaret, occisus est ab eodem. Qui tunc filium ejus Ioachin, alias dictum Teconiam, substituit: sed post tres menses, ne similiter repugnaret, Ierusalem obsedit, ipsumque cum matre & familia, de consilio Hieremix se tradentes, transtulit in Babylonem cum Principibus plurimis & populo, numero XMDCCC XXXII. Iste etiam Ioachin genuit Salatiel, de quibus in Evang. Matth. Nabuchodonosor

Kkkkkk 2

autem



autem constituit Mathaniam, filium Iosiz, in Regem Iudæorum, mutatoque ejus nomine, vocavit eum *Sedechiam*, 4. Reg. 24. Versus:

*Nunc Nabuchodonosor sedet in arce Syon  
Exspolians Iudam, ponens Regem Sedechiam,  
Vicerat Arfaxat Dominum Regemque Medorum,  
Pamphyliam, Phrygiam, regnum capit Assyriorum,  
Vinxit Hebræorum nunc millia dena virorum.*

Iste statuam auream erexit; tres pueros in fornacem misit. Quia vero ad consilium Danielis pœnitentiam egit, & eleemosynas dedit, septem anni sunt ei mutati in septem menses, in quibus XL. diebus insaniam patiebatur, & per alios XL. dies reversus ad cor, fleuit pro peccatis in tantum, quod ex fletu oculi ejus facti sunt sicut caro. Et iterum per alios XL. dies reversus est in insaniam, donec septem menses completerentur. Post quos revocatus est, non tamen regnavit; sed statuti sunt pro eo septem iudices, & usque ad finem VII. annorum pœnitentiam egit. Panem & carnes non comedens, & vinum non bibens, leguminibus utebatur & herbis, juxta consilium Danielis, & postea iterum regnavit. Hæc *Scholastica Historia*. Iste Nabuchodonosor ter vastavit Iudæam, ut dicit Glossa in Ierem. cap. LII. Per flagellum domini egit pœnitentiam fructuosam; Pharaos autem non.

3360. SEDECHIAS regnavit super Iudam annis XI. Cœpit autem ab imperio Nini MCCCLXXX, ætatis quartæ CCCCLXXIV. In principio noni anni regni, cum superbus & infidus tributum negaret promissum, Nabuchodonosor obsedit Ierusalem mense X. die X. Quem tunc Rex Ægypti inde fugavit. Sed statim mense X. rediit urbem obsidens; quæ clausa XVIII. mensibus, & anno XI. Sedechiæ capta est, mense IV. die IX. Tuncque Sedechias in Reblata oculos amisit, filiis prius occisis coram eo, ut habetur Ierem. LII. Post hæc *Nabuzardan*, Princeps cocorum, templum & civitatem incendit, vasâ domini transtulit, Godoliam terræ præfecit, Ieremiæ libertatem & munera tribuit, & Rechabitas, quo vellent, abire permisit. Hic est *exitus regni Iudæorum*, quo regnatum est annis DXIII. & mensibus VI. secundum Iosephum, à Saule incipiendo. In hac captivitate terminatur ætas quarta mundi, habens annos CCCCLXXXV. Ab anno quarto Salomonis, in quo fundatum est templum, usque ad ejus incendium, fluxerunt anni CCCCLXIII. Ab urbe condita CLXII, ab ingressu terræ promissionis DCCCLXXXII. A nativitate Abrahæ, qui fidei primacum suscepit, MCCCCXXVI. Timendum est, quod simili modo à nativitate Christi tot annis elapsis, fidei Christianæ periculum immineat, ut est cernere tempore hodierno. Ista captivitas Iudæorum juxta prophetiam Ieremiæ, duravit LXX. annos, usque ad annum Darii secundum. (Iste Nabuchodonosor, anno regni sui super Ægyptum, vidit visionem de statua, & post aliam de arbore; regnavit autem XLIII. annis in Chaldæa & Assyria.) Mortuo autem Nabuchodonosor illo magno, regnavit filius ejus, secundus *Nabuchodonosor*; & eo rursus mortuo, regnavit frater ejus, & filius primi, *Evilmerodach*.

### ÆTAS QUINTA.

Quinta igitur ætas, incipiens à captivitate Iudæorum in Babylon, continet annos (r) DXC. usque ad Christum. *Massilia* condita est secundo anno Sedechiæ, cujus (s) gladius, quo noxii jugulantur, adhuc ibi servatur innoxius, ut dicit Valerius lib. III. Eorum urbem nemo ingreditur cum telo: est enim civitas severitatis custos acerrima. *Tarquinius Priscus* regnavit Romæ annos XXXVII, quintus in ordine. Hic primus fecit cloacas & Capitolium Romæ, sic dictum, quod caput ibi sine corpore fuit inventum; & ludos instituit, & Græcam eloquentiam Italicis artibus miscuit. Natus est Corinthi.

ASTYAGES VIII. Medorum, regnavit annos XXXVIII. cujus annus VIII. fuit XI. Sedechiæ & primus destructionis. Iste Astyages crudelis, & inhumanus, cuidam principi suo, cujus nomen erat *Arpalus*, unicum filium suum occidit, & comedendum appo-  
fuit: offensisque capite & manibus, Arpalo improperavit, quod filium comedisset. Iste Astyages vidit in somnis, quod de filia ejus nasceretur vitis, quæ totam Asiam occuparet; & accepit à convectoribus, se habiturum nepotem ex filia, qui dominus fieret Asiæ, & ipsum dejiceret à regno. Quod timens, dedit filiam plebeo cuidam in uxorem, ne filius ex ea nasceretur nobilis & potens. Insuper & natum ex ea jussit occidi. Parvulus igitur à pastore inventus, vocatus est *Spartagus* i. e. catulus, quia canicula præbuit ei tunc ubera. Qui grandiusculus, factus est Rex puerorum, & tandem adolescens, armiger potens & fortis, & hostis

(r) MS. C. habet DLXXXVI. (s) Valerius lib. 3. dicit, quod in civitate Massiliæ tempore Zedechiæ fuit unitas pacis & amicitie, sic quod nullus malus ibi fuit, qui causâ sine malitiæ pœna ulla fuit dignus: sic, quod eorum gladius fuit innoxius usque ad tempus Octaviani. in MS. C. alia manu.



hostis Regis Astyagis (t). Ejus anno XVI. *Alcetas* VIII. Rex Macedonum cœpit regnare, & regnavit annos XXIII.

EVILMERODACH, tertius Nabuchodonosor, successit patri, anno captivitatis Iudæorum IX. & regnat annos XII. Sublevavit caput *Ioachim* Regis Iuda de carcere, quia secum erat incarceratus à patre suo, eo quod regnum arripuit patre sensu privato: corpusque patris mortui, consilio Ioachimi, divisit CCC. vulturibus; ne, sicut fecisse videbatur, à modo resurgeret. Versus:

*Nunc alter Nabuchodonosor pro patre resedit.  
Post menses denos, qui sua fata dedit.*

Post quem venit Evilmerodach; & hic fecit hortum mirabilem & suspensibilem propter uxorem, ut inde videret rerram Medorum, de qua fuit nata. Ille dicitur fortitudine & operum magnitudine Herculem transcendisse. Obsedit Tyrum civitatem annis tribus & X. mensibus, habuitque tres filios, scilicet *Regusar*, *Labusar* & *Balthasar*, quorum unus regnavit post alium, & simul isti quatuor regnaverunt XXI. annis. (Quia tantum temporis fluxit à nono anno captivitatis Iudaicæ, in quo Eusebius ponit mortem Nabuchodonosor, usque ad annum primum Cyri, quo Balthasar occisus est.) Versus:

*Terna fuit proles Evilmerodach senioris  
Post obitum fratrum Balthasar astatulit.*

(Balthasar enim regnavit in Babylone, & Astyages in Perside & Media. Nolens ipsi Balthasar tributum dare consuetum, nolensque Cyrum nepotem ex filia regnare post se: Darium filium fratris sui adoptavit in filium, qui Cyro resisteret. Sed ambo victi sunt à Cyro. Cyrus tum suam ostendens nobilitatem, Astyagi dedit regnum Hyrcanorum, & Dario regnum Medorum, Principatum transferens ad Persas Balthasar. Ab isto Dario, qui ejus nepos erat ex fratre, & à Cyro, obsessus, fecit convivium grande, in quo vidit manum &c.) Sub isto fuit Sufanna. *Tullius Servilius*, qui filius captivæ, VI. Romanorum regnavit annos XLIII. Ipse tres montes addidit urbi, primumque censum ordinavit, fueruntque Romanorum tunc cives XCIII. millia, cum iis qui in agris erant.

3405 CYRUS nepos Darii ex forore, & nepos Astyagis ex filia, Medorum imperium, postquam stetit per annos 229. transtulit in Persas, cœpitque regnare ab ortu Moyfis MXXX. ab imperio Nini MCCCCXCVII. à captivitate Iudaica tricesimo primo, regnavitque annos (u) XXXI. Captivavit Astyagem. Ille enim immemor sceleris, quod fecit Arpalus, præfecit eum exercitui suo contra Cyrum. Arpalus autem memor sceleris, persuasit populo, ut Spartagum eligerent in Regem, quod factum est; & vocatus est *Cyrus*, i. e. hares, tuncque Arpalus tradidit se Cyro cum toto exercitu, Astyagi rebellando propter scelus præfatum. Astyages autem alium exercitum colligens, Persas fugat. Cumque fugerent, matres eorum & uxores obviantes, pudendis apertis, dixerunt; numquid fugientes vellent redire in ventres. Sicque territi & animati, reversi sunt ad bellum, & victoriam adepti. Tum Cyrus avum captum, non ut hostem, sed ut patrem, præfecit Hircanis. Sicque Monarchia Medorum pervenit ad Persas. Cyrus igitur primo anno suo, scilicet (x) trigésimo captivitatis Iudaicæ, remisit Ierusalem circiter quinquaginta millia, quibus præfecit *Zerobabel*, natum de regia profapia, filium Salatiel; & *Iesum*, filium Iosedech, summum sacerdotem, qui structo altari fundamenta templi jecerunt; restituit que vasa aurea & argentea quinque millia quadringenta, ut est I. Esdræ I. & 2. & II. Esdræ V. Inde Cyrus petiit bello Babyloniam caput imperii, ipsamque cepit anno regni sui XX. ab U. C. ducentésimo quadragésimo quarto, captaque tanta civitate, *Crasum* Regem Lydorum potentissimum (bello petiit ac cepit, rogoque imposuit cremandum. Sed nimia vi imbrium rogas extinctus est, & ille liberatus:) Postea reparato bello ab eodem Cyro vita regnoque privatus. Post tot triumphos autem in superbiam elatus, Scythiam petiit cum exercitu ducentorum millium, interfecitque C. millia virorum cum filio reginæ. Sed postea ab eadem, scilicet *Thamira* regina Massagetarum, id est, Scytharum seu Gothorum deletus est, adeo, ut nec tantæ cladis nuntius remaneret. Capite quoque ejus in utrem, plenum humano sanguine, misso, fertur dixisse: Satia de sanguine, quem sitisti, cujusque per annos XXX. infatiabilis perseverasti. Ecce vir, totius Orientis triumphator, quem etiam Esaias Christum vocavit, ab infirma muliere cum tanti exercitus multitudine deletur. Quid ad hoc dicemus, qui mundo volumus inhærere? Ne dicam cernere; imo palpare, quam misera sit mortalium conditio, possumus. Versus:

K k k k k 3

Venit

(t) Hic Astyages debuit tempore Spartagi bellare contra suos inimicos, & commisit suos subditos Harpago, ut essent ei subditi, tanquam advocato belli. Sed Harpagus non immemor illius, quod ei dudum fecit de puero suo: communi populo consilium dedit, ut Spartagum eligerent in Regem, quia esset audax juvenis & bellicosus: quod sic factum est. Deinde idem Spartagus vocatus est Cyrus. Alia manu in MS. C. (u) XXX. MS. C. (x) nicefimo primo MS. C.



*Venit Amazonida celebris regina Thamira,  
 Quæ gladio dira fuit & certamine mira,  
 Et potuit mirum subdere Marte virum.  
 Ipsa caput Regis sub eodem sanguine merfit:  
 Dicens, tolle, bibe, pravi gula pessima Regis,  
 Sanguinis es sitiens, sanguine merfa bibe.  
 Tempore quo regnat Cyrus, Rex ille Medorum,  
 Roma ducentorum fuit anthorum, sed eorum,  
 Prælia Gallorum diripere solum,*

Claudia virgo Vestalis, pro stupri crimine accusata, ac se purgare dedignata, humiliter in vadum Tiberis ivit, navis proram Zonula sua ligavit, & ait: Si virgo sum, sequere me. Mox navis mota, Romam ingressa est. Daniel vixit annos (y) XC. iub Cyro sepultus solus in spelunca regia cum gloria. Tarquinius dictus *Superbus*, alias *Lucius*, anno XIII. Cyri, occiso Servilio socero suo, arripuit regnum Romanum, & regnavit annos XXV. Hic excogitavit vincula, carceres, compedes, exilia & catenas. Post alia crudelia, quæ fecit, quia non vindicavit castissimam Romanam, Bruti filiam, nomine Lucretiam, à filio suo Arunte violatam, regno ejectus est à Romanis. (De hac Lucretia dicit Augustinus 2. libr. de Civ. Dei cap. 8. Hæc præsentibus amicis dixit viro suo: O collatine, scias, licet violatum sit corpus, innocens tamen est animus. Ideo à culpa me absolvo, à pœna non libero, ne aliqua impudica vivat exemplo Lucretiæ. Quæ voluerit exemplum fumere à culpa, ne negligat exemplum fumere à pœna; & gladio, quem habebat sub chlamide, se manu propria transfixit. Collatinus enim fuit maritus ejus, potens tunc Romanus. Versus:

*Cum foderet ferro castum Lucretia pectus,  
 Sanguinis & torrens egrederetur; ait:  
 Procedant testes, me non favisse tyranno,  
 Sanguis apud manes, spiritus ante Deum.*

Propter hoc & propter alia mala Romani cives Reges deponentes, consules statuunt.) Ab urbe enim condita anno CCXLIII. Tarquinio expulso Consules Romæ facti sunt Brutus & Collatinus etiam dictus Tarquinius, propter quod statim dignitas ei sublata est. Placuit enim Romanis, ne quis in urbe Tarquinius vocaretur. Sumto ergo patrimonio suo ex urbe migravit, & in locum ejus Consul factus est Valerius, de quo in Cambyse. Tarquinius autem fugiens, bellum movit contra Romanos, de quo ibidem. Versus:

*Post socerum jam Tarquinius venit ille superbus,  
 Et Romam urbem parat, feritate protervus.*

(Nota, expulso Tarquinio, Senatores per unum annum singuli quinque diebus rempublicam obtinent. Dehinc pro uno Rege constituti sunt duo, & primo vocati sunt Consules; deinde Dictatores; exhinc Tribuni Plebis & rursus Consules usque ad Iulium. Ideo vero creati sunt semper duo, ut, si unus malus esset, alter æque potens eum corrigeret. A. Fuit autem tempus ab isto Bruto usque ad Iulium 475. annorum.)

CAMBYSES, filius Cyri, dictus Artaxerxes, Assverus & Nabuchodonosor, (habuit enim quatuor nomina) Persæ secundus, cœpit regnare anno quintæ ætatis LX. regnavitque annos VIII. Nota tamen, Cambyse cum patre prius regnavit annis XII. dumque Medus quidam, *Arfaxat* nomine, Medis imperaret, iste Cambyse eum superavit, anno regni sui XIII. ut patet Iudith. 2. Hujus Regis Dux fuit *Holofermus*, quem occidit *Judith* castissima; fueruntque contemporanæ duæ castissimæ, Iudith in Iudæa & Lucretia in Roma. Hic Cambyse templum Ierusalem ædificare prohibuit. Habuit etiam judicem injustum, quem fecit excoari, & super fellam, cute patris coopertam, filium sedere, ut timeret injuste judicare ne similia pateretur. Versus:

*Sede sedens ista iudex inflexibilis ista,  
 A manibus refecit munus, ab aure preces.  
 Sis tibi lucerna pellis sedesque paterna,  
 Qui resides natus pro patre sponte datus*

Cambyse iste novam Babyloniam instauravit in Ægypto, quæ prius *Memphis* dicebatur, ubi dicitur esse ortus Balsami. Valerius dictus *Lucius Publicola* & *Brutus*, Consules Romani bellum egerunt contra Tarquinium, in quo bello Brutus & Aruns Regis filius invicem se occide-



occiderunt. Romanae igitur matronae Brutum, pudicitiae defensorem, per annum luxurunt. (Brutus iste Consul proprios filios, virgis caesos, securi percussit, quia dominationem Tarquinii expulsi reducere volebant. Augustin. 8. de Civit. Dei. Ipse etiam, cum Tarquinius regnaret, stultum se simulavit, ut Tarquinii malitiam evitaret. Unde Ovidius:

*Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset  
Tutus ab insidiis dire superbe tuis.*

Valerius ille & Marcus Pulvillus, qui & Horatius dicitur, secundum Valerium lib. 5. simul erant consules, & cum aedes Iovis in Capitolio dedicari deberet: sortiti sunt, quis eorum dedicaret. Sors autem evenit Pulvillo; quod aegre viderunt amici alterius. Ideo ut eum impedirent, ordinant, ut quis falso nuntiaret, filium ejus defunctum; ut propter funus non posset dedicare. Ipse autem in facto procedens, iussit filium abjici in sepulchrum, quod fuit magnae constantiae secundum Augustin. de Civit. Dei. lib. 5. cap. 18.) Valerius autem, Lucretium, patrum Lucretiae, collegam sibi fecit; quo statim mortuo, Horatium Marcum Pulvillum assumpsit. Ita primus annus quinque Consules habuit. (Valerius iste adeo plebem dilexit, ut Plebicola (Publicola) cognominatus sit. Aedes suas dirui fecit, quod excellentiores ceteris apparebant, adeoque pauper mortuus est, ut collatis a populo nummis sumtus haberet sepulturae. Tarquinius (z) fugiens a Roma, pervenit ad Porfennam Regem Tuscorum, cujus auxilio urbem obsedit tribus annis: cepissetque urbem, nisi Mutii manum adurentis patientia, Cleliaeque virginis audacia territus fuisset. Mutius enim cum aliis juravit, se Tarquinium interfectorum, sicque exercitum ejus quasi nuntius ingrediens, quem Regem putavit, occidit. Et quia verum non tetigit, manum propriam exussit; (a) unde & Mancus nominatus est. Porfenna igitur. Revertere ad tuos, inquit, Muti, & eis refer, te, dum vitam meam petieris, a me vita donatum. Valerius. De eo etiam Seneca ad Lucilium epist. 24. Mutius ignibus manum imposuit. &c. sed facilius Porfenna Mutio ignovit, qui voluerat occidere, quam sibi Mutius, quod non occiderat. Clelia autem, cum esset una de obsidibus Romanorum, clam de castris lapsa, Tiberim transnavit: quae Rex videns, ab obsidione discessit, sicque Romani Mutii consilio triumphabant.

Dioclis Ducis Atheniensis frater, cum virginem quandam violasset, a fratre puella interfectus est. Interfectos cum Diocli cogere nominare consocios, multosque amicos tyranni nominasset: interrogatus, an aliquis adhuc de consociis superesset, respondit, neminem esse, quem amplius mori vellet praeter ipsum Tyrannum. Cujus virtute civitas admonita, tyrannum egit in exilium. Simile fecit Zeno Philosophus, dum quidam Tyrannus torqueret eum, ut consocios proderet. Neminem nominans increpavit populum, quare tyrannidem illius tam diu toleraret; & adeo populum incitavit, ut tyrannum, licet Dominum suum, lapidarent. Anno Cambysis VII. Persae obtinuerunt Aegyptum CXI. annis, sicque cessavit ad tempus regnum Aegypti.) Anno nono post exactos Reges nova dignitas Romae creata est, scilicet *Dictatura*, & primus Dictator fuit *Largus*. Eodem anno Magister equitum factus est *Cassius Spurius*. Anno XVI. post Reges exactos plebs Romana Tribunos sibi constituit. *Pythagoras* Samius, & *Socrates* Philosophi floruerunt.

MAGI obtinuerunt regnum Persarum vix per annum. Mortuo enim Cambyse sine filio, & fratre suo *Mergo* adhuc puero: VII. Magi custodiebant Palatium, & ordinaverunt regnum; quorum unus nomine *Hermeides* puerum *Mergum* suffocavit in templo, & fratrem suum, *Mergo* coetaneum, Regem constituit, & sic septem mensibus regnavit. Reliqui sex Magi hoc ignorantes, & de puero dubitantes, per mulierem cubiculariam occulte tentare fecerunt, an aures puer haberet: & deprehensum est, illum utraque carere. *Cambyse* enim pro crimine fecit illi abscindi. Quo cognito, Magi *Hermeidem* & fratrem ejus occiderunt, mittentes sortem, quis eorum sex regnaret. Sors autem talis erat: Cujus equus prius hinniret, illis euntibus ad templum, talis regnaret. *Darius* autem, unus ex istis sex, consilio *Zorobabel*, equo suo, cum equa per noctem servato, de mane hinniente, sublimatus est in Regem, accepta filia *Cambyse* in uxorem.

DARIUS iste Magus, filius *Ydaspis*, quartus Rex Persarum, (pius in Deum, benevolus in Judaeos, prosperatus est in omnibus; vastat Aegyptum, quae sub *Cambyse* recesserat.) Coepit regnare post Urbem conditam anno CCLXII. & anno quintae aetatis LXVIII. & regnavit annos XXXVI: in cujus secundo anno, qui fuit LXX. captivitas Judaicae, alii dicunt CXIX, *Zacharias* coepit prophetare, & statim post eum *Aggeus*. Vovit autem *Darius* prius Deo, si Rex fieret, Judaeos relaxare. *Zorobabel* autem solvens parabolam de tribus fortibus, movit Regem vovum id implere; quod & fecit, captivitatem relaxando, ut patet I. Esdrae

(z) Iste Tarquinius expulsus a Romanis eo, quod filium non correxit de malo, quod perpetravit contra Lucretiam. Alia manu in MS. C. (a) manum suam posuit in lebetem, igne plenum, & combussit, eo, quod juramentum suum non perfecit. ibid.



Esdræ VII. Tuncque consummata est domus Domini XXIII. die mensis Adar, anno Darii VII. & completum est templum XLVI. annis: quia tantum tempus fluxit à prima licentia, quam dedit Cyrus usque ad VII. annum Darii. Josephus tamen addit adhuc tres annos, quibus peribalus & quædam alia templi facta sunt. A templi vero constructione sub Salomone, usque ad istam restaurationem fuerunt anni DXIII. ut dicit *Honorius*. (Et communiter ab illa restauratione usque ad XV. annum Tiberii, quo Christus cœpit prædicare, sunt anni DXLVII; quia secundus annus Darii fuit LXV. Olympiadis annus primus, & XV. Tiberii fuit CCC. Olympiadis annus quartus. Ergo inter secundum annum Darii & XV. Tiberii fuerunt Olympiades CXXXVI, quæ faciunt annos DXLVI. quadriennio in una Olympiade supputato. *Frecolpus* etiam Episcopus in Chronico suo dicit: ab ista instauratione templi usque ad Hircanum, cui successit Herodes alienigena, anni sunt CCCCLXXXIII, & sunt in Daniele hebdomadæ VII. LXII, quæ LXIX. hebdomadæ faciunt annos CCCCLXXXIII.) Tunc summus sacerdos (b) Jesus; filius Josedech erat Judæorum, iste Jesus dicitur Josue, II. Esdræ XII. (ubi dicitur: Josue genuit Joachim, (est enim iste Heliasit) qui Jonathan, qui Zedona, qui dictus est Jaddus I. Maccab. V. & fuit tempore Alexandri Magni, secundum Josephum & Hugonem super Esdræ. Joachim autem filius Jesu fuit Pontifex XXVI. annorum, & cœpit ætatis quintæ anno LXXIV.) Darius autem, cum nuptias filie Regis Scytharum petitas non obtineret, bellum eis intulit, armatisque DCCM. Scythiam ingressus, amissis LXXX. millibus, refugit. Inde Athenienses invadens, careros amisit. Cum autem rursus bellum instauraret, mortuus est in via. Apud Macedones regnavit Alexander annos XLIII. Tunc floruerunt Philosophi *Democritus*, *Anaxagoras*, *Heracletus* tenebrosus, *Epicurus*: & obiit Pythagoras anno Darii XXIII.

XERSES regnat annos XX. Cœpit à reedificatione templi A. XXIX. ætatis quintæ CV. Iste Xerxes bellum *Atheniensibus* parans cum innumerabili ac incredibili populo, utpote ad mille millia pugnatorum, MCC. naves rostratas, & ad tria millia navium oneratarum, Regem Spartanorum invasit. Habuit enim de regno LXXM, & ceterum populum auxilio aliorum. Cui Leonida Rex Spartanorum cum paucissimis i. e. quatuor millibus occurrens in locis arctis, triduo pugnavit sic, quod tandem; Leonida dicente suis: Pugnate fortiter, hodie cum inferis cœnaturi; simul omnes utrinque perierunt, solusque Xerxes, uno comitatus cliente, vix evasit: sicque Xerxes infeliter pugnando, occisus est à suo præfecto Artabano. Sic sub duobus istis præcedentibus Regibus de illius tantum regni visceribus decies novies centena millia capta reperies vel occisa. De hoc Xerse dicit *Trogus Pompejus* lib. II. Primus in fuga, postremus in prælio. Artabanus autem regnavit menses VII. Tunc floruerunt Poëta: *Pindarus*, *Sophocles* & *Euripides*; Item Philosophi: *Diagoras*, *Protagoras*, *Empedocles*, *Themistocles*, *Parmenides*; Item *Aristarchus* Tragædus, & *Gorgias* Rhetor, qui librum pulchrum de concordia Græcis composuit, sed Melanthius eum derisit, dicens: Hic nobis de concordia præcipit, qui se & uxorem cum ancilla, tres tantum in una domo, concordare non potest. Uxor quippe cum ancilla castissimum virum cotidianis jurgiis exagitabat, ut ait *Hieronymus* lib. I. contra Jovinianum. Nobiles etiam Romani ex Fabia familia, simul omnes ad bellum profecti, contravenientes penitus extincti sunt, uno tantum superstitite, qui propter ætatem puerilem ad pugnam duci non poterat.

3510. ARTAXERSES, Macrochir cognominatus, i. e. *Longinamus*; qui servos Dei dilexit, regnum suum optime rexit, & regnavit annos XL. Cœpit anno quintæ ætatis CXXV. Verfus:

*Longinamus dictus Artaxerxes orbe refellit,*  
*Scriptaque Judaica tunc Esdras cuncta refecit,*  
*Nam gens Chaldaica scripta cremavit ea.*

Esdras autem, missus ab eodem Rege in Judæam anno regni ejus VII. scriba velox de tribu Aaron, legem combustam à Chaldæis, tanquam alter Moyses, renovat: Literas quasdam Hebraicas invenit, & scribere docuit à dextris in sinistram, quia prius ab ante retro scribebant, sicut aratores erant. Post illum missus est pincerna Regis Atarsata, alias dictus *Nemias*, anno regni illius XX. qui & præfuit populo post Zorobabel, quasi Princeps & dux. Post istos autem, usque ad Johannem Baptistam, non surrexit Propheta in Israël, excepto Jesu Sirach. Anno istius Regis XIII. census in urbe habitus est, & inventa sunt civium capita CXIX. millia. Tunc & *Lucius Quintius* Dictator factus est, qui agrum IV. jugerum possidens, manibus suis colebat. Is ab opere arandi, sudore deterfo, togam prætextam accepit, & cæsis hostibus victor rediens, reversus est ad agrum. Tunc Pontifex erat Judæorum *Eliasib*, filius Joachim, annos XXXII. Anno Regis istius XIV. ab urbe condita CCCII. *Decemviri*

(b) Hæc in MSC. C. leguntur ita: Tunc summus Sacerdos Jesus, filius Joachim, erat Judæorum. Iste pater Jesus dicitur Josue II. Esdr. XII. ubi dicitur Josue genuit Joachim, qui & Judas, & iste Heliasib; qui Jonathan, qui Jedoua, qui dictus est Jaddus I. Macc. V. &c.



*centuri* à Romanis creati sunt, & cessat Consulatus. Sed propter Appium Claudium, unum ex decem, qui virginem stupravit, sequenti anno sunt ejeti: & *Pompilia* Virgo Vestalis de stupro accusata, viva fuit defossa. Tunc & leges Atheniensium Solonis in Latinum translatae, decem tabulis expositae sunt, quibus Romani duas addidere, & sic duodecim tabulae nominantur. (Anno secundo illius Regis Regnum Persarum stetit CXIII. annis, & erat 139. annus captivitatis. A.) Post mortem Longimani regnat XERSES filius ejus duobus mensibus, & post eum *Sogdianus Argus* menses VII.

3540. DARIUS Nothus, decimus Persarum, regnavit annos XIX, cepitque anno aetatis quintae CLXV, à reedificatione templi anno 90. Hic est *tertius Darius*: nam primus fuit Medus, avunculus Cyri; secundus Magus, filius Ydaspis. Anno tertio Darii fuit terrae motus magnus in Sicilia, æstuante *Ætna* monte, cum detrimento villarum & agrorum. Atheniensium quoque reliquias pestis miserabiliter invasis, diu populata. *Horestes* regnavit apud Macedones tribus annis, & cepit anno Darii XVIII. Lacedæmonii condiderunt mirabile theatrum, quod inter septem mirabilia mundi ponitur, de uno monte marmoreo, ita sculptum, ut omnes cellulae & muri ex uno lapide facti sint, totumque theatrum super septem cancos, de lapide sculptos, appenderet, & nemo in gyrum tam secrete cum aliquo loqui poterat, quin omnes in habitaculo isto audirent ubique. Helinandus. Sub hoc Dario recessit Ægyptus à Persis, & rursus cepit Ægyptiorum Dynastia. Idem Darius morte sua Athenienses expugnavit, duos filios relinquens, scilicet Cyrum, qui pro regno contendens, interfectus est à fratre Artabero. Plato Philosophus & magister Aristotelis nascitur, anno XLIII. Socratis, magistri sui. Alcibiades Socraticus, ab Atheniensibus suis convitiis fugatus, per fugit ad hostes Lacedæmones, & ab eis benigne susceptus est. Eudoxius Astrologus floruit & *Ipocras*. Judas erat Pontifex Judæorum annis XXV.

3560. ASSWERUS *Artaxerxes* Mnemon, filius Darii, regnavit annos XL. ab India usque Æthiopiā, super CXXVII. provincias, cepitque anno quintae aetatis CLXXX. Sub hoc fuit historia *Hester*. Justinus & Trogus dicunt, eum habuisse CXV. filios. Anno ejus X. Græci ceperunt uti XXIV. literis, cum antea tantum haberent XVI. Et sequente anno Socrates venenum bibens obiit, quia Deos colere noluit. Anno ejus quarto cepit regnare *Amyntas* apud Macedones, & regnavit annos VI.; & post eum *Arcaus* annis duobus; quem secutus est alter *Amyntas* annis XVIII. Inde *Alexander* annum unum, & post eum *Ptolemaus* annos IV. Inde *Perdicca* annos VI. Ab urbe condita anno CCCXXXIII, Vejentanis rebellantibus Romanis, *Furius Camillus* Dictator factus, contra ipsos missus eos vicit, & civitates diu obsidens cepit. Commota autem contra eum invidia, quasi prædam male divisisset, expulsus est ab urbe; & statim anno Assverus XVII. Senones Galli Romam invaserunt, auferis clangore deprehensi. De quo *Ambrosius* lib. V. Exaem: *Merito debes anseribus Roma, quod regnas. Dii tui dormiebant, & anseres vigilabant. Illis porius debes sacrificare, quam Jovi.* Orosius. Camillus prædictus, à Romanis expulsus, eis supervenit in adiutorium, Gallos contrivit, aurum & omnia, quae ceperant, eis abstulit, & urbem ingressus appellatus est *secundus Romulus*. (Pro quo nota: *Brenno, Brennius vel Brennus* apud Senonas urbem Galliae regnabat. Ad Italiam veniens, eam partem Galliae, quam occupavit, Senogalliam nominavit, & exercitum in tres partes divisit. Centum millia eorum, Græciam invadentes, extincti sunt. Alia centum millia à Rege Bythiniae vocati in auxilium, partem regni obtinentes, Galatae vocati sunt. Alia centum millia in Italia *Ticinum* condiderunt, quae nunc dicitur *Papia*; *Mediolananum*, quae interpretatur quasi media lana, eo quod, cum ædificaretur, sus ibi reperta est, habens lanam pro media parte propilis. Item condiderunt ibidem *Pergamum* & *Brixiam*. Cumque *Clusium* civitatem Tusciae, Romanis fidelem obsiderent, Romanique manderent, ut ab amicis & sociis eorum recederent: ex hoc commoti sunt, Romanique adversus eos abeunt, & occurrens eis *Fabius* Consul, cum suis occisus est. Iste *Fabius*, cum à patre, & avo, & proavo consulatus gestos adverteret, constanter egit cum populo, quantum potuit, ne amplius hujusmodi honor *Fabiae* genti traderetur: non quasi de virtutibus filii diffidens; erat enim illustris; sed ne imperium in una familia contraheretur. Idem, cum ipsi totius senatus consensu honor deferretur, ait: alium vobis quaerite, ad quem hunc honorem transferatis. Nam si eum me gerere cogeretis, nec ego mores vestros, nec vos meum imperium ferre poteritis. *Valer.* lib. 3. Gallis igitur mœnibus appropinquantibus, Romani seniores, trabeis & amplissimo cultu vestiti, in curulibus ac sellis propriis se posuerunt, ut, cum hostis venisset, cui nequaquam se posse resistere cognoscebant, unusquisque in sua dignitate moreretur. Juventus autem, quam constat, vix mille hominum fuisse, duce *Manlio* arcem Capitolii infedit. Aderant Galli, apertamque urbem intrant, ibi sedentes prætextatos senes, velut Deos venerati. Mox eosdem, postquam homines esse liquerant, pari vecordia mactant, facesque relictas injiciunt, & totam urbem igni ferroque vastant. Sex deinde mensibus Capitolium obsederunt, & *Manlius*, ut hostibus spem dederet, quamquam in summa fame, tum ad spem fiduciae, panes & arce jaculatus est. Tandem



dem cum obsidio Gallos fatigaret, mille pondo auri recessum suum vendiderunt: & postquam recesserant, pene sunt extincti circa annum ab urbe condita CCCL. Versus:

*Cum loquimur Senones, hoc Senna parit tibi nomen,  
Indeque sunt Senones, qui quondam mania Roma  
Vicerunt, quorum Brennus erat Dominus.  
Romano jam sopito pro tempore bello,  
Eligit armatos bis centum millia Brenno;  
Migrat & ad Danaos, & cito vincit eos.  
Centum millia tunc posuit Gracis dominari,  
Quos hodie Galatas dat Graca loquela vocari.  
A Gallis Galatas publica fama vocat.  
De Gracis salit ad Delphos Brenni comitatus  
Haud procul à Thracia, sola feritate vocatus.  
Idola magnorum videt undique multa Deorum;  
Magnus erat cultus, major thesaurus eorum.  
Miror, ait, pater ille senex imberbis habetur,  
Aurea sed nati pueri cur barba videtur?  
Dedecus est patri; nolumus ista pati.  
Omnia sic rapuit, stant corpora nuda Deorum.  
Hunc ego non patiar, dixit Apollo, dolum.  
Albis virginibus ulciscar dedecus illud;  
Brenno luet, populusque ruet, nobis quoque pristus  
Restituetur honor, quem modo tollit homo.  
Alpibus ingeritur Dux, ad Galatas rediturus  
Obruitur nivibus, subito casu moriturus:  
Deperit in nivibus miles ubique suus.  
Albis virginibus tunc ultus Apollo putatur,  
Dum mediis albis nivibus Dux ipse necatur.  
Sic responsa Dei vera videntur ei.*

Omnes enim nivibus oppressi riguerunt; ut mortui, quasi viventes, stare viderentur, nec ullam esset procul intuentibus mortis indicium. Quidam enim stipitibus, alii faxis, alii suis armis innitentes, sunt extincti. H. Roma tunc decem continuis annis obsessa; hinc à Gallis capta est & incensa. Simile scribit Valerius de Dionysio Siculo, qui dictus est tyrannus. Iste mensas aureas & argenteas sustulit à fanis: cumque in his scriptum esset, bonorum Deorum eas esse, dixit, se velle eorum uti bonitate. Sacrilegia enim sua joco condidit. Nam detracto Jovi aureo amictu, & injecto ei laneo, joco dixit: æstate gravem esse aureum amictum, hieme frigidum: laneum autem ad utrumque tempus aptum. Coronas etiam tollens à simulacris dixit: stultum esse nolle sumere ab his porrigentibus, à quibus bona precamur. Idem barbam auream detraxit Æsculapio, dicens: non convenire, ut Apollo pater imberbis esset, & filius barbatus. Hujus Dionysii cum omnes Syracusani interitum optarent, quædam senectutis ultimæ femina sola Deos orabat, ut sibi superstes esset. Quod audiens Dionysius, admiratus interrogavit causam. At illa: puella, inquit, cum essem, & gravem tyrannum haberem, eo carere cupiebam. Successit pejor illo: quo cum carere cuperemus, tertium te, importunioris cæteris, cepimus habere. Timens ergo deteriore tibi succedere, caput meum pro tua salute devoves. Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit. Idem cultros tonsorios metuens, crines adussit carbonibus. De Dionysio Tyranno narrat Tullius lib. 1. Tuscul. quæst. Cum amicus ejus Demænetus eum laudaret ac beatum diceret, respondit: vis experiri fortunam meam? Eoque dicente, se velle: jussit eum locari in loco aureo, mensamque opulentissimam cum ministris preparari. Cumque omnes adessent delicæ, & Demænetus jam fortunatus videretur: jussit Dionysius fulgentem gladium, seta equina appensum, dimitti, ut ejus capiti immineret. Cum ergo ille nihil delectabilium aspiceret præ timore, ne gladius super caput ejus caderet; dixit tyrannus: talis semper est vita mea, quam felicem putabas. Ille vero exorabat, ut abire liceret. Hæc ille. Successit ei filius, Dionysius junior, qui tandem propter inopiam literas docuit puerulos.) Assverus anno regni sui XIII. præcepit per Legatos, universam Graciam ab armis discedere & in pace quiescere. Tunc floruerunt Xenophon Philosophus, Diogenes Cynicus, Architas Tarentinus & Speusippus. Anno etiam Assveri XXIII, (d) magnus Aristoteles, Philosophorum Princeps, agens annum XVIII. audivit Platonem.

3600. ARTAXERSES Ochus, dictus etiam Cyrus, filius Assveri regnavit annis XXVI. cœpitque ætatis quintæ anno CCXXV. Reduxit Ægyptum ad Persas, sicque Sidone, Ægypto,

(d) MS. C. XXXIII.



pro, Syriaque subactis, plurimos Judæorum, quos Salmanassar captivaverat, juxta Caspium mare coëgit habitare. Nam Pontifex Judæorum *Johannes*, qui & *Jojada*, filius Judæ, fratrem suum *Jesum* interfecit; propter quod *Vagosus* dux *Ochi*, qui *Jesum* dilexit, templum violavit, & Regem induxit, ut Judæos sic tribularet. Ab urbe condita anno 400, *Philippus* Macedonum 23us. Anno *Ochi* X. *Philippi* Regis Macedonum VI. & *Nectanebi* Regis *Ægypti* XI. anno ætatis quintæ CCXXXV. natus est *Alexander Magnus*; cujus pater *Philippus*, ut putabatur, regnavit annis XXV. Cepit *Bisantium* urbem *Spartanorum*, multisque bellis feliciter gestis, dum inter duos *Alexandros*, filium videlicet & generum, filia suæ nuptias magnifice celebraret, à quodam nobili, nomine *Paufania*, dolo necatur. Anno *Ochi* XXI. *Plato* moritur, cui successit *Speusippus*, nepos *Platonis* ex sorore. Tunc etiam floruit *Hermes Ægyptius*, *Demosthenes* Orator, *Aristides* Rhetor, *Termeisius*, *Plotinus*, & *Isocrates* Orator, qui XCIII. agens annum, composuit opus, ardentis spiritus plenum, ut dicit *Valerius* lib. VIII. (Dicitur etiam *Plotinus* Philosophus scripsit librum de virtutibus, in quo dixit, veras esse divitias, quibus ornatus posset auctoritatem propriæ originis invenire. Pestilentia viguit. Specus etiam apparuit Romæ, vivi hominis expectans præcipitium, ut *Dii* consulti referebant. Satisfecit monstruosæ specui miles armatus *Marcus Curtius* se præcipitando, morteque sua voraginem clausit horrendam. *Marcus Crassus* semel in vita scribitur risisse, ut dicit *B. Hieronymus* ad *Demetriadem*.) Ab urbe condita CCCLXV. pro duobus Consulibus facti sunt Romæ Tribuni militares, quorum potestas post tres annos cessavit, rursusque Consules facti sunt, *Lucio Semicio* & *P. Servilio* Consulibus. Tunc mortuus est *Camillus*, cui honor, ut *Romulo*, delatus est. Legati *Carthaginensium* cum *Romanis* fœdus inierunt. Tunc & *Arminum* & *Beneventum* urbes conditæ sunt à *Romanis*. (*Manlius Lucius* singulare bellum gessit cum quodam Gallo, quem occidit, torquem ejus vi ablatam sibi imponens: unde *Torquatus* appellatus est. Hic proprium filium occidit, eò, quod contra patris imperium, honoris cupidus, hostes invalit, quos tamen vicit. Tunc etiam CLXX. matronæ damnatæ sunt propter potionem intoxicatam, quam maritis suis paraverunt. Eisdem diebus quidam ex *Gallis*, *Furio* nomine, aliquem ex *Romanis*, qui optimus esset, ad singulare certamen provocabat. Tunc *Marcus Valerius* tribunus militum se obtulit: & cum processisset armatus, corvus ei super dextrum brachium sedit; moxque commissa pugna, idem corvus alis & unguibus oculos *Galli* verberavit, ut in directum prospicere non valeret. Ita *Valerius Gallum* occidens, victoriam, & nomen, ut *Corvinus* diceretur, obtinuit. *Euseb.*)

**ARSAMUS** vel *Arfes*, *Ochi* filius, quem *Justinus* in *Chronica* non numerat inter Reges, quia nil fecit, sed statim post *Ochum* ponit *Darium*, & regnasse scribitur VI. annis. Versus:

Post Ochum Regem fuit Arsamus ipse hæres:  
Arsamus interit, Darius sit regius hæres.

**DARIUS**, *Arsami* filius dictus, per omnia laudandus, dictus III. *Melas*; regnavit annis (e) VII. cœpit anno ætatis quintæ CCLVI. Iste tributum postulat ab *Alexandro Magno*, sicut recepit à patre suo *Philippo*, scribens se Regem Regum, consanguineumque Deorum, & *Alexandrum* servum suum. Ob hoc invalit eum.

**ALEXANDER**, cognominatus *Magnus*, natus *Olympia*; non *Philippi*, sed *Nectabani* Magi Regisque *Ægyptiorum*, filius, *Philippo* Patri putativo suo successit in regnum *Macedonum*, Rex 24tus, (anno mundi, secundum numerum majorem MMMMDCCCLXVIII. secundum minorem MMMDCCXXXV. à Diluvio MDCCCCLXXIX. à nativitate *Abrahæ* M. DCLXXXVII. ab exitu *Ægypti* MCLXXXI. ab excidio *Trojæ* DCCCL. à principio regni *David* DCCXLV. à fundatione templi DCCI. à destructione CCCCLXI. à restauratione CLXXXVI. ab urbe condita CCCXXXIII.) anno ætatis quintæ CCLXII. Versus:

Nectabanus Rex atque magus doctissimus ipse  
Primus Alexandri doctor fuit atque magister:  
Imo pater pueri, matre latente fuit.

Mater enim putabat, se ab idolo *Hammonis* concepisse; propterea *Alexander* dicitur filius *Hammonis*. Compositis igitur rebus in *Græcia*, & ubique inter eos pace facta: dum esset viginti annorum, paucis assumtis, sc. XXXII. peditum & VII. equitum millibus, ac CLXXX. navibus, mundum domiturus, regnum *Darii* bello vexavit. Cui *Darius* cum exercitu 600000. militum occurrit, & diversis hinc inde nuntiis & legationibus directis, & diversimodè glossatis, *Darius* superatur. Rursus vero instaurato bello, non solum *Darius* cum populo vincitur, sed & mater & soror cum parvulis abducuntur. Interea dum rur-

LIIII 2.

sus

(e) VI. MS.



fus pugnam inirent, vires Perfarum penitus concidisse feruntur, Dariusque multis confossus vulneribus, semivivus à suis relictus in via. Quem Alexander adhuc vivum reprensus, honorifice sepelivit; (volensque traditores Darii punire, juravit Alexander, se facturum excelsos & nobiles homines, qui se Darii profiterentur interfectores. Cumque rei se prodidissent, præcepit eos affigi patibulo, sicque omni ævo de perfidia sua fecit eos valde notatos, & sic regnum Perfarum, quod stetit annos CCXLV. finitur, & transfertur in Macedones, & Græcos: quod tamen diu ante steterat, sed non ita nominatum. Post hoc autem Alexander Syriam perambulans, Reges occurrentes aut perdidit aut subjugavit: Tyrum civitatem nobilissimam, sibi resistentem, cepit; Ægyptum, Ciliaciam, Rhodum & cæteras civitates in deditionem coëgit; Alexandrias urbes duodecim, nominatas à se, condidit. Cumque Ierusalem venisset, à Judæis venerabiliter acceptus, templum ingressus, Deo hostias obtulit, ac summum Sacerdotem Jaddum veneratus est; cumque sui mirarentur, cur Judæum in tantum honoraret; respondit, summi Dei, qui sibi subjugaret orbem, honorandum esse Pontificem. Cujus etiam revelatione cum cognovisset loca de se in Daniele, tributum VII. annorum relaxavit. Post hoc X. tribus Israël, Deum invocans, cujus legem abjecerant, miraculosè montibus Caspiæ, localiter motis, inclusit. Postquam autem Alexander orientem subjugavit, accessit Porum Regem Indorum miræ magnitudinis & fortitudinis, virum opulentissimum, quem singulari congressu vicit, & in signum victoriæ regno restitutum, Ducem viæ secum habuit ad videndum ultima loca terræ. De illius Pori aurea domo & argentea vinea & cæteris mirabilibus vix credibilia referuntur. Alexander igitur totius orientis victoria potitus, regnum Perfarum, quod stetit annis CCXL. transtulit in Macedones, & fuit in ordine XXIV. Rex. Dum autem Romam cum occidente sibi pararet subjugare, legatis missis rescriptum accepit à Romanis: *si Romam veneris, Romanos semper rebelles invenies.* Ab India igitur reversus in Babylonem cum esset: Legati ex toto orbe occurrentes, pacem ab eo postulabant. Mirum dictu, tantus ejus timor orbem invasit, ut cerneret inde venisse Legatos pro pace, quo vix crederes, rumore famæ pervenisse. Alexander igitur dum XII. annis regnasset, juxta tempus, sibi per simulacrum Solis & Lunæ præfixum: insidiis Cassandri ministri sui veneno periit, anno vitæ suæ XXXII. secundum Hieronymum super Danielem. Ab hoc tempore usque ad nativitatem Christi, computantur anni CCCXXXVI. De hoc dicit *Galerus in Alexandario*, sive libro de vita Alexandri:

*Humani generis à conditione notavi  
Usque triumphantis ad bellica tempora Magni:  
Annorum summa, bis millia bina leguntur,  
Bisque quadringenti decies sex bisque quaterni.*

hoc est, ab Adam IIII. millia DCCCLXVIII. sicut ad Christum restant CCCXXXI. *Isidorus* dicit lib. X. Etymol. de portentis: Alexandro creatum est ex quadam muliere monstrum, quod superiores partes hominis habuit, sed mortuas, inferiores vero diversarum bestiarum, sed viventes; significans repentinam Regis interfectionem. Supervixerant enim deteriora melioribus. Similiter Xerxi Regi vulpes ex equa creata, solvi regnum suum portendit. *Ibidem.* Epitaphia de Alexandro Magno:

*Hic jacet insectus sub saxi tegmine tectus  
Magnus & excellens, de cælo numine pollens,  
Constans natura, certus de morte futurus.  
Fervidus in bellis, rebellibus atque superbis;  
Mitibus & mitis erat hic, sine crimine litis.  
Munera larga dabat, viventia cuncta domabat,  
Victor non victus, Rex Regum culmine dictus  
Magnus Alexander, cui perfidus ille Casander  
Toxica mandavit, mortem subitamque paravit.*

Item *Demosthenes*, docens elationem fugiendam, dicit in persona Alexandri sic:

*En ego, qui totum mundum certamine vici  
Victor Alexander, vincor in hora brevi.  
Omne tenens regnum cuncto dominabar in orbe,  
Nunc me non teneo, nec mea regna valent.  
Reges sternebam, me mors durissima stravit,  
Omnia mactabam, mactator & ipse miser.  
Omnia tollebam, me mors tulit omnia tollens,  
Me vermes rodunt, vermis & ipse fui.*

*Sibe.*



*Ethereum culmen grypho mediante petivi;  
Nunc cum tartareis infima tango reus.*

Mortuo igitur Alexandro, licet ipse Monarchiam in nullum transferret, ne quis ei par apud posteros legeretur, sed XII. familiares & socios successores regni constituisset: hæc tamen non stetit institutio. Nam diversi in diversis partibus post eum regnaverunt, inter quos erant quatuor principales, de quibus infra cap. sequent. *Alexander* autem Rex Epirotarum, avunculus Alexandri Magni, dum, (Italiam impugnans anno ab urbe condita 422, qui est Alexandri M. quintus,) eum regnando vellet imitari, à Lucanis & Brutiis occisus est.

*Saxones*, dicti prius Macedones, in exercitu Alexandri M., quos apud montes Caspios, tanquam sibi fideliores, ad custodiam patriæ reliquerat, audita morte Alexandri; perpendentes odium incolarum, per terram redire in Macedoniam nolentes; CCC. navibus se mari Caspio commiserunt, & diu navigantes, XVIII. earum intrabant per Pruciam, XII. per terram Rugen, & XXIV. naves Albim applicuerunt, & terram, quæ nunc *Saxonia* dicitur, obtinuerunt. *Slavis*, quos Dörinck, quasi inutiles nominabant, etiam expulsis, terram eorum, quæ adhuc dicitur *Thuringia*, possederunt. Et quia ipsi de quodam loco, qui *Saxum Marpesia* dictus est, circa mare Caspium egressi sunt, deinceps *Saxones* appellati sunt, & in vulgari *Sassen*. Et inde apud ipsos cultellus acutus *Sbas* appellatus est, sicut adhuc Westvalos novacula, qua pili raduntur, dicitur *Sbas*, & vulgare est *Sassen*, i. e. radere novacula: Et in lingua Frisonica cultellus vulgariter dicitur *Sbas*. Quod etiam Saxones à Macedonibus seu Græcis traxerint originem, potest ex hoc apparere, quod Saxones inter omnes gentes magis concordant cum Græcis in prolatione vocum. Verba enim collidunt seu frangunt in palato, sicut Græci; non in gutture, sicut Hebræi; nec dentibus, sicut Itali & Hispani. Et est hodie experientia; si loquitur Græcus, Græcum sonat audienti non intelligenti, quasi Saxonicum. De iisdem etiam navibus creduntur venisse *Swevi*, sic nunc dicti, à monte Swevo, quem primo in Teutonia incoluerunt, licet etiam tunc fuissent Saxones five Macedones. Unde Lucanus: *Fundit ab extremo flavos aquilone Suevos.* De iis etiam *Pantæon*:

*Nunc bene procedo, cum tempore Saxonis edo,  
Saxo, velut credo, primò fuit ante Macedo,  
Regis Alexandri miles ubique fuit.  
Rege diem functo, tulit à Babylone meatum;  
Circuit Italiam, natibus veniens Arelatum.  
Inde per Oceanum Britannica littora transit;  
Flandria pertinuit, sed nec sine clade remansit:  
Wesem Saxonica terminus ejus erit.  
Respice tu lector, cui regna notamus avorum:  
Non tunc Saxonicum fuerat cognomen eorum,  
Ipsè brevis gladius apud illos Saxa vocatur;  
Unde sibi nomen aliis peperisse notatur,  
Undique Saxonibus dum mors occulta paratur,  
His tunc cultellis vita redempta datur.  
Saxo suo more cultro defendit honorem.  
Hostibus ingeritur, audacior ipse leone.  
Gentis honorata viguit victoria late:  
Nam quoscunque placet, superant solitâ probitate.  
Quod loquor ecce patet, subdita terra jacet.*

Hæc *Pantæon*, addens:

*Arva Thuringorum dum forte Macedo capescit,  
Prælia compefcit, simulans quasi prælia nescit.*

3640. PTOLEMÆUS SOTER, *Lagi* filius, post mortem Alexandri Magni primus regnavit Alexandriæ, id est, in Ægypto, à restauratione templi anno 198, anno ætatis quintæ CCLXVIII, & regnavit annos XL. Et tunc *Philippus Aridaus*, frater Alexandri Magni, regnavit apud Macedones annos VII, & post eum *Cassander* annos XIX. *Lisimachus* tunc tenuit Lydiam, Thraciam & Hellespontum. (Iste *Lysimachus* crucifixit Theodorum Cyreneum Philosophum, eo, quod ausus erat eum pro injustis actibus suis increpare. Is dum in equuleo penderet, dixit Regi: mea nihil interest, utrum humi vel in sublimi putrescam; quasi dicat, parum curo mortis modum, dummodo innocens pro justitia moriar. Valer.) *Seleucus* regnavit in Syria & Babylone. (Ex hoc tempore, id est, ab initio regni Seleuci, supputatur



tatur regnum Græcorum juxta librum Machabæorum.) *Antigonus* in Asia minore, quod tamen regnum cito devenit ad progeniem Seleuci. Nam *Demetrius*, qui regnavit annos XVII. post Antigonum, victus tradidit se cum regno Seleuco, & sic Seleucus, dictus *Nicanor*, regnat utrobique, scilicet Syriæ & Asiæ, XXXII. annis. Cœpit autem post mortem Alexandri annis XIII. Ipse condidit urbes, *Laodiceam*, *Beroeam*, *Apameam*, *Pellam*, *Antiochiam*, *Seleuciam* & *Edissam*, & in urbes istas Judæos transtulit, jus eis & municipalem ordinem, cum Græcis æquali honore, concedens. *Ptolomæus* regno suo adjiciens prius *Syriam*, volens etiam addere *Judeam*, ascendit Hierusalem III. anno regni sui, die sabbathi tempore Oniæ, sub simulatione Deo sacrificandi, Judæisque nihil hostile suspicantibus, eos captivos abduxit, & distraxit in nationes. Et hic inchoatur materia primi Machabæorum. Oniæ porro summo Pontifici successit filius ejus *Simon*, dictus *Iustus*, propter ejus clementiam XVI. annis; cui successit frater ejus *Eleasarus* pro filio adhuc parvulo, qui dictus est *Onias*, anno Ptolomæi sexto. Romani redigunt *Samnites* in servitutem ab urbe condita CCCCXXXVI, qui diu contra eos erant præliati, scilicet per annos LIX. Et tunc capto *Pontio* eorum rege, per *Fabios* patrem & filium, finitum est bellum; in quo Samnitum XXIII. millia capta, CCL. cæsa leguntur. Samnites erant medii inter Campaniam & Apuliam, & vocati sunt postea *Beneventani*, & civitas *Beneventum*, quæ prius dicebatur *Maleventum*. Hi quandoque Romanos in tantum oppresserunt, ut in potestate haberent, an occiderent, an captos in servitutem redigerent. Nullus hostis Romanis crudelior erat Samnitibus. (Hi miserunt magnum auri pondus Consuli Romano, nomine *Marcus Curius*, multæ frugalitatis, in scamno sedenti, & catino ligneo cœnanti. Qui protinus inquit, se malle locupletibus imperare, quam fieri locupletem; addens: mementote, me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse. Valerius lib. 3. Circa tempus illud claruit Romæ *Papirius* bellicosus. Hic cum puer esset, cum patre suo curiam intravit, ut ait *Macrobius super somnium Scipionis*. Quem revertentem mater percunctari cœpit, quid in senatu Patres egissent. Puer respondit, tacendum, neque dicere id licere. Mulier avidior audiendi secretum, ad inquirendum animum pueri eum verberat. Tunc puer urgente matre, lepidi atque festivi mendacii consilium capit; actum dicens in senatu, utrum videretur utilius esse, ut unus duas uxores haberet, an una apud duos nupta esset. Hæc illa ut audivit, ad cæteras matronas retulit. Post triduum ad Senatum confluunt, orantes, ut una potius duobus nupta fieret, quam uni dux. Senatores, quænam esset illa mulierum intemperies, & quid sibi hæc postulatio vellet, mirabantur. Tunc puer factum enarravit, & senatus fidem & ingenium pueri exosculatur, consultumque fecit, ne præter illum pueri cum parentibus in curiam posthæc introirent. Orosius & Macrobius. Tempore illo fuit *Appius Claudius* Dux Romanus, & Romanorum erant cives CCLXXM.) Tunc fuit *Theophrastus* Philosophus, successor Aristotelis, qui pulchrum librum scripsit de nuptiis. Fuit & *Menander* Comicus Poëta, & *Polemon* perditæ luxuriæ adolescens, lectione Xenocratis conversus, cui etiam successit. *Philemon* risu decessit. Nam cum asellus coram eo ficus comediisset, dixit puero: da nunc merum asello; ac protinus urbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum profecutus, senile guttur prægravavit, ut dicit Valerius lib. IX. *Pyrrhus* regnavit apud Macedones, & cum Tarentinis pugnavit contra Romanos, & bellum cœpit anno ab Urbe condita 464. Responsum accepit ab Apolline, ut dicit *Augustinus* III. de Civ. Dei: Ajo te *Æacide Romanos vincere posse*. Ambiguum enim responsum edidit; ut è duobus, quicquid accideret, ipse divinus haberetur. (Commisso igitur bello, in primo prælio ceciderunt Romanorum peditum XIII. DCCCLXX, capti sunt DCCCXX; equites cæsi CCXLVI & aliorum DCCXII. In secundo bello Romanorum cæsa sunt V. Millia; ex parte vero Pyrrhi XXM. In primo autem bello Pyrrhus omnes Romanos captos summo honore tractavit, & sine pretio Romam remisit; & dixit suis: *vici viros invictos, ego victus ab eis*. Et cum increparetur à suis, cur se victum diceret, cum vicisset, respondit: *si iterum sic vicero, revertar sine milite*. Rursus igitur bellante Pyrrho, de suis XXIII. millibus occisis & CCCC. captis, rediit in Græciam & obiit. Contra istum Pyrrhum missus est à Romanis Dux eorum, nomine *Fabritius*, qui, cum quosdam captivos reciperet interposita nummorum pactione, nec senatus pecuniam daret; agrum, quem unicum habebat, vendidit & precium dedit, volens potius se hoc modo, quam patriam fide inopem esse.) Ipsi medicus Pyrrhi promisit, se Pyrrhum intoxicaturum, si aliquid sibi polliceretur. Quem *Fabritius* victum reduci jussit, Pyrrhoque dici, quæ contra eum medicus spondidisset. Tunc Rex Pyrrhus admiratus, dixisse fertur: *Ille est Fabritius, qui difficilius ab honestate, quam sol à cursu suo potest averti*. Ante illum Pyrrhum, Populus Romanus nec auro nec argento signato fuit usus. Romæ enim non fuit aurum, nisi admodum exiguum. Unde à Gallis capta urbe, ut pax emeretur, non plus, quam pondoolvere potuerunt, ut dicit *Plinius* libr. XXXIV. & recitatur in speculo naturali libr. VIII. Romæ etiam tempore paupertatis nusquam erat locus sanctior, nec bonis exemplis ditior; & quanto rerum minus habuit, tanto minus cupiditatis habebat. Postea vero divitiæ luxuriam & avaritiam induxerunt. *Augustinus*: Nullum crimen abest, ex quo Roma Princeps periit. Nunquam major est animus, quam ubi aliena seponit. Facit sibi pacem, nil timendo; facit sibi divitias, nil concupiscendo. PTO.



PTOLOMÆUS PHILADELPHVS, filius Soter, cœpit regnare in Ægypto anno V. ætatis CCCVII. à restauratione templi anno 238, ab urbe condita 470. & regnavit annos (f) XXXV. Iste studiosus, dives & bonus, cum in Bibliotheca sua Alexandria haberet LXX. millia librorum; quia percepit, Judæos divinam legem habere, scripsit Pontifici Eleazaro, ut sibi legem Dei ex Hebræo in Græcum procuraret transferri; qui protinus LXXII. interpretes ipsi transmisit. Qui, licet fuerint LXXII. tamen more scripturæ, parvum numerum non curantis, dicuntur LXX. Isti plene legem veterem de Hebræo transtulerunt in Græcum, ut dicit *Comestor*. Illorum LXX. unus legitur fuisse senior ille *Simeon Justus*, qui puerum *Iesum* accepit in ulnas suas. Cumque lex ista per istos sic translata fuisset, dictus Rex Ptolomæus in signum gratitudinis omnes Judæos CXXM. captivos in Ægypto, liberos abire permisit, vasa votiva cum clenodiis magnis Pontifici transmittens. (Idem Rex construxit in Ægypto in civitate Memphis templum Domino, ad instar templi Salomonis. Pantheon. Philadelphus iste, cum diu pugnasset contra *Antiochum*, qui dictus est *Theos*; ut certamen finiret, filiam suam *Beronicem* ipsi dedit in uxorem. Idem Ptolomæus apud Græcos magnus habitus est orator & Philosophus, tantæque potentia fuisse narratur, ut haberet, in exercitu CC millia equitum, XXM elephantos, quos primus ex Æthiopia illac adduxit; auri quoque & argenti grande pondus, ita ut de Ægypto singulis annis XVIIIM. LXX. Talenta acciperet. In speculo Histor.

*Pharus* in Alexandria construitur; & fuit turris maxima, in portu maris fabricata, ut longe videretur lux à navigantibus, & dicitur à *Phos* Græce, lux Latine, & *oros* visio, ut dicit *Isidorus V. Etymol.* Iste *Pharus* computatur inter VII. mirabilia. Nam supra IV. cancos vitreos ad passus XX. fundatus est in mari. Quomodo autem tam magni cancri fuisse, quomodo deportati in mare, & non fracti; quomodo etiam cæmentum ipsis inhærere, & qualiter sub aqua stare potuerint, miraculum est, & ad intelligendum, quomodo factum sit, difficile. *Euseb. & Beda.*

Ab Urbe condita CCCCLXI. Romani civitates, *Ariminum* in Gallia & *Beneventum* in Samnio, condiderunt. Anno ab urbe condita CCCCLXXVII. de multis fontibus Romæ & alibi sanguis scaturivit è terra, & lac pluit de cælo, & secuta est pestilentia magna. Et cum *Æsculapius* medicus, pro Deo habitus, homines juvare non posset, interrogatus finxit, causam esse pestilentia, quod multi sacras ædes occuparint, ut dicit *Augustin. lib. X. Civ. Dei.* Eodem anno census in urbe habitus est, & inventa sunt civium capita CCXCIIIM. CCCXXXIII. quanquam ab urbe condita nunquam fere bella cessassent. Bellum enim *Tarentinum* sic ortum habuit, quod *Tarentini* spoliaverunt quasdam naves Romanorum in mari, & à Romanis requisiti, spolia non remiserunt. Ideo *Tarentus* à Romanis capta est.)

*Punicum* bellum post mortem *Pyrrhi* sic cœpit, quia *Tarentini* poposcerunt auxilium *Carthagenensium* contra Romanos. Inde est ortum bellum *Punicum*, sic dictum, quod cum *Punicis* i. e. *Panis* seu *Afris* gestum est. Et primo bello, quod duravit annos XXIII. primo præfuit *Marcus Regulus* *Athilia*, de quo dicit *B. Augustinus* primo de *Civ. sic: Inter omnes laudabiles, & virtutibus insignibus illustres, non præferunt Romani Marco Regulo meliorem, quem nec felicitas corrupit, nec infelicitas fregit.* (Iste *Marcus* occidit XVIIIM. *Carthagenensium*, captis XV. cum XVII. elephantis. Opida LXXXII. in deditionem recepit. *Carthagenenses* *Xantippum* Regem *Macedonum* præfecerunt bello cum auxiliis *Hispanorum* & *Gallorum*, ubi tandem XXXM. Romanorum militum prostrati sunt, & *Regulus* in catenas conjectus est. *Paulus* igitur *Emilius* & *Fulvius* *Consules* Romani, audita captivitate *Reguli* & clade exercitus Romani, *Africam* cum classe CCC. navium petunt, navaleque certamen commissum est, ubi CXL. naves *Carthagenensium* mersæ sunt, XXX. captæ, & XXXVM. militum ex ipsis cæsa sunt. Romanorum etiam IX. naves depressæ sunt, MC. milites perierunt; ibique duo Imperatores *Pœnorum* cum IXM. militum perierunt. Romana etiam classis, cum onusta prædis remearet, naufragio sic everfa est, ut CCXX. navibus submersis, LXX. vix abjectis oneribus, remearent. Post mortem *Reguli* venit *Marcus Metellus* *Consul* egregius, factus *Consul* Romanus anno V. belli primi *Punici*. Is cum *Syracusas* urbem ornatissimam cape-ret, fertur prius eam flevisse ruituram, & ante ejus sanguinem suas illi lacrymas effudisse; & prius quam opidum jussisset invadi, statuit edicto, ne quis corpus liberum violaret, curam gerens pudicitia, ut ait *Valerius lib. V. & August. lib. i. de Civit. Dei.* Interrogatus, quid postero die facturus esset: tunicam, inquit, meam, filoqui posset, cohiberem, ne diceret aliis. *Vegetius de re milit. lib. i.* Hoc tempore ab his, qui Romæ sacris præerant, inventum est carmen illud, hostem alienigenam ab Italia pelli posse, si matris *Deorum* numen advectum foret. Unde in *Phrygiam* Romani miserunt, & inde *Cybeles* imaginem attulerunt, cui Pantheon dedicarunt. A.) *Manasses* Pontifex *Judæorum* erat annos XXXII. *Ennius* Poëta *Tarentinus* floret. *Crates* Philosophus magnum pondus auri projecit in mare, dicens: *Abite pessima divitiæ; ego vos mergam, ne mergar à vobis.* *Stilbontis* erat auditor. *Archie-*  
filas

(f) MS. C. XXXVIII.



filas floruit, à quo cœpit eorum secta, ut ait Augustinus, qui dicunt, *nos nihil scire, sed omnia esse incerta.* *Cleantes & Chrysippus* similiter floruerunt, & *Zenon* Stoicus obiit.

**PTOLOMÆUS EVERGETES** regnavit super Ægyptum annos XXVI. Frater fuit *Philadelphi*. Dicitur Evergetes, quod sonat revocans, quia innumera spolia, & Deos Asiæ, quos *Cambyfes* transvexerat in Persas, restitui mandavit. *Comestor.* Versus:

*Regnat Evergetes, qui tertius est Ptolomæus,  
Tunc erit Onias Princeps, dictus Phariseus,  
Nunc Jesus Sirach vidit amatque Deum.*

Iste composuit *Panarethon*, id est, librum Ecclesiasticum. *Onias* iste filius *Simonis Justii* Pontificatum tenuit annis IX, & cepit ætatis V. CCCXXXII. anno XXIII. belli Punic primi. *Carthaginenses* pacem petierunt & obtinuerunt hac dura conditione, ut trium millium talentorum pondus annuatim per XX. annos solvant Romanis pro expensis, Siciliam & Sardiniam, quas tunc occupaverant, dimittendo. Tempore istius *Ptolomæi Galli* contra Romanos circa *Aretium* bellum instaurant, & vincunt, & fuerunt in exercitu Romano LXXX. millia armatorum, quorum tribus millibus interfectis, reliqui fugerunt. (Post hoc iterum commisso certamine Romani vicerunt, & *Emilius Dux* Romani exercitus victos in Capitolio discinxit ab urbe condita DVIII. *Manlius Torquatus* duxit exercitum Romanum contra *Ligures* & *Gallos*, & vicit; & post hoc *Flaminius* Consul, contentis auspiciis, quibus pugnare prohibeatur, adversus *Gallos* confixit & vicit, & *Mediolanum* expugnavit. Apud *Macedones* XV. annis regnavit *Antigonus*. Ab hoc, ut inquit *Seneca* lib. 2. de beneficiis, *Cynicus* quidam petiit talentum. Respondit *Antigonus*: Plus esse, quam *Cynicus* petere deberet. Repulsus, petiit denarium. *Antigonus* ait, minus esse, quam Regem dare deceret. Turpissima cavillatio, ait *Seneca*. Invenit, quomodo neutrum daret. In denario Regem; in Talento *Cynicum* respexit; cum posset & denarium tanquam *Cynico* dare, & tanquam Rex. Idem *Seneca* dicit: Cum audisset *Antigonus*, aliquos male de se locutos, & inter dicentes & audientem sola cortina mediaret, illam leviter movit, discens, discedite hinc, ne Rex vos audiat. Audit enim vos ipsa jam cortina. *Colossus* *Rhodi* terræ motu cecidit, unum de VII. miraculis: fuit enim imago ærea CXXVI. pedum, futilis. Mirum valde, quomodo tam immensa moles fundi potuit aut erigi vel stare. Fuit enim XV. pedibus altiꝛ, quam *Colossus* Romæ. Natus est etiam Romæ puer quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor & auribus totidem, naturam virilem duplicem habens. Prodigia multa contigerunt & bellum Punicum secundum præcesserunt. Bos enim mugitum suum in humanum sermonem convertit, dicens: cave tibi Roma. Lapidés pluissè feruntur; scuta sanguine sudasse, & metentibus cruentas spicas in corban cecidisse. Lupus in Gallia gladium cuidam abstulit è vagina. De his *Valerius* & *Augustin.* 3. lib. de Civitat. Dei.)

3745. **PTOLOMÆUS PHILOPATOR** cœpit in Ægypto anno quintæ ætatis CCCLXX. & regnavit annos XVII. ab urbe condita 534. Tunc & secundum Punicum bellum cepit per *Hannibalem*, Ducem Pœnorum, filium *Hamilcaris*. Hic enim *Hannibal*, dum IX. esset annorum, patri ad aras juraverat, ut, cum primum posset, contra Romanos pugnaret: cumque XX. esset annorum, *Saguntum* obsedit. Sub hoc gesta referuntur, quæ scripta sunt secundo *Macchabæorum*. Hunc vicit *Antiochus Magnus* Rex Syriæ, qui & *Judæam* subjugavit, & LX. millia *Judæorum* occidit. Versus:

*Regnum Philopator quartus Ptolomæus habebat;  
Antiochus Syriam propria virtute regebat  
Qui duo dum vivunt, prælia dira gerunt.  
Obtinet Antiochus, sed & interimit Ptolomæum.*

Iste *Antiochus* congregavit exercitum incredibilem contra filium *Philopatoris*, ut dicit *Hieronymus* super *Danielem*. Idem contra Romanos duxit armatorum XXX. millia, cum curribus falcatis & elephantis, & victus à *Scipione*, filios suos *Seleucum* & *Antiochum* obsides dedit. *Antiochus* iste Magnus tributa, quæ *Ptolomæus* *Judæis* relaxavit, renovavit. Pontifex *Judæorum* *Onias* tertius dicitur Magnus XXIX. annis præfuit, ad quem Rex *Spartarum*, *Arius* nomine, legatos misit ad innovandum fœdus, quod fuerat inter majores eorum *Abraham*, & patres illius. *Onias* iste, assumtis plurimis *Judæis*, fugit in Ægyptum, & à *Ptolomæo* honorificè susceptus, accepit regionem *Heliopoleos*, & concedente Rege, construxit ibi templum, simile templo *Judæorum*, quod permanfit CCL. annis usque ad Imperium *Vespasiani*. Cui successit *Simon* filius ejus, & post illum *Onias* filius illius; sub quo *Seleucus* Rex misit *Heliodorum* in *Ierusalem*, ut dicitur in speculo *Histor.* *Antiochus* præmissus & Magnus occisus est in fano *Nanee* à Sacerdotibus templi. Versus:

*Antiochus moritur, & fulminis igne crematur.*



Isti promisit *Jason*, prius vocatus *Jesus* LXXM. talenta argenti, ut eum constitueret Pontificem. Quod Rex concessit, & constituit Gymnasium Hierosolymis, & prae fuit XXI. annis. Et *Menelans*, prius dictus *Johannes*, frater ejus, post eum Pontifex erat X. annis, & erant ambo fratres Onia Pontificis, qui sine liberis decessit. Isti fecerunt Ephebiam, id est, lupanaria in Ierusalem, de quo 1. Macchab. 6. & 2. Macchab. 9. Augustinus dicit: ignis sacrificii, qui per LXX. Babylonicæ captivitatis annos sub aquis vixerat, extinctus est, Antiocho *Jasoni* vendente Sacerdotium. Et post *Menelaum* Pontifex fuit *Alchimus* IV. annis.) Anno ab urbe condita 10 XXXIV. inchoatum est secundum *Punicum* bellum. *Ramani* enim *Lucio Emilio* & *Paulo Publico* Coss. contra *Hannibalem* infelicissime dimicant in Apulia, ubi pene Romanis Romanae spei vires perierunt. Nam in ea pugna XLIVM. Romanorum interfecti sunt, Senatores XXX. capti vel occisi. Nobiles alii LXXM. CCC. & ceteri XXXM. *Hannibal* tunc in testimonium victoriae tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit, quos ex manibus interfectorum nobilium Romanorum detraxerat, ut dicit *Orosius*. *Hannibal* in Italia *Gneum* Proconsulem, & XI. Tribunos, cum XVII. millibus interfecit militum. Frater etiam *Hannibalis* interfecit *Scipiones*. *Marcellus* autem Consul triduo continuè cum *Hannibale* dimicans, de ejus exercitu octoginta millia interfecit, & *Hannibalem* cum reliquis fugere compulit. Et sequenti anno, idem *Marcellus* occisus est in Italia, ab eodem *Hannibale* cum exercitu suo. Tunc *Scipio Publius*, postea dictus *Africanus*, adolescens annorum (g) XXVIII. imperium sortitus est in Hispaniam; qui mox in ultionem patris & patruum Carthaginem Novam cepit, ubi stipendia magna validaque praesidia Campanorum & Pœnorum in auro & argento habebantur. (Ibi & *Magonem* fratrem *Hannibalis* captum cum aliis, Romam misit, sicque Romae ingens novaque laetitia oritur. A *Scipio* Africam aggressus, mapalia pastorum nocte fecit incendi. Pœni casu ignem putantes accidisse, inermes occurrentes, ab armatis sunt oppressi, ubi XLM. igne ferroque consumta, VM. capta. Tandem *Scipio* victor exiit. Ibi LXXX. elephantum capti vel occisi sunt: Carthaginensium militum XXM. occisi. Tandem *Hannibale* Pœnis pacem cum Romanis perfvadente, *Gajo Cornelio Lentulo* *Publico* Consulibus pax per *Scipionem* voluntate Senatus populique Romani concessa est. *Scipio* tunc, cognomento *Africanus*, cum gloria triumphans, urbem est ingressus. A. *Scipio* iste virginem nobilem desponsatam, inter captivos repertam, parentibus & sponso remisit inviolatam, aurumque pro redemptione puellae portatum, ipsi dotis nomine adjecit; qua munificentia Celtiberorum animos convertit ad Romanos. *Valer. libr. IV.*) Idem *Tarentum* expugnavit & *Hasdrubalem*, Pœnorum Ducem, vicit in Hispania. Tunc & *Capua* civitas Campaniae capta est à Romanis, quae tunc aequalis erat Romae; atque tota Hispania in provinciam redacta. (*Scipio* Romam redit, & Consul factus transiit in Africam. *Hannonem* Ducem Pœnorum cum XLM. bello stravit, & apud *Mediolanum* XM. Gallorum occidit; & similiter praelio sequenti XIM. Romanorum autem tunc VMCC. ceciderunt.

*Scipio* *Emilianus* iste, cum duo in senatu contenderent, quis eorum mitteretur in Hispaniam, ait: Neutrum mihi placet mitti, quoniam alter nihil habet, alteri nihil satis est; aequè malam Imperii gratiam judicans inopiam & avaritiam, sicque, ut neuter mitteretur, obtinuit. *Valer. libr. VI.* Nota: Plures erant *Scipiones*, qui defensabant Romanos, sicut baculus sustentat & defensat homines. Unus eorum *Lucius Cornelius*, dictus *Numantinus*, quia *Numantiam* civitatem Hispaniae expugnavit, ubi fortioribus interfectis, clausa urbe, *Numantini* omnes se pariter ferro, veneno igneque consumserunt; Romanique ex his nil aliud quam securitatem adepti sunt, seque magis evasisse *Numantinos* quam vicisse dixerunt. Alter *Scipio* dictus est *Publius Scipio Nasica*, qui consuluit, Carthaginem non deleri, ut Romani semper haberent adversus se bellum, ne fieret intestinum, *Cato* autem *Censorinus* consuluit contrarium, & secuta sunt mala, quae *Scipio* metuebat. *Asiaticus* dictus est, qui *Asiam* superavit, & tertius *Publius Cornelius Africanus*, quia *Africam* devicit. Iste, sicut dicit *Valerius libr. 4.* cum accusaretur à Senatu de pecunia, respondit: cum totam *Africam* potestati meae subjecerim, nihil ex ea, quod meum diceretur, retinui nisi cognomen. Et addidit: non me *Punicae*, nec fratrem meum *Asiaticae* gazae avarum reddiderunt: Sed uterque nostrum magis invidia quam pecunia locupletior est. Bellum *Punicum* secundum duravit annis XVIII. & finem accepit anno ab urbe condita DLII. Tertium autem coepit ab Urbe condita DCVI. quod non ex toto IV. annis duravit. *Scipio* minor Carthaginem delevit, quae caput erat Africae & regina civitatum, fundata prius quam Roma annis LXXII. Hac à sui conditione anno DCC. continuis XVII. diebus arsit, miserum spectaculum praebens humanae conditionis. Versus:

Consule Carthago legitur tunc victa Metello.

Murus



Murus Carthaginis 30. pedum latus, 60. cubitorum altus. Arx, cujus nomen Byrsa, paulo amplius quam MM. passuum tenebat. Tunc à Romanis capta est & deleta etiam *Corinthis* decus Græciæ. Insuper nota, Hannibal Imperator Pœnorum, procedens ab Africa, habens in exercitu CM. peditum, & equitum XXM. cepit *Saguntum*, florentissimam civitatem Hispaniæ, fidelem Romanis: cui cum Romani IX. mensibus non succurrerent, fame, machinis ferroque fatigati Saguntini immanem exitant rogum, seque cum omnibus corrumpunt. Unde *Augustinus* Lib. XIII. de Civitate Dei: In omnibus belli Punici secundi malis nihil miserabilius, ac miserabili querela dignius, quam exitium Saguntinorum fuit. *Fabius* tunc Dux Romanorum ad Hannibalem destinatus anno ab Urbe condita DXXXIV. ait: Quæ mora? in hoc sinu Bellam pacemque porto: Alterum eligit. Succlamantibus Pœnis, bellum; *Bellum*, inquit, accipite. Et excusso in medio tunicæ gremio non sine horrore, quasi plane sinu bellum ferret, effudit. Hannibal igitur pervenit ad Alpes, intrans Italiam cum CM. peditum, CXXM. equitum, & VII. elephantibus. Bis vicit, tertio & quarto bello Romani vicerunt. *Publius* enim *Cornelius Scipio*, apud Ticinum cum exercitu Hannibali occurrens, fugatur & victis suis faucibus vix evasit. *Sempronius Tiberius*, & ipse Consul pugnans cum Hannibale, amisso exercitu, pene solus evasit. Hannibal autem nubium & imbrium tempestate frigidisque, & ipse fauciatas, de suis multos amisit cum jumentis & elephantibus omnibus, præter unum; quo, & ipse oculum perdens violentia frigidis & vigiliarum, vix evasit. Anno etiam ab Urbe condita, DLIX. qui est septimus Philopatoris, *Emilius Paulus* & *Terentius Varro* Consules, contra Hannibalem missi, in Apulia omnes pene Romanæ spei vires perdididerunt. Nullo enim Punico bello gravius afflicti sunt. *Paulus* ibi occisus est, nolens fugere fauciatas, cum posset. Perierunt ibi Consulares atque Prætorii viri XX. Senatores aut capti aut occisi XXX. nobiliores viri CCC. pedestrium LXM. equitum IIIIMDL. *Varro* Consul cum equitibus fugit, nec dubium est, illum diem ultimum Romani status fuisse, si Hannibal mox post victoriam ad urbem contendisset. De exercitu tamen suo cæsa sunt III. Millia. Anno dehinc ab Urbe condita DXL. Hannibal iterum vicit Romanos. Tunc obrulit eis, ut captivos redimerent, responsumque est à Senatu, illos cives non esse necessarios, qui, dum armati fuissent, capi potuissent. Quare Hannibal eos omnes interfecit, & in signum victoriæ tres modios annulorum Carthaginem misit. Tunc Romani desperantes, consilium inierunt de relinquenda Italia & sedibus quærendis: quod *Cornelius Scipio Africanus* dissuasit. *Gneus* etiam & *Publius Scipiones*, Duces Romani exercitus, cum fere totam Hispaniam obtinerent, insidiis Punicæ fraudis eam rursus amiserunt: alterque Scipionum ferro cecidit, alter igne consumptus est. Tunc *Scipio Africanus* Hispaniam totam recuperavit, & *Gneus Fulvius* interfectus est ab Hannibale cum VIIIIM. Romanorum, ab Urbe condita DXLIII.) *Hannibal* igitur, postquam Italiam vexaverat annos XVII, cum Scipioni resistere non posset, rediens in Africam, venenum bibens mortuus est. *Scipio*, qui tanta bona fecit Romanis, exul moritur, iussitque ad sepulchrum suum scribi: *Ingrata patria, nec ossa quidem mea habebis.* *Sempronius* etiam Consul Romanus cum Hannibale congressus erat.

3990. PTOLOMÆUS EPIPHANES, id est, *Illustris* qui obses erat Romæ MS. C. quintus Ægyptiorum, regnavit annos XXIII, cœpitque ab Urbe condita anno 771, anno quintæ ætatis CCCXC. Judæam cepit & plurimas civitates Syriæ, & pugnavit contra Antiochum, quem vicit anno ejus XVI. Quem secutus est filius ejus *Seleucus* XII. annis. Iste Epiphanes obiit, veneno interfectus à suis. (Sub isto gesta fuit materia libri Maccabæorum. Tunc *Antiochus illustris*, radix peccati, regnat anno regni Græcorum CXXXVII. i. Maccab. I. *Antiochus Magnus* habuit duos filios, fratres *Cleopatra*: Unus filius dictus est *Seleucus Soter*, qui regnavit post patrem, alter dictus est *Antiochus Epiphanes*, datus à patre Romanis obses, mortuoque fratre, regnavit in Syria XII. annis. Et hic est *Antiochus illustris* & nobilis in libro Maccabæorum. Idem *Ptolomæus Epiphanes* ex *Cleopatra* reliquit duos filios, quorum major, *Phylometor*, post eum regnavit immediatè: alter *Physcon*. *Matathias* igitur de tribu Levi cum quinque filiis suis pugnavit contra Antiochum & alios multos; *Matathias* quidem IX. annis, *Judas* autem *Machabæus* post patrem III. annos; post quem *Jonathas*, frater ejus, rexit Judæam XIX. annis. Contra Judam autem factus est Pontifex Judæorum *Alcibiæus*, qui tamen mortuus est anno suo quarto paralyti. Post *Jonatham* assumptus est *Simon*, frater Judæ, qui rexit annis octo. In cujus morte 277. Regni Syriæ impletus est annus; & usque ad hoc tempus libri Maccabæorum continent historiam. Supputantur autem à primo anno *Cyri*, Regis Persarum, usque ad finem principatûs *Machabæorum* & mortem *Simonis* Pontificis anni CCCXXXVI. Inde *Johannes* dictus *Hircanus*, filius *Simonis*, propheta secundum *Josephum*, rexit Judæam XXVI. annis. Post quem venit *Aristobulus*, filius *Hircani*, factus Rex pariter & Pontifex. Hoc tempore Romani iusserunt Græcos, quos tunc obtinuerant, liberos esse. *Titus Livius*, Tragediarum scriptor, claret, similiter *Statius Sicelinus*, comædiarum scriptor, natione Gallus. *Ennius* poëta est sepultus in *Scipionis* monumento.) *Terentius Publius* Carthaginensis, comædiarum scriptor, similiter claret; cujus hoc legitur Epitaphium:

Natus



Natus in excelsis tellis Carthaginis alta,  
 Romanis Ducibus bellica prada fui.  
 Descripsi mores hominum juvenumque senumque,  
 Hæc quicumque legit, ut puto, cautus erit.

*Aristarchus Grammaticus & Pacuvius Brundisius*, Tragicædici, floruerunt. *Plautus* Poëta Romæ moritur. Eloquentissimus fuit. (Is propter annonæ difficultatem ad molas marinas se pistori locaverat, ubi, quoties ab opere vacasset, scribere fabulas sollicitus erat, & eas vendere.) Fecit Comædias pulchras, de quibus hæc sânt: *Vis tibi honorem deferri, inter miseros vivo. Quidam, ô stulte, mirum est, si te, quis novit, despiciat, qui non novit, diligit. Inspicientium atque improborum facilius sustine odium, quam colloquium. Nemini te nimis sodalem feceris. Tres edaces domus una non capit. Nemo sibi arbitretur dici, quod nos populo dicimus.* Hæc ille. Bellum tertium Punicum capit.

378. PTOLOMÆUS PHILOMETOR, filius *Epiphanis & Cleopatra*, sororis *Antiochi Magni*, cæpit regnare anno quintæ ætatis CCCCXV., & regnavit annis XXXV. à restauratione templi CCCXLIII. Hunc *Antiochus*, superans Iudæos, oppressit. Hic contigit VII. fratres cum matre compelli contra fas ad esum carnis porcine, II. Maccab. VII. Hic renascitur regnum Iudæorum anno Ptolomæi istius XIX. Tunc *Antiochus*, dictus *Cedices*, regnavit in Syria novem annos, post *Demetrium Sotri*, quem *Triphon* dolo occidit, & pro eo regnavit. Qui *Triphon* etiam dolo cepit *Jonathan* fratrem Iudæ. *Demetrius* autem, filius *Demetrii*, expugnavit *Triphonem*. II. Maccab. Anno *Philometoris* XXIX, qui conditæ urbis DCII. cæpit tertium bellum Punicum, & post hoc quarto anno finitum.

PTOLOMÆUS EVERGETES secundus, Ægyptiorum VII. regnavit annos XXIX. cæpitque anno *Ionathæ* 14. à restauratione templi 378. Tunc *Antiochus Gryphus* Syriæ præfuit XII. annos, qui obsedit Hierusalem. Quamobrem filius *Simonis*, *Iohannes Hircanus* sic dictus, quia contra *Hircanos* bellum gessit, regnans 31. annis, aperuit duos de octo loculis sepulchri *David*, & sustulit ex eis plus quam tria millia talentorum, deditque CCC. *Antiocho*; de reliqua pecunia primus instituit *Xenodochia* pauperum in Hierusalem. Idem *Samaritaniam* captam solo æquavit, quam *Herodes Seba* postea instaurans, *Sebasten* nominavit. Reliquit V. filios, quorum major natu *Aristobulus*, postea sibi diadema imposuit primus. CCC. XCVIII. anno à *Babylonica* captivitate. (Secundus *Antigonus*, quem post *Aristobulus* peremit, sicut & matrem, aliis fratribus in custodia detentis. Ideoque dignissimo atque crudelissimo viscerum dolore tortus, detestabiliter moritur, cum non plus uno anno regnasset. Uxor autem fratrem ejus Regem fecit. *Egesippus* de excidio Hierusalem dicit: *Aristobulus* principatum sacerdotii ad Regni potentiam vertit, & diadema primus sibi usurpavit post CCCCLXXV. annos triumque curricula mensium, postquam de *Babylone* remeans *Israël* servitio exutus in suam terram se recepit.) Floruit *Lucius Aelius*, Tragicædiarum scriptor, & *M. Varro*, Philosophus & Poëta. Bellum servile grave & atrox ortum est in *Sicilia*. Nam LXXM. servorum, tunc in arma conspirantium, fuisse referuntur. Sed tandem compulsi sunt se invicem devorare. Istius *Evergetis* filia fuit *Cleopatra*, quæ nupsit *Alexandro*, de qua infra *Cleopatra*. *Brutus Hispaniam* subegit Romanis.

PTOLOMÆUS PHYSCON, qui & SATHAR, cæpit anno V. ætatis CCCCLXXX, & anno *Hircani* XV, regnavitque annos XVII. à restauratione templi anno 407. Hic enim *Physon* per matrem *Cleopatram* de regno pulsus, *Cyprum* secessit, iterumque post annos aliquot in regnum rediit. Hujus anno XII. mortuus est *Iohannes Hircanus*, filius *Simonis* *Maccabæi*; qui relictis quinque filiis, horum nullum credens sufficere ad regendum populum, præferit uxorem suam disertissimam. *Aristobulus* vero primogenitus matrem cum fratribus vincularit in carcerem, imposuitque sibi diadema; sicque factus est primus Rex post captivitatem *Babylonicam*, transactis annis CCCCLXXV. & mensibus tribus à *Zedechia*, vel secundum alios à reditu captivitatis. Regnavit autem tantum per annum unum, eo quod matrem fame peremerat, ut dicitur in *Speculo Historiali*. Post illum *Aristobulum* regnavit apud Iudæos *Lamneus*, dictus *Alexander*, frater ejus nequissimus annis XXVII, & post eum uxor ejus *Alexandra* annis IX. Iste *Alexander*, Rex Iudæorum, interfecit fratrem suum, & infra octo annos interfecit Iudæorum seniorum mille, quia facinora ejus detestabantur; & in plateis *Ierusalem* suspendit LXXX. viros, & eorum uxores & liberos necavit, & mortuus reliquit regnum uxori, sciens filios suos, *Hircanum & Aristobulum*, Iudæis esse exosos. Mater igitur regnans, *Salvia* nomine, *Hircanum* primogenitum Pontificem declaravit & futurum Regem, quia modestus erat: sed ea mortua, *Aristobulus* contra fratrem movit arma. Et tandem concordaverunt, ut *Aristobulus* regnaret, & *Hircanus* sub eo quibusdam fungeretur honoribus. *Hircanus* autem ad *Aretam* Regem *Arabum* confugit, & sic *Areta* obsedit *Ierusalem*. De hac historia *Josephus* amplius scribit XIII. Lib. *Antiquitatum*. Circa illud tempus *Gneus Pompejus* missus à Romanis contra Regem *Armenia*, cum audisset dissensionem fratrum in *Judæa*, ratus, tempus esse, quo de facili *Judæam* poneret sub tributo, manu valida



Juda Judæam intravit. Territus itaque Aristobulus occurrit ei, pecuniam pollicens, seque Romanorum pariturum imperio. Sed non motus iis Pompejus, Aristobulum in custodiam collocavit, & irruentes Romani profanaverunt templum. Cumque Pompejus Judæis imposuisset tributa, Hircano Pontifice declarato Aristobulum captivum duxit Romam cum duobus filiis ejus, *Alexandro & Antigono*, cumque totidem filiabus. *Alexander* vero filius Aristobuli ex itinere fugit, & magna collecta manu Judæam populabatur, & obtinebat munitissima loca. Missus est autem à Romanis, in Syriam *Gabinus*, succedens in ducatu Syriæ *Scauro*, Sub isto militabat *Marcus Antonius*, qui cum Alexandrum obsedisset, consilio matris *Alexander* se tradidit. Tunc *Gabinus* cura templi *Hircano* mandata, gentem Judæorum in quinque conventus divisit, quasi per pentarchias Judææ frangens superbiam. (*Alexandra* prædicta, uxor *Alexandri* IX. annos bene rexit Judæam. Versus:

*Regnat Alexandra celebris Regina potenter:*  
*Ipsa placet populo, reparans sacra templa decenter.*  
*Morbus ut invadit, femina morte cadit.*

Cimbrorum bellum contra Romanos cæpit, in quo Romanorum LXXXM. leguntur occisa, & Cimbrorum CCM. secundum *Orosium*. *Marius* enim & *Catulus*, Consules Romani, usi sunt ingenio Hannibalis. Nam in nebula disposuere pugnam, in sole pugnaverunt; & sic totam multitudinem, adhuc indispositam & modo adventantem, conturbaverunt. Et sol exortus cum vento ex adverso emicuit; Sicque visum eorum pulvis opplevit & splendor hebetavit. Ita factum est, ut tanta multitudo cæderetur. Mulieres autem eorum graviorem exercuere pugnam, quæ plaustris in modum castrorum constructis, ipsæ desuper pugnantes, diu repulere Romanos. Sed tandem se tradere dicebant, si templo *Cereri* ac *Veneris* in servitium traderentur. Quod cum non impetrarent, omnes cæsis parvulis mortuæ sunt reperiæ, mutuis complexibus se tenentes. *Orosius*. In cujus memoriam Romani templum mirificum construxerunt, & est nunc prope *Mariam* majorem Romæ. Isti autem Cimabri sunt Teutonici de genere Saxonum, nunc dicti Flandri. Ante istam stragem, ab Urbe condita DCXLII. à Gallis & Germanis occisa sunt Romanorum LXXXM, & calorum ac lixarum XLM. Inde venit bellum præcedens Cimbrorum. Fuit autem circa Rhenum in loco, qui dicitur *Binghen* in territorio *Trevirensi*. Ab Urbe condita DCLV. bellum contra *Jugurtham*, Regem *Numidiæ*, vario eventu gestum est. Sed tandem *Jugurtha* per *Metellum* victus, per *Marium* captus, in carcere strangulatus est. De hoc *Sallustius Crispus* plenissime scribit. Hoc tempore *Iohannes Hircanus* fuit Pontifex Judæorum. *Cicero* nascitur: *Gabinus* Syriam Romanis subegit.

Ab Urbe condita DCLIX. ortum est in Italia bellum Sociale. Tunc autem animalia usibus humanis subdita, canes, equi, boves, asini, & quæcunque alia pecora sub hominum dominio erant, effrenata & domesticæ benignitatis oblita, relictis tectis, libere vagabantur, & omnem etiam dominorum aversabantur accessum. *Augustinus* Lib. III. de Civitate Dei. Tunc etiam *Julius Cæsar* & *Lucius Marcus Coss.* fuerunt, sub quibus Romani *Pompejum*, prius Consulem, in Asiam direxerunt; qui orientem in deditionem accepit, cum XXXII. Regibus. Ab Urbe condita DCLXII. secundum *Orosium*, nondum finito sociali bello, Romæ bellum civile commotum est à *Lucio Cornelio Sylla* Romano Consule, contra *Mithridatem* in Asiam cum exercitu profecto. Hoc bellum continuatum est fere XL. annis, in quo ceciderunt Romanorum CLM. Idem bellum dicitur *Mithridaticum*. *Mithridas* (*Mithridates*) autem fuit Rex 22. gentium; scilicet *Ponti*, *Armenia*, & *Parthia* &c. Ipse invenit antidotum *Mithridaticum*, quod reperitur in apothecis. Ipse scivit linguas 22. gentium, quas sub se habuit, & nunquam per interpretem loquebatur ad eos. Et XL. annis bella fovit contra Romanos. *Plinius* & *Solinus*. Ipse tandem superatus à Romanis, ne ludibrium eis esset, occisis prius per se ipsum uxoribus & liberis, militi sponte jugulum præbuit, annos natus LXXII, nobis in hoc miseræ mortalium conditionis exemplum relinquens. Sicque finitum est bellum *Mithridaticum*, quod omnibus prioribus, excepto *Africano*, majus erat. Tunc floruerunt Poëtæ *Lucius Pomponius*, *Titus Lucretius*, *Catullus Lyricus*; & *Sallustius Crispus*, scriptor historicus nascitur. Ab Urbe condita DCLXX. *Aristobulus* fit Rex & Pontifex, & anno sequente bellum civile. Nota, duo bella funestissima, *Sociale Italicum* & *civile Syllanum*, per annos X. protracta, plusquam CLM. Romanorum consumserunt. In bello *Syllæ* contra *Marium Sylla* XVM. occidit & CCCC amisit. In Urbem ingressus *Sylla* IHM. homines inermes occidit. Cui tunc *Quintus Catulus* ait: *Quibuscum tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus.* *Sylla*, siste modum: summum genus vindictæ est, & gloriosum, parcere, cum possis occidere. Sicque pepercit. *Salpitius*, Consul Romanus, dixit uxori suæ: Lex tibi meos tantum præfinit oculos, quibus formam tuam approbes. His esto speciosa: horum te certiori crede notitiæ. Ulterior tui conspectus in suspitione & timore hæreat, necesse est. Ab Urbe condita DCLXV. dira prodigia visa sunt. Globus igneus cum magno tonitru. Cruor



è panibus quasi è vulneribus fluxit. Per septem continuos dies grando lapidum terram verberavit, nec mora, gravia bella civilia secuta sunt.)

3872. PTOLOMÆUS DIONYSIUS, frater Cleopatraz, regnavit apud Ægyptum annos XXX. Cujus anno primo Sylla Romam obtinuit, & sequenti anno moritur. Hujus etiam tempore Antigonus, filius Aristobuli, repetens patriam, juvamine Persarum cepit Ierusalem, & Hircano, Regi pariter & sacerdoti, nasum amputavit, ut sacerdotio foret indignus juxta legem Moysis, & Phaselum fratrem incarceravit, qui se ipsum interfecit. Propter quæ Antigonus à Romanis captus, securi percussus est. Eo tempore Antipater Idumeus, vir quidam nobilis & dives, procurator Judææ, Regi Arabum adfinitate conjunctus est. Amicus etiam erat Gabinii & Marci Antonii. (Unde data est ei uxor, neptis ejusdem Regis Arabum, nomine Cypris: de quo scribit Africanus historicus, ita dicens: Apud Ascalonem in templo Apollinis erat quidam janitor, nomine Herodes. Hic genuit istum Antipatrem: cumque adhuc puer esset, Idumæi invaserunt Ascalonem, & Antipatrem puerum cum aliis templi spoliis abduxerunt. Qui tandem vir effectus, genuit Herodem, qui à loco cognominatus est Herodes Ascalonita.) Iste Antipater mortuo Pompejo in clientelam Cesaris se se contulit, à quo exaltatus & Procurator Judææ declaratus est, & post veneno obiit in convivio, filios relinquens quatuor. Primus dictus est Phaselus, de quo dictum est; secundus Herodes Ascalonita, de quo & in Octaviano tertius Iosippus, quartus Pheroras; filia autem ejus dicta est Saloma. (Virgilius dictus Maro Publius natus est anno Ptolomæi Dionysii IX. Versus:

*Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.*

Composuit carmen bucolicum, quod sic incipit:

*Tiryre, tu patula recubans sub tegmine fagi,  
Silvestrem tenui Musam meditaris avena.*

Georgium sic incipit:

*Quid faciat letas segetes, quo sidere ternam &c.*

Et Æneidos libri sic incipiunt:

*Arma virumque cano: Trojæ qui primus ab oris.  
Italiam fato profugus Lavinæque venit.*

Et est de excidio Trojano. Virgilius obiit anno XXVI. Octaviani. Versus:

*Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc  
Parthenope; cecini pascua, rursus, duces.*

Honotius Flaccus similiter nascitur, de quo scribit Hugo, Poëta Bambergensis:

*Honotius prudens & discretus  
Vitiatorum amulus, firmus & mansuetus:  
Qui tres libros fecit principales,  
Duosque distavit minus usuales;  
Epodon videlicet & librum odorum,  
Quos nostris temporibus credo valere parum.  
Hinc Poëtria veteris titulum ponamus,  
Sermones cum Epistolis dehinc adjiciamus.*

Poëtria igitur ejus sic incipit:

*Humano capiti cervicem pictor equinam  
Jungere si velit &c.*

Claruit etiam Apollodorus, Græcus orator, Augusti Præceptor. Tunc fuit & Scaurus, Dux Romani exercitus.)

CLEOPATRA cœpit regnare in Ægypto anno Hircani XVII. & regnavit annos XXIII. & conregnavit Augusto annos XV. (& ideo in numero annorum ascribuntur ei anni tantum novem. De hac dicit Petrus (de Riga) in Aurora:

*Nubit Alexandro (\*) Cleopatra, regia ridet  
Fercula, vina fluunt, organa lata canunt.  
Ad fuit hic Jonathas, quem Regis purpura vestit.*

M m m m m 3

Ista

(\*) Confundit personas cum aliis anterioribus.



Ista enim nupsit *Alexandro Ptolomeo*: sed pater ejus *Ptolomeus Evergetes* abstulit eam Alexandro, & fugavit eum in Arabiam, ubi Rex Arabum occidit eum. Et dedit filiam *Demetrio* filio *Demetrii*, qui sic regnavit in folio patrum in Syria. Ipsa etiam Cleopatra filium suum *Ptolomeum Pbyfconem* expulit à regno, & regnavit pro eo. Cleopatra dicens, se valorem centum fert. Uno haustu bibituram, unam de duabus margaritis, quæ in auribus ejus pende-  
bant, in acetum posuit, statimque solutam absorbit, dictum suum confirmando, ut dicitur in *libro de mirabilibus mundi*. Similiter *Antonius* uniones in conviviiis sorbuerat solum, ut experietur, quomodo saperent margaritæ. Pater etiam ejus lingvas hominum, id est, aves loquaces care emtas cœnaverat. Quarit igitur *Plinius*: Quis gulosior fuit, pater, an filius? *Ibidem*: *Crassus* missus à Romanis præfectus Syriæ, *Hircano* mortuo, sustulit omne aurum de templo. Erat enim inexplebilis cupiditatis. Hic cum contra fœdus datum à *Pompejo*, *Euphratem* transfret, captus à *Parthis*, ignominiosè decollatus est, cum multo Romanorum detrimento. Avaritia namque illius ad tantum nefas exolevit, ut XII. legiones Romanorum captæ vel cæcæ, cum ducibus filioque *Crassi*, fuerint. Caput vero *Crassi* cum manu dextra ad Regem *Parthorum* delatum, spectantibus erat ludibrio. Rex enim *Parthorum* aurum in os ejus jusfit infundi, dicens: *Urat te Parthicum, quod te vivum urebat, aurum.* *Plinius* Lib. XXXIV. De hoc dicit: *Augustinus*: *Aurum sivit, & bibit, & aque perit auro, quam veneno.* In *Decretis* 1. q. 1. quod quidam. *Catilina* etiam Romanus quidam conjuravit contra quosdam Consules Romanos, quem *Crassus* juvit, & quasi omnes juniores: Sed Senatores tandem eum occiderunt.) *Iulius Cæsar*, dictus est *Iulius*, quia fuit de progenie *Iuliorum*, de femine *Æneæ*. *Cæsar* proprio nomine, *Cæsar* à cædendis hostibus, vel quia cæsus est ab utero matris, à quo omnes Romani Principes *Cæsares* vocantur. Et hoc vocabulum *Cæsar* antiquitus scribebatur per diphthongum, ut *Cæsar*. Sic adhuc apud *Teutonicos* dicitur *Kæser* vel corruptè *Keyser*. Hic est *Iulius*, de quo legitur, quod ejus ductu undecies centena nonaginta duo millia hostium cæsa sint. Quantum autem civilibus bellis fuderit, non est annotatum. (Hic cum esset XIII. annorum, literatus valde, clares Græco & Latino eloquio, factus est Præpositus templi. Historias multas dictavit & composuit. Juvit partem *Catilinæ*: sed eo mortuo, oratione luculenta coram *Catone* Senatue plene se purgavit à nota conspirationis. Tuncque Senatui tantum placuit, quod *Prætor Urbanus* factus est & *Consul*, ab Urbe condita 693. qui est *Dionysii* vigesimus primus annus. Missus est in *Siciliam* & *Hispaniam*, ibique videns in templo *Herculis* imaginem *Alexandri Magni*, statim ingenuit, dicens: *Certe vilis & debilis sum, quia nihil in vita mea peregi.* Hic dum esset ætatis mee, factus est dominus totius orbis. Post hæc *Pompejus*, Romanorum clarissimus Dux & Consul, duxit uxorem *Juliam*, filiam *Iulii*, vivente adhuc *Crasso* supradicto. Tunc tres isti, *Pompejus*, *Crassus* & *Cæsar*, summa dilectione conjuncti, facti sunt à Romanis Dictatores. Et ideo tres, ut duobus procedentibus ad bella, tertius Romæ sisset jura populo daturus. *Pompejus* igitur subjecit sibi regno totius orientis; *Cæsar* *Gallos*, *Teutonicos*, *Britones* cum cæteris, cum multo Romanorum sanguine, redegit in provincias. Inde enim dicta est provincia, quasi procul victa. Condidit autem in *Hispania* civitatem, quæ dicta est *Hispalis*, à palis fundamentis subjiciendis, quam ipse vocavit *Juliam Romulam*.) Condidit in *Gallia* præsidium nomine *Iuliacum*, quod vulgo dicitur *Jülcke*, situm inter *Coloniæ* & *Aquisgranum* cum aliis multis. Cum ergo reverteretur versus urbem, negabatur ei debitus honor triumphi, eo quod statutum sibi terminum quinquennii transgressus esset, & irrequisitis Romanis, in aliis quinque annis etiam *Hunos* eis subjugasset. Apud *Ravennam* igitur tunc existens fociis injuriam lacrymabiliter exponens, urbem fortiter aggressus est, & tandem urbe capta, *Pompejo*que cum civibus fugiente, ex arario M.M. M.M. XXXV. auri pondo, argenti vero prope DCCCC. protulit, & reversus ad suos per *Alpes* transit ad *Alamannos*, postulans ab eis & *Britonibus*, quos ante subjugarat, auxilium. Reversus est Romam, ubi tunc *Pompejus* gentes & Reges, quos in oriente subegerat, attraxit in auxilium. Ex omni igitur parte mundi sic vires contractæ, miserabilem pugnam commiserunt. (*Scava Basilii* totaque juvenus Romanorum juvit *Cæsarem*: *Cato* vero, *Cicero*, & omnes seniores Consules erant cum *Pompejo*, qui tunc dicitur habuisse LXXXIIX. acies bellatorum. Inter quos erant *Medi*, *Perse*, *Assyrii* &c. totiusque orientis auxilia. *Cæsar* autem habuit secum, *Gallos*, *Italos*, *Francos*, *Hispanos*, *Anglos*, *Saxones*, & totius occidentis auxilia: composuitque acies LXXX. Dum igitur in loco bello convenirent, patres videntes filios, fratres cæterosque consanguineos, pietate moti cogitabant non bellare. Videre namque erat & gemere contractas Urbis & Orbis vires ad mutuam occisionem: quos si concordia rexisset, nulli populi nullique Reges finire potuissent. Dum igitur sic starent attoniti, cogitantes mutuo, quid essent acturi, unus *Cæsaris* miles, nomine *Cæsternus*, fortis *Teutonicus*, impetuosè hostes invadens, Ducem *Æthiopiæ* taliter lancea percussit, quod mortuum cum equo stravit. Quo factò, inchoatur bellum. Videntes autem barbari, qui cum *Pompejo* fuerant, *Cæsaris* & suorum audaciam, fugere cœperunt; quos *Cæsarienses* insequentes tanquam pecudes prosternebant.) Ceciderunt  
ibi ex



ibi ex parte Cæsaris (h) 4000. Centuriones, Pompejanorumque (i) 15000. Cæsa etiam sunt ibidem innumera millia nationum, quanta nullus crederet, nec antea quis audivit, ut scribunt *Svetonius, Orosius, Iulius Cæsar, & Lucanus*, qui hanc materiam metricè persecutus est. *Cornelia* igitur uxor Pompeji cum filiis fugiens, navigio periit. Pompejus autem fugit in Ægyptum, accepturus auxilia à *Dionysio* Rege, quem Ægypto præfecit. Sed is fortunam magis, quam amicitiam secutus, Pompejum decollavit, caput cum annulo Iulio transmittens. Quibus conspectis Iulius flevit, & caput inundatum odoribus, honorificè sepelivit; veniensque postmodum in Ægyptum, interfectores Pompeji perimebat cum Rege, regnum dans *Cleopatra*, sorori *Ptolomæi Dionysii*, ultimi Regis. Post hæc Iulius Romam reversus, appellatus est Dictator. Prius tamen quasi V. annis regnavit ut Consul. Tunc *Scipio* timens Iulium, *Cato*que cum cæteris, qui neci superfuerunt, seipsos venenis occiderunt. Versus:

*Mavult Cato mori, quam derogat urbis honori.*

(*Portia*, Marci Cætonis filia, uxor Decii Bruti, dum audiret viri mortem, ob ejus amorem ignitis carbonibus projectis in guttur, se ipsam occidit. *Johannis Bocatii tractatu de claris mulieribus*.) *Marcus* autem *Tullius Cicero* receptus est in gratiam; & per eum *Marcellus* cum multis aliis nobilibus facti sunt amici Cæsaris.

Sic JULIUS CÆSAR potenter Monarchiam assumens, primus Romanorum imperavit annis quinque, cœpitque ab V. C. (k) DCCXXV, anno mundi M. M. M. M. CXVI. Iulius iste, dum ei quidam maternam originem objiceret, panificumque vocaret, patienter ridendo pertulit, dicens: Quid melius est, an, quod nobilitas in me incipiat, an quod in te desinat? Dum autem rempublicam instaurare vellet: Romani conspirarunt contra illum, *Bruto Cassio*que cum suis, necis ejus auctoribus. (Ante hos dies, die quadam bove quodam mactato, dum cor non inveniretur, dixerunt aruspices, hoc Cæsaris periculum designare. Ipse vero parvi pendens respondit: Quid mirum, si bos cor non habeat, cum etiam quædam animalia capita non habeant. *Calpurnia* etiam uxor ejus vidit in somniis Iulium confossum vulneribus in sinu suo jacere, dixitque, cavendas sibi fore Idus Martias. Quo die visò, Cæsar ait: Idus Martiæ venere. Illa respondet: Sed nondum transiere; rogans eum, ne in die ista Senatum intraret.) Ipse vero nihil mali suspicans de suis, quibus tanta bona fecerat, Senatum intrans, XXIII. (l) cultris senatoriis confossus est. Obiit igitur Iulius, vir magnanimus, anno vitæ suæ LVI, quo nemo celerius scripsit, nemo velocius legit aut dictavit. Quaternas enim epistolas quatuor scribentibus simul dictavit. Tantæ fuit bonitatis, ut, quos armis subegerat, clementia vinceret. Hæc & multa alia scribunt de eo doctores præmissi. (Unde *Suetonius Libro de Cæsaribus* dicit, *Iulium Cæsarem* vini parcissimum, quod nec inimici negaverunt. Erat & circa victum indifferens. Unde pistorem quendam in vincula conjecit, qui sibi meliorem panem, quam militibus, in mensa proponebat. De quo etiam Pantheon:

*Cæsar apud Gallos summum continxerit omen,  
Suppeditans gentes, devicinat & regiones.  
Concipit invidiam cito Pompejana potestas.  
Quod sibi lustra focer Cæsar sine canone præstat,  
Indeque lege reum concio damnat eum.  
Ina movet Iulium, quod non damnandus haberi  
Debit ob meritum, sed carus in Urbe teneri.  
Vulnere depereunt ambo, sed ille (m) prius.  
Cæteram Cæsarea nequeo narrare trophæa;  
Nulla manus Regum tot prælia minis patravit.  
Quattuor hic annis, sex mensibus imperat orbi;  
Vulnere, dum cecidit, bis duodena tulit.  
Cæsius & Brutus sunt fons & origo malorum:  
Ordo Senatorum sceleri consensit eorum.*

Corpore igitur *Iulii* secundum morem nobilium combusto, cineres in columna marmorea, CXX. prope pedum alta, in foro posita, quæ *Julia* dicitur pro reverentia, per populum sunt humati. Vix autem ultra triennium supervixit aliquis interfectorum *Iulii*. Damnati sunt enim omnes. Alius casu periit, alias naufragio; alter prælio. Nonnulli semetipsos eodem pugione, quo Cæsarem, interemerunt, & hoc *Octaviano* vindicante. Inventæ sunt autem in manu *Iulii* mortui literæ præcaventes de conjuratione: quas si legisset, cavisset.)

3920. OCTAVIANUS, Octavii senatoris filius, maternum genus ab *Enea* per familiam

(h) XL. C. & G. (i) XXXIII. C. & G. (k) DCCXXII. MS. Contr. (l) XXIV. MS. C. & G. (m) sc. Pompejus



liam *Juliam* fortitus, sororis *Julii* filius, quem ille adoptavit in filium, cum proprium non haberet; anno VII. *Cleopatra*, *Julio* *Cæsare* mortuo, sumsit imperium, & statim anno ejus tertio *Antonius* movet contra eum bellum. Sed tandem pacificati sunt, & *Octavianus* dedit *Antonio* sororem in uxorem, dividens secum imperium. Regnavit igitur cum *Antonio* & *Lepido* XII. annos, & postea solus XLIV. (Sicque simul regnavit annis LVI. & mensibus VI. Interea *Pompejus*, filius *Pompeji*, bellum movit in *Sicilia*, adversus quem *Cæsar* & *Antonius* pugnabant & expugnabant. Circa illud tempus *Germani* Romanos graviter infestabant, à quibus etiam *Quintilius Varus* cum tribus legionibus funditus est delectus. Quam cladem *Augustus* adeo graviter tulit, ut sepe præ dolore caput parieti collidens clamaret: *Quintili Vare, redde legiones.* Nullum itaque, præter *Punicum* bellum, Romanis legitur gravius fuisse, quam *Germanicum*.) *Lepidus* autem, magister equitum factus, insolentia tumens, exilio relegatus est. *Antonius* etiam, qui *Asiam* & *Orientem* tenebat, *Artabanum* *Armeniae* Regem dolo cepit, victumque ad confessionem thesaurorum suorum coëgit, expugnatoque oppido, in quo erant thesauri, magnam abstulit copiam argenti & auri. Ideoque factus elatus, *Cæsari* bellum indixit, sororem ejus *Octavianam* repudiando; & *Cleopatram* *Alexandriæ* reginam, ut regnum id consequeretur, duxit uxorem, (volens cum hoc etiam in *Urbe* regnare.) Propter quod *Octavianus* Imperator contra eum bellum movens, victoriam obtinuit; & prior *Cleopatra* velocissimis navibus fugit, & diversis mox ornata, venit ad *Cæsarem*, sperans eum, ut cæteros, ad libidinem allicere sua pulchritudine. Sed ipse sprevit eam, jubens custodiri. Quæ ubi se ad triumphum intellexit servari, ex custodia lapsa juxta *Antonium* se locavit, qui seipsum jam gladio (n) transverberaverat, admotisque ad venas brachii & mammillas serpentibus, morte quasi somno soluta est: Sicque per illam regnum adeptus, cum ea regnum simul & vitam perdidit *Antonius*. (Sic quoque regnum *Ægypti*, semper molli-  
tiam secutum, prostratum est in femina, & *Ægyptus*.) *Ægyptus* in provinciam redacta. (Cæsi sunt in hoc bello de parte *Antonii* XLIII. & *VIM.* vulnerati, non tamen sine damno Romanorum.) *Cæsar* tunc ab oriente victor rediens, cum triplici triumpho ingressus est urbem, ductis ante currum cum aliis nobilibus duobus liberis *Cleopatræ*; quorum unus *Sol*, altera *Luna* dicebatur; & præfecit tunc *Ægypto* *Cornelium Gallum*, Poëtam insignem. (Reperit *Augustus* ibi tantam pecuniæ copiam, ut ex hoc duplicia pretia venalium Romæ statuerentur.) Tunc primum *Cæsar* salutatus est *Augustus*, & ex hoc loco quidam supputant primum annum suæ monarchiæ. (Fuit autem annus ejus XV. Ex hoc *Augusto*, mensis *Sextilis* nomen accepit *Augusti*.) & omnis Imperator ex eo scribit se *Augustum*, sicut à *Julio* *Cæsare* *Cæsarem*. Versus:

*Antonius perit, sic Cleopatra luit.*  
*Filius & nata, quos tunc habuit Cleopatra,*  
*Nomine vulgari sunt Sol & Luna vocati;*  
*Sunt quasi mancipia capta morique data.*  
*Cæsar, ut ille ruit, summus in orbe fuit.*

(Tuncque primum civilia bella sopita sunt. Nam per annos quasi DCC. usque huc, una tantum æstate, Romani non bellaverunt, alias semper.) Iste *Augustus* ædificavit *Tungrin* civitatem, quam *Octavianam* appellavit. *Cantabros* & *Astures*, ferocissimas *Hispaniæ* gentes, in quinque annis subegit. *Indorum* & *Scytharum* Legatos supplices, pacem rogantes, accepit. Tanto amore etiam apud barbaras gentes habebatur, ut plerique Reges in honorem ejus, civitates ejus *Cæsareas* appellarent. Clementissimus erat erga cives, fidissimus in amicos; armis erat invictus, brevis staturæ, nigris capillis, eloquens valde & paululum impatiens; quo non in bellicis felicior, nec in pace moderatior fuit. Leges aut novas protulit, aut malas correxerit. Auxit & ornavit Romam, isto glorians dicto: *Urbem latericiam reperi, marmoream reliqui.* Tempore hoc, die quadam, hora quasi tertia, circulus, quasi arcus celestis, ambivit *Cæsarem* Romam ingredientem; quasi sol monstraret, & eum clarissimum in orbe, & tempore ejus nasciturum, qui solem & mundum fecisset & regeret. Tres etiam soles, exorti similiter, in eundem orbem coierunt, significantes, tres partes mundi, scilicet *Asiam*, *Africam* & *Europam*, uno regno Romanorum adunari. Tunc etiam erant sub ejus imperio XLIV. legiones militum: unde milites, multitudine feroces, quosdam tumultus excitaverunt in populo. *Cæsar* ergo ingens animo, XX. millia eorum exauctoravit, XXXM. fervorum Dominis restituit; VI. millia, quorum Domini non extabant, in crucem egit: Jam tunc præsignans nasciturum, quo superbientes reprimendi, & servi suo vero Domino restituendi essent; qui vero Dominum non recognoscerent, mortis supplicio punirentur. His diebus fons olei è taberna meritoria trans *Tiberim* de terra exundans, per totum diem largissime fluxit; significans, in *Christi* nativitate oleum sacri chrismatis in Ecclesiam indefinenter emanare: agnusque in medio (o) sacro locutus est, designans, *Christum* agnum Dei

(n) transverberaverat. MS. Cont. (o) foro MS. C.



Dei nasciturum, qui verbum suum mundo seminare. (His etiam temporibus floruerunt plurimi Poëtarum, inter quos erat *Marcus Plancus*, Ciceronis discipulus, orator insignis, qui *Lugdunum* condidit; *Athenodorus Stoicus*; *Sicio Alexandrinus*, *Marcus Flaccus*, *Valerius Maximus*, *Cornificius*, poëta disertus, qui milites à bello fugientes appellavit *galeatos lepores*, à militibus tandem ob hoc occisus; *Varro Marcus Terentius* CX. anno suo moritur, anno Augusti XV. *Ovidius Naso*, lætus & facetus, sententiarum floribus multimodis repletus, ut dicit *Hugo*. Multa scripsit, scilicet librum *Epistolarum*, qui incipit:

*Hanc tua Penelope lento tibi mittit Ulyssi:  
Nil mihi rescribas, attamen ipse veni.*

*Naso* mirus medicus, morbi amantior quam salutis, qui seria, qui levia scripsit amoris remedia; librum de remediis, librum *Factorum*, de *Ponto*, in *Ibin*, *Tristium*, qui incipit:

*Parve, nec invideo, sine me liber ibis in urbem:  
Heu mihi, quod domino non licet ire tuo.*

Et liberum de *Vetula*, in quo scribit inter cetera:

*O virgo felix, virgo signata per astra,  
Stella nitens rogo, des ut mihi vivere tantum,  
Quo possim laudum precium celebrare tuarum.  
Nam nisi tarta fores, ille non eligeret te  
Hic Deus omnipotens, ut carnem sumeret ex te.)*

*Herodes Afcalonita*, alienigena, filius *Antipatris*, *Idumæi* & *Cypridis Arabicæ* prius, ab *Antonio* Rex *Iudæorum* constitutus, confirmatur ab *Augusto*, anno regni ejus X. & regnavit annos (p) XXXV. (Qui ut *Judæis* se magis commendaret, uxorem suam *Doris*, de qua jam filium habuit *Antipatrum*, repudiavit, & circumcisus, regio semini se conjunxit, accipiens *Mariam*, filiam *Alexandri*, filii *Aristobuli*, fratris *Hircani*, Pontificis & Regis, in uxorem, de qua genuit duos filios, *Aristobulum* & *Alexandrum*. Et superduxit alias uxores: una fuit *Mataia*, de qua genuit *Archelaum*; alia *Cleopatra*, de qua *Philippum* & *Herodem*; & sic habuit sex filios, quorum tres, scilicet *Antipatrum*, *Alexandrum* & *Aristobulum*, per se occidit: propter quod *Augustus* dixit: *Mallet esse porcus Herodis quam filius*. In hoc *Herode* completa est *Prophetia Jacobi*, quæ dicit: *Non auferetur sceptrum de Juda &c.* Iste *Herodes* multas & magnas civitates construxit: *Samariam* à fundamentis suscitans, in honorem *Augusti* *Sebastiam*, id est, *Augustam* appellavit. *Cæsaream* nomine *Cæsaris* condidit, quæ prius *Turris Stratonis* vocabatur. Ipse occidit *Hircanum*, ultimum Regem *Iudæorum*, ne regnaret. Similiter fecit occidi *Aristobulum*, fratrem uxoris suæ *Mariamne* & innocentes *Christi*. Avus ejus sacerdos *Apollinis* erat in *Afcalone*; pater autem ejus *Antipater* dux latronum erat: qui genuit duos filios, scilicet ipsum *Herodem* & fratrem ejus *Phaselum*. De *Herodibus* sunt versus:

*Afcalonita necat pueros, Antippa Johannem,  
Agripa Jacobum, claudens in carcere Petrum.*

*Augustus* regna, quibus jure belli potitus erat, præter pauca, aut eisdem reddidit, aut aliis tribuit, æque reputans Regem vincere & facere. Parcus erat in edendo. De fero, perfusum aqua fractum panem, aut frustum cucumeris, aut pomum, sumere solebat. *Macrobius* in *Saturnalibus*. Idem dicit: Soleo in *Augusto* plus mirari jocos, quos pertulit, quam quos protulit. Intravit quidam *Romam* sibi simillimus, quem quæsit: *Fuitne mater tua aliquoties Romæ?* Ille respondet: *Non, sed pater frequenter.* Cum quidam alter diceret: *Otyranne, tyranne;* respondit: *Si essem, non diceres.* Filias & neptes ita instituit, ut lanificio assuescerent, & filios armis exerceri præcepit. Versus:

*Erigitur nascente Deo Rex Octavianus,  
Germine Romanus, formosus, ad omnia planus,  
Militia validus: munere larga manus.  
Fit gladius vomer, sunt de cuspidis falces,  
Mars siluit, pax emicuit, miles fuit auceps;  
Nascentis Christi tempore pax rediit.  
Post annos quinquagenos mensesque decenos  
Spiritus Augusti reddit sua tempora celo.  
Surgit Tiberius, nomine functus eo.*

Nnnnnn

Virgilius



*Virgilius* obiit *Brundisii* anno Augusti XXV. sed ossa ejus translata sunt *Neapolim*, de quo supra in *Ptolomæo* *Dionysio*.

*Maria* Virgo nascitur anno Augusti XXVIII. *Horatius* LVII. ætatis suæ anno Romæ moritur. *Claudius Drusus*, privignus Cæsaris, Galliam Germaniamque subegit; *Augustam* civitatem Rhetix, quæ prius *Vindelica* dicebatur, instauravit, & *Moguntiam* fundavit, ubi & *Quintilius Varus*, Præfectus Augusti, cum V. legionibus Romanorum interfectus est, quia nimis avarus, Germanos nimis aggravavit.

*Zacharias* Pontifex de stirpe *Abia* Angelum vidit & puerum *Johannem* accepit. *Theodas*, cujus *Lucas* meminit in Actibus, Magus, persuasit populo secum *Jordanem* sicco vestigio transire, quem *Cuspius Fadus*, Procurator Judææ, cum multis interfecit. *Judas Galileus*, prohibens censum dari Cæsari, periit, & omnes, qui secum erant. *Cyrinus*, Præfectus missus est in Judæam census hominum describere anno Octaviani XLII. & inventa sunt (q) CXXXM. & XXXVII. hominum capita.)

JESUS CHRISTUS Dominus noster, Rex Regum, & Dominus dominantium, secundum carnem conceptus octavo Kal. Aprilis, feria sexta, natus est de virgine *Maria* die dominica, IIX. Kal. Januarii, anno ætatis quintæ DXC, anno regni Augusti XLII. & Herodis 31. Ab urbe condita DCCXV. (qq) ab initio mundi secundum minorem numerum (r) M. M. M. DCCCLXIII. & secundum *Eusebium*, *Bedam* & alios, anno mundi DMCXCIX. Unde *Beda*.

*(Unum tolle, datis ad millia quinque ducentis,  
Nascente Domino, tot Beda dat à protoplasto.*

Vel sic:

*Ante Jesum duo C. minus uno millia quinque.*

A nativitate Abrahamæ HMXV. Puer igitur *Jesus*, qui fuit in utero Virginis 276. dies, id est, IX. menses, & 2. dies, quia tantum temporis est inter IIX. Kal. Aprilis usque ad IIX. Kal. Januar. octavo die circumciscus, L. die à parentibus delatus in templum, à *Simeone* & *Anna* benedictus, fedit in hoc mundo annos XXXIII. menses III.

*(Cæsaris Augusti regnantis prætereuntur  
Anni triginta, quibus undecimum sociabis.  
Ab & Herodis erat regni tricesimus annus,  
Dum conceptus erat Christi Baptista Johannes,  
Hinc sexta luna concepit Virgo Maria.*

Tunc Romæ locutus est agnus, & fons olei fluxit.) Magi venerunt XIII. die Hierosolymam, ob quod *Herodes* necavit infantes, cum quibus & unum de filiis dicitur occidisse. *Sibylla* puerum in sole ostendit Cæsari. Ideo Cæsar nec serio nec joco passus est se dominum postmodum appellari. *Maria* fugit in *Ægyptum*, ubi tunc CCCLXV. idola corruerunt. Unde *Comestor* dicit: Sicut in exitu filiorum Israël de *Ægypto* non fuit domus in *Ægypto*, in qua non jaceret mortuus: ita nec modo fuit templum ibi, in quo non corruisset idolum. (*Sextus* *Pythagoricus* Philosophus claret. *Johannes* Evangelista nascitur. *Copponius* fit Procurator Judææ, cui successit *Marcus*. *Herodes Ascalonitæ* obiit anno Augusti XLVII. quem ultio divina tetigit, ut sibi vitam adimeret, *Archelao* filio suo regnum derelinquens. De Herodibus *Pæma Aurora*:

*Quod tres Herodes fuerint, Josephus manifestat:  
Primus, qui pueros necat, & loca multa molestat.  
Herodes alius fuit ex isto patre natus,  
Cui pacem fecit in Christi morte Pilatus.  
Tertius Herodes Rex est Agrippa vocatus  
Natus Aristoboli, per multa pericla rotatus.  
Herodes primus misit, puerosque necavit,  
Filius Herodis jussit, tenuitque Iohannem,  
Tertius Herodes misit, Iacobumque peremit.*

Fames dira facta est Romæ, quæ ideo creditur facta, quia *Augustus* *Cajum* non corripuit, quinimo laudavit, quod templum Hierosolymitanum adhuc sanctum violavit. *Tiberius* fit Cæsar ab Augusto.) *Jesus* redit ex *Ægypto*. *Archelaus*, qui IX. annis regnavit, dum populus clamaret, sibi tributa levare, vectigalia tolli, carceres aperiri: novem millia ex eis manda-

(q) DCCXVIII. MS. C.

(qq) nonages HMLXX. MS. G.

(r) 3963. MS. C.



mandavit occidi. Ideo apud *Tiberium* accusatus, missus est in exilium *Vienna*, ubi miserabiliter mortuus est. Et dicitur *Vienna*, quasi *via gebenna*. Reliquit filium, qui dictus est *Herodes Agrippa*. Frater ejus erat *Herodes Antipas*, qui rexit annis XXIV. Augustus *Nolam* ingressus, obiit anno ætatis suæ LXXV; quem mortuum, senatus multis modis honoravit, (dicens: *utinam aut non nasceretur, aut natus non moreretur.*) Solis Eclipsis facta est.

TIBERIUS CLAUDIUS NERO, privignus Octaviani & adoptione filius, regnavit annis XXIII; prudens in armis & fortunatus, præclarus eloquio, cum modestia reipubl. præfuit. Dalmatiam redegit in potestatem Romanorum. Procuratores provinciarum vix unquam amovit, dicens, se in hoc parcere plebi. Nam *procuratores*, ait, *tanto gravius dominantur, quanto brevius*: dans exemplum de vulnerato, cui dum quidam muscas saturatas misericordia motus abegisset: *novas famelicas mihi, dixit vulneratus, adduxisti. Idem scripsit ad præfides: boni pastoris jus esse tondere pecus, sed non deglubere.* Etsi autem primo esset frugalis, postea tamen gulosus factus, pro Tiberio dictus est *Biberius*, pro Nerone *Mero*. Dilexit Christianos, suadens Romanis, ut *Jesus*, qui tanta bona faceret, ut exemplo cognovit *Pilati*, & *Veronica* visa sanatus est à lepra, pro Deo coleretur. Quod Romani renueverunt facere, eo præcipue, quod *Jesus* paupertatem amaret, & solus Deus dici vellet, cum ipsi multos Deos colerent, & divitias amarent. (In Ecclesiastica Historia libr. 2. cap. 2. Unde Tertullianus legum & institutionum Romanarum peritissimus, & inter nostros Scriptores admodum clarus, in Apologetico suo retulit: *Vetus erat decretum, nequis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probatus.* Et addit: *Licet Senatus recusaverit, Tiberius tamen Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Versus:

*Tiberii lepram divina Veronica sanat,  
Rosa nimis facies sanatur Vespasiani.*

Artifex quidam vitri temperamentum excogitavit, ut vitrum esset flexibile & ductile, quem Tiberius, postquam, se solum hanc artem scire, juramento firmaverat, fecit decollari, ne vitrea vasa pro aureis optarentur. Versus Pantheon:

*Surgit Tiberius, cui subjiciuntur honores,  
Cujus & imperio sævus damnatur Herodes,  
Pilatus capitur, gens homicida dolet.*

*Annis Tiberius vixit simul octoginta,  
Morte remisit onus, reddens sua tempora cæcis;  
Sed prius in terris commoda multa dedit.)*

Duo *Gymnosophista* venerunt Romam, quibus Tiberius caballos marmoreos fecit fieri; & hodie locus ille, Romæ dicitur *ad Cabalinos*. Terræ motu XIII. urbes in provincia *Ephesiorum* ceciderunt. *Ovidius* in exilio moritur, propter libros de amore damnatus ab Augusto. Cæsar enim licet per se esset incontinens, istius tamen vitii gravis ultor erat. Unde & filiam suam *Iuliam*, in adulterio deprehensam, similiter relegavit exilio. *Ovidius* autem moriens, petivit ossa sua Romam deferri, cum hoc epitaphio suo:

*Hic ego, qui jaceo, tenerorum lusor amorum,  
Ingenio perii Naso poeta meo.  
At tibi, qui transis, non sit grave, quisquis amasti.  
Dicere: Nasonia molliter ossa cubent.*

*Tetrarchia* sunt in *Indaa*, & committuntur quatuor fratribus *Herodis*, qui rexit (s) XXIII. annis, *Antipatri*, *Lysania*, & *Philippo*, qui *Panæaden* vocavit *Cæsaream Philippi*, & fuit tetrarcha *Ituræ* & *Traconitidis*. Cujus uxorem Rex Arabum *Aretas*, pater uxoris, *Philippo* abstulit, & *Herodi* dedit, tanquam majoris famæ & potentis. *Valerius Grævus* fit procurator *Judææ*, semper ad annum novum pontificem instituens, inter quos erat *Josippus* dictus *Caiphas*. *Valerio* successit *Pontius Pilatus*, & fuit Procurator anno Tiberii XII. *Iohannes* filius *Zachariæ* de tribu *Levi* cepit prædicare anno Tiberii XV., à quo Dominus *Iesus* baptizatus, cepit prædicare anno suo XXX, & in tertio anno crucifigitur, cum esset. XXXIII. annorum & trium mensium. Tempore quoque passionis ejus Eclipsis maxima fuit, & dirupto velo, valvæ templi, quæ vix à XX. hominibus poterant aperiri, sponte patefactæ sunt. *Stephanus* lapidatur, *Saulus* convertitur, *Paulus* nominatus, *Damasci* baptizatus. *Iacobus* frater Domini, primo anno ascensionis Christi fit Episcopus Hierosolymitanus, seditque annis XXX. Scripsit epistolam canonicam; (Nazarenus, de pinna templi præcipitatus, fullonis fuste percussus, obiit propter fidem anno Domini LXIII. *Longinus*, qui Christum lanceavit, illuminatus in Christum credidit, ab Apostolis instructus. XXXVIII. annis monachicam vitam duxit,

Nnnnn 2

(s) XXIII. MS. G. & C.



duxit, pro fide Christi decollatus. *Paulina, neptis Tiberii, virgo violata vindicatur à Tiberio.* Versus:

*Grandis in orbe soli Dea scribitur Isidis olim:  
Nam quasi voce poli responsa dabat regioni.  
Unica Tiberii neptis, matrona decora,  
Isidis in templo Paulina frequenter adorat.  
Hæc ubi sæpe meat, miles amabat eam:  
Cui quoque, sicut heri; sed displicuit mulieri,  
Unde sacerdotem poscit, ut addat opem.  
Poscit, ut hanc nocte faciat templo residere,  
Atque Dei promittat ei responsa moveri.  
Intus erant miles, dum venient ipsa, latenter.  
Hoc præventa dolo perdidit illa decus.  
Post hæc Paulina monstrat se miles eunti,  
Dicens: obtinui functus amore tui:  
Audit, & obstupuit mulier tristissima verbo,  
Iudice Tiberio ponens lacrymosa querelam.  
Cævia condoluit totaque tristis erit.  
Idola Tiberius iubet in Tiberim jaculari,  
Atque sacerdotem templumque sub igne cremari.  
Pulsus ab Urbe foras miles honore cadit.  
Illaque tunc scelere se non fuisse probavit,  
Denique se gladio Paulina pudica necavit.  
Spiritus & sanguis sit mihi testis, ait.)*

*Petrus celebravit primam missam Antiochia, (dicendo solum Pater noster cum verbis consecrationis. Filius fuit Jonæ de provincia Galilææ à Bethsaida, frater Andreæ,) seditque ibidem septem annis. Prædicavit tamen prius IV. annis in partibus Orientis. Pilatus iussu Tiberii relegatus in exilium, Lugduni seipsum occidit, anno domini XI: à cujus tempore Judæis nunquam furor seditionum, nunquam bella mortesque cessarunt, usque quo penitus à Vespasiano deleti sunt. Vitellius post mortem Pilati fratrem suum Alexandrum Tiberium substituit procuratorem Judæorum. Vitellius Syriam regebat.*

CAJUS CALIGULA, sic dictus à *caligis*, quibus, natus in exercitu, fuit coöpertus; regnavit annos (\*) IV. menses X. Sceleratissimus & pessimus fuit; plurimamque fecit, quæ non decet memoriæ tradi. Exclamasse fertur: *Utinam populus Romanus unam cervicem haberet!* Hic primus, diademate sibi imposito, dominum se iussit appellari, in Deorum numerum se referri, & ædes Jovis vocari *Novi Dei Caji*. Senatores XXXV, & Equites CCC, ludendo fecit submergi. Cum autem adversus omnes ingenti crudelitate sæviret, occisus est anno vi-tæ suæ XXVIII. Hic fecit statuas & imagines sub nomine suo in synagogis Judæorum erigi per *Petronium Præfectum* suum. *Herodes Agrippa*, filius *Aristobuli*, fit Rex Judæorum à *Cajo*, qui primo anno sui principatus, occiso *S. Iacobo* majore, apprehendit & *Petrum*. Hic quadam die cultu regio procedens ad populum, acclamantem sibi laudes Dei, cum non dedisset gloriam Deo, tristem mortis nuntium bubonem videns, ad terram prostratus & ab Angelo percussus, suis fertur dixisse: *Ecce ego Deus vester, cui acclamastis.* Sic vermibus confumtus exspiravit anno VII. regni sui, & *Claudii III.* Reliquit filium *Agrippam Regem* & tres alios. *Herodes autem Antipas* Tetrarcha, qui *Iohannem* decollavit, & passioni Domini interfuit, Romam venit, cogente *Herodiade* uxore sua. Ipsa enim, quia vidit *Herodem Agrippam* fratrem suum à *Cajo* Regem factum, cæpit exprobrare marito fœcordiam, dicens: *Cum Agrippam ex privato fecerit Regem, non est dubium, quin te ex Tetrarcha provehat ad majora.* Profectus igitur Romam, accusatus vehementer de avaricia & aliis malis, privatus est Tetrarchia, & exilio relegatus: quem *Herodias* secuta, & pariter perierunt. Versus:

*Cajus Caligula bello superavit Hebræos;  
In templo Domini collocat ipse Deos.  
Nomine quippe suo Jovis est ibi grandis imago,  
Hanc adorare mandatur Hebræa propago.  
Quatuor ac annis, sex mensibus enumeratis,  
Cajus exsolvit Casar sua tempora fatis.  
Tunc apud Antiochos Petrus pro Præsule sedit.*

(*Philo* genere Hebræus, insignissimus scriptorum floret, qui non solum in nostra, verum & in Græcorum Philosophia primus inter primos habetur. Hic quidem genere à proavis Hebræus, apud Alexandriam omnibus viris claris & nobilibus clarior & nobilior erat, sicut di-

cit



cit Ecclesiastica Historia L. 2. cap. 4. De quo scribitur: Hic temporibus Caji, quanta Judæis acciderint mala, duobus voluminibus exposuit; sicut & Josephus 18. lib. Antiquit. dicit: Dum apud Cajum Appion, legatus Græcorum, Judæos accusaret, Philo magnificus, Philosophiæ non ignarus, potentissime purgat objecta. Sed abiecit eum Caju. Et sequitur: ex admitti sacrilegii tempore nunquam ab eis seditionem furor, nunquam bella mortesque cessarunt, usque dum ultimum & exitiale malum temporibus Vespasiani eos obsidioni inclusit. Hieronymus in Catalogo Scriptorum.) *Matthæus Evangelium primus scripsit Hebræis Hebraice, anno Domini LX. Colonia conditur, ab Agrippa Agrippina nominata.*

**C**LAUDIUS avunculus Caji, filius *Drusi*, qui privignus fuit *Augusti* & apud *Maguntiam* habet monumentum, regnavit annis XIII. mensibus (t) VI. *Britannis* bellum indixit, & triumphavit anno imperii sui IV. & *Orcadas* insulas Romano adjecit imperio. Libidinosus, vecors & hebes erat. Ideo videbatur mitis imprudentibus, sicque factus factus est à militibus Imperator. Svafu ergo uxoris suæ *Britannicum* filium suum, quem in *Britannia* genuit, exortem faciens, filium filix *Neronem* constituit successorem. Uxor autem ejus *Agrippina*, soror Caji, & mater *Neronis*, privignum suum *Britannicum* primo, deinde ipsum maritum extinxit veneno. (Anno vitæ suæ 66. *Phœnix* avis apparuit in *Ægypto*. *Palamon* Græcus Romæ claruit, qui interrogatus, quid inter stillam & guttam distaret? *Gutta*, inquit, stat, stilla cadit.) De Claudio scripsit *Seneca* librum, qui dicitur *Ludus Seneca*. *Marcus* scripsit Evangelium; passus *Alexandriæ* anno suo LXIII. Divisio Apostolorum facta est. Fames Romæ facta est IV. anno Claudii, quam *Agabus* prædixit. Unde Imperator Romæ populi conviciis & panum fragminibus infestatus, vix furiam plebis evasit. In diebus azymorum XXX. millia Judæorum cæde prostrata sunt seditione vulgari. In Ecclesiastica Historia Lib. 2. cap. 19.

**P**ETRUS Apostolus, filius *Iohannis*, tenuit cathedram sacerdotalem in terra sancta quatuor annis, ubi primam missam celebravit: Inde *Antiochiæ* cathedram Episcopalem VII. annis & IIX. diebus. Deinde fit Episcopus Romanus, sedens annos XXV. menses VII. dies VIII. Ordinavit Episcopos VII. Presbyteros X. Diaconos VII. quos misit in orbem seminare verbum Dei; inter quos erat *Joseph*, ab *Arimathia*, nobilis decurio, qui prædicans in *Anglia* multos convertit. *Timotheus* venit *Bardewic*, ubi & multos *Saxonum* convertit. *Judas* venit in *Angliam*, & cum *S. Joseph* & aliis, convertit Regem cum tota (tt) familia; *Eucharius*, *Maternus* & *Valerius Treverim*, propter quæ hæc urbs *Triumvir* nominatur. Versus.

*Eucharius fuit, atque suus collega Maternus,  
Discipuli Petri; Verbum coluere supernum,  
Quos sibi trans Alpes Petrus abire jubet,  
Cumque Jovis Montem niveo jam calle subirent:  
Ille Maternus abire, sed iter timet alter inire.  
Qui Romam rediens, indicat aëlia via.  
Præbet ei baculum, quo fungitur ordine Petrus;  
Tactus eo socius, surrexit pergere secum;  
Perveniant Treverim, prædicat ille Deum.  
Quadraginta dies fuit iste prius tumulatus,  
Qui totidem Treveri tulit annis Pontificatum  
Est & ibi baculus, quo sibi vita datur.  
Nullus habet baculum Romæ per secula Præsul:  
Hoc erat in Treveri perpetuale decus.*

Item de Petro Versus:

*Tempore Tiberii, Caji que, simulque Neronis,  
Petrus erat Papa Romæ Religionis,  
Dogma fidemque Dei primus in orbe colit.  
Petrus in Antiochiæ septenis federat annis;  
Bisque decem Romæ servit de jure tyrannis  
Insuper & quinque, sedit & octo dies.*

(Paulus Athenis reperit aram ignoti Dei. Convertit *Dionysium*. *Maria* Virgo assumitur secundum aliquos. Hinc Versus:

*Virgo parens vixit sexaginta tribus annis.  
Quattuor atque decem fuit in partu benedicto,  
Trigintaque tribus cum nato vixerat ejus,  
Sexque decem sola, cum filius astra subivit.)*

Nnnnnn 3

*Epipha-*



*Epiphanius* tamen dicit: Maria vixit XXIII. annos post Christi ascensionem. *In Speculo* dicitur: anno secundo post ascensionem Domini fuit assumpta. *Pantleon* dicit:

*Iam quinquagenis transactis virginis annis  
Spiritus & corpus transit ante Deum.*

*Felix* fit Præfes Samariæ & Galileæ, qui delevit *Ægyptium*, qui IIIIM ficariorum habens Judæos seduxit. (ut patet in Actis Apostolorum, & in Ecclesiastica historia Lib. 2. cap. 21. Sub Claudio inventi sunt Romæ Cives sedecies CMDCCCXL. Alii scribunt sexages novies CXLIIIM.)

**N**ERO DOMITIUS regnavit annis (u) XII. mensibus VII. dies XXIX. anno Urbis condita 807. in principio bonus, in fine nequam: de quo *Trajanus* dicere solebat: *cunctos principes longe distare à Neronis quinquennio.* Ipse magnam partem senatus interfecit; parricidia multa commisit, uxore, matre, fratre, magistroque interemit. Romam incendit, ut, quale fuisset Trojæ incendium, videret. (Piscabatur retibus aureis, Soleas argentæas fecit mulis & equis. Bonis fuit hostis.) Persecutionem primam intulit Christianis anno ejus X. Propter hæc & alia à Romanis destitutus, hostis publicus judicatur. Nihil omnino valuit in re militari. Inter alia Romani regni detrimenta Britanniam pene perdidit, quam *Claudius* subegit, ut dicit, *Beda* in gestis Anglorum Saxonum. Anno vitæ suæ (x) XXX. Romanos fugiens, seipsum interfecit, à lupis devoratus. Hujus frater *Granus* construxit in Germania locum, quem *Carolus M.* postmodum vocavit *Aquisgranum.* Versus:

*Gesta Magi Simonis, vel Regis culpa Neronis,  
Regibus exemplum pariunt fratrumque furoris:  
Suntque timor reprobis, spesque beata bonis.  
Scandit Nero thronum blasphemus in orbe colonus,  
Nulla sorte bonus, neque dignus honore patronus,  
Saccus opum, scelerum signifer, orbis onus.*

*Festus* fit Præfes post *Felicem*, occisus à Teutonicis propter avaritiam suam. Ab hoc *Paulus* appellavit Cæsarem, veniens Romam cum S. *Barnaba.*

(*Barnabas* Cypricus *Joseph* fuit ante vocatus,  
*Moribus & merito Paulum* satis est imitatus.)

*Festo* succedit *Albinus*, *Iacobus Minor* lapidatur, & frater ejus *Simon Zelotes* substituitur, *Cleopha* filius, libr. 3. c. 9. hist. Ecclesiast. *Marcus* Evangelista, discipulus Petri, patitur *Alexandria*; cui successit *Anianus*, *Matthias* Apostolus lapidatur, & XLVII. martyres, à B. Petro baptizati, coronantur quorum festum Idibus Martii celebratur. Hoc etiam tempore passi sunt *Apollinaris*, (2) *Nazarius*, *Celsus*, *Gervasius*, *Prothasius*, *Processus*, *Martinianus*, *Felix & Constantia.* Terræ motus Romæ fuit, & Asia tres civitates ceciderunt. Poëtæ floruerunt *Juvenalis*, *Lucanus*, *Persius*, *Statius*, *Probus* nomine Germanicus eruditissimus, & *Seneca* Cordubensis, magister Neronis, necatus ab eodem. (Tres filios habuit, *Novatum*, *Serenum* & *Melam*; qui scripsit, Judæos, quia Sabbatum inutiliter custodiunt, septimam partem ætatis perdere, *Augustinus* VI.) de Civitate. Hujus hoc est Epitaphium:

*Cura, labor, meritum, summi pro munere honores,  
Ite, & post alias sollicitate animas.  
Me procul à vobis Deus avocet, & licet, actis  
Rebus terrenis, hospita terra, vale.  
Corpus avara tamen solennibus accipe saxis:  
Namque animam cælo reddimus, ossa tibi.*

Uxor *Senecæ*, *Pompeja Paulina*, ob amorem vini, cum vir necaretur, paucis diebus supervixit. *Petrus* crucifigitur, & *Paulus* decollatur. *Florus* successit *Albino* in Iudæa. *Colifæus* erigitur Romæ, habens altitudinis pedes CVIII. Sub Nerone Iudæi, Romanis rebellantes, in multis partibus sunt occisi. (Unde in *Cæsaria* ultra XXM. Iudæorum perierunt, in *Scythopoli* XIIIIM, in *Alexandria* LM, in *Ioppa* IIXMCCCC, in *Monte Alamon* IM, in *Damasco* XM, circa *Ascalonem* XM; & statim post hoc iterum IIXM. prostrati sunt ibidem, ut legitur in *Cosmodromio* Anno *Neronis* XIII. *Vespasianus* cepit *Iotapatam*, civitatem *Iosephi*, XLVII. die obsidionis Kal. Junii. Ibi capti sunt Iudæorum MCC, & mortui XLM; alii vero ad speluncas effugientes, tandem provenerunt Ierusalem, ibidem interfecti.) Galba

(u) XIII. MS. G. &amp; C.

(x) XXXI. MS. C.

(2) Nazarenus. MS. G. &amp; C.



**G**ALBA, nobilitatis antiquissimæ Senator, cum esset LXXIII. annorum, assumptus est ad imperium. Milites suos ita tractavit, ut alter diceret ad alterum; *Disce militare, Galba venit.* Mense VII. imperii sui interfectus est insidiis *Ortonis Lucii* familiaris, & confimilis in moribus *Neroni*; qui regnum arripiens, fugatus à *Vitellio*, se ipsum occidit, mense IV. regni sui. *Vitellius* autem à *Germanis* factus Imperator, nimis sævus, cum *Sabinum*, fratrem *Vespasiani*, cum multis aliis interfecisset in *Capitolio*, comprehensus à militibus *Vespasiani*, projectus est in *Tiberim*, regni sui mense VIII. Sic isti tres successive simul imperaverunt anno uno, mensibus VI.

**LINUS**, natione *Tuscus*, sedit annos X. menses III. dies XIII. Constituit, ut mulieres velato capite intrent *Ecclesiam*. Martyrio coronatus, juxta *S. Petrum* in *Vaticano* sepultus (aa) XIII. Kal. Octobris, de quo *Pantheon*:

*Linus emt vivente Petro, vivente Nerone:  
Namque vices ejus gessit, Tuscus regione,  
Annis quindenis ultima facta colens.*

*Et Cletus, vivente Petro, Lino sociatur,  
Qui simul exterius cumbat pontificatum,  
Sed dabat interius dogmata sacra Petrus.*

*Qui socius Lini fuerat pro tempore Cletus,  
Annis ter denis Roma sedisse videtur:*

*Quorum temporibus vixit in orbe Petrus.*

*Ignatius* fit *Episcopus Antiochenus*, de quo cap. IX. in *Chronicis Hieronymi* legitur. *Lino* succedit **CLETUS**, qui & **ANACLETUS**. In *Ecclesiastica Historia*, quam *S. Eusebius*, (*Cæsariensis Episcopus*) scripsit, non fit mentio *Cleti*, sed tantum *Anacleti*. (Dicitur tamen communiter in *Chronicis*.) **CLETUS**, natione *Romanus*, sedit annos XI. menses V. dies XI. ordinavit XXI. *Presbyteros*, sepultus juxta *B. Petrum*.

**VESPASIANUS**, dum cum filio suo *Tito* à *Nerone* Romanisque missus *Hierusalem* obfideret, audita *Neronis* morte, factus est Imperator à militibus ibidem, obscure quidem natus, sed militari virtute præcipuus, & optimis Regibus comparandus. Offensarum & inimicitiarum immemor, convicia in se dicta leviter tulit. Relinquens ergo *Titum* in obsidione, rediit *Romam*, imperans annos XI. (Quia inimicitias non servabat in corde, filiam *Vitellii*, inimici sui, multis ditatam divitiis, nobilissimo tradidit marito. Cum moneretur ab amicis, ut sibi caveret à *Themetio Pompasiano*, quia instaret pro imperio, Consulem eum fecit, dicens: *Quando regnum acceperit, talis beneficii memor erit.* Talibus sæpe verbis solatiofis iras hominum placare solebat. Dum *Vespasianus* esset in obsidione, claruit *Josephus*, qui & *Josippus*, sacerdos ex sacerdotibus, filius *Matthie*, C. 8. lib. 3. *Ecclesiasticæ* historię; historicus & Dux belli. Comprehensus, cum esset interficiendus, prædixit *Vespasiano* mortem *Neronis*, & eum imperaturum. Cumque responderet: *Si propheta es, cur tuis Judæis miseriam non prædixisti?* Ait: *Ego eis sæpe prædixi, & Deus multis signis & prodigiis præmonuit; sed indurati non crediderunt.* Sicque *Josephus* servatus ad vitam, scripsit de bello *Judaico*, cum multis aliis. Scripsit de excidio *Hierosolymorum* libros sive chronica, quæ sic incipiunt: *Quoniam bellum; quod cum Populo Romano gesserunt Judæi, maximum; finiuntur: quæ scripsi, habuerint conjecturam,* Et antiquitatum libros XX, de quibus libris idem *Josephus* dicit in fine libri 20. inter cætera sic; Et Imperator *Titus* in tantum eos probavit, ut manu sua subscriberet publice, ab omnibus legi debere, (ut dicitur in *Ecclesiastica Historia* lib. 3. cap. 2.) Rex vero *Agrippa* 62. epistolis de operis nostri veritate testatus est, (ut dicitur in *Ecclesiastica Historia* lib. 3. cap. 10.) Hoc tempore *Sancti Christiani*, qui fuerat in *Jerusalem*, revelatione divina & signis admoniti, à terra *Judæorum* discesserunt ad opidum, *Pellam* nomine, trans *Jordanem*. Multa enim signa defolationem istam præcesserunt. Die enim *Pentecostes*, ut idem *Josephus* scribit, sacerdotes in templo audiverunt vocem Angelorum: *Transmigremus ex his sedibus.* Super civitatem fidus, simile gladio, per annum duravit. Visi sunt in aëre ferrei currus & acies armatæ. Rusticus quidam nomine *Jesus*, filius *Anani*, quadriennio ante bellum in summa civitatis pace cœpit clamare: *Vox ab oriente, vox ab occidente, vox à quatuor ventis in Hierosolymam, vox in omnem populum.* Hoc autem die noctuque, per omnes vicos civitatis discurrens, septem annis & Umenibus continuavit, nec raucus nec fessus effectus. Et licet prohiberetur gravi cum pœna, non cessavit. Dum igitur anno quarto belli supra murum clamaret: *ve, ve, ve, Hierosolymis! ve templo! ve populo!* in extremis addidit: *ve & mihi!* sicque tormento misso peremptus est.) Dum igitur die *Paschali* in *Jerusalem* omnes *Judæi* propter festum confluxissent, ut soli *Judæi* peccatum illorum ibi essent: *Vespasianus* & *Titus* filius cum *Romanis* civitatem circumdederunt. (Tunc quidam *Judæorum* fugientes, florenos quos

(aa) XIII. MS. CORR.



quosdam deglutierunt, ut evadentes haberent, unde viverent. Quorum unum hostes deprehenderunt aureos in fimo ventris colligentem. Unde mox in castris fama percrebuit, auro plenos transfugas esse, & sic una nocte III. patefacta sunt viscera. In desolatione tali mulier quædam erat, *Maria* nomine, filia *Eleazari*, de vico *Behezob Beisaida*, quæ interpretatur domus hyssopi, genere & facultatibus nobilis. Huic erat sub uberibus parvulus filius, cui dixit: infelicis matris ô infelicior fili, in bello, fame & direptione prædonum cui te reservabo? Veni ergo nunc, ô nate, esto matricibus, prædonibus furor, seculo fabula. Et cum hæc dixisset, filium jugulat, igni superpositum torret, & medium quidem consumit, medium vero servat obtectum. Et ecce, confestim prædones irruunt, obultæ carnis nidore concepto; mortem minantur, nisi sine mora cibos, quos paratos fenserant, demonstraret. Tum illa quidem, partem, inquit, optimam reservavi; & continuo, quæ superfuerant, membra retexit infantis. At illos repente terror ingens invasit. Illa vero truci vultu: meus, inquit, hic filius est, meus est partus, & facinus meum est. Edite, nam & ego prior comedi, quæ genui. Nolite effici aut matre religiosiores aut femina molliores. Isti ergo territi, discedunt. Hæc in Ecclesiastica Historia lib. 3. C. *proprium filium coxit, & comedit.* Ibi tunc secundum Josephum tricesies centena millia Judæorum conclusi sunt: ex quibus centum millia fame gladioque perierunt, centies mille venundati sunt, triginta pro uno denario distractis per orbem, sicut ipsi Christum pro XXX. denariis emerunt. Captivorum numerus, qui toto bello comprehensi sunt, (bb) nonaginta septem millium collectus est: mortuorum vero decies centum millia. Horum plerique gentiles fuerunt; à totis enim regionibus ad azymorum diem festum congregati, bello subito circumfusi sunt. Hæc desolatio facta colligitur anno secundo Vespasiani, ab exordio Evangelicæ prædicationis anno (cc) XLII, à captivitate Judaica sub Antiocho anno CCXXXIX. Porro à Darii secundo anno, quo rursus templum ædificatum est DXC; sicque à prima templi ædificatione sub Salomone, usque ad desolationem sunt anni MCII, vel MLXXXVIII. Iosephus tamen ponit MLX. Facta igitur est hæc desolatio à Christi nativitate anno LXXII, juxta numerum LXXII. Idioma tum, & totidem discipulorum; ab urbe condita (dd) DCCCXXIII; & impleta est prophetia Evangelica Matthæi c. 25; *Cum videritis abominationem.* (Templum tamen cum civitate penitus destruebatur anno Domini LXXXIII, qui fuit L. ab ejus passione, & sic Judæi L. anno perierunt, quia datorem quinquagesimi five anni Jubilæi occiderunt. Versus:

*Imperiosa manus consurgit Vespasianus,  
Filius & Titus, quem post hunc laude canamus,  
Viribus amborum crevit in orbe salus.  
Filius atque pater populos destruxit Hebræos,  
Pro solo nummo triginta dedit Phariseos,  
Sicut ab his emus scribitur ipse Deus.)*

**TITUS**, *Vespasiani & Domicilla* filius, imperavit annis duobus, mensibus duobus, diebus viginti in utraque lingua, Latina scilicet & Græca disertissimus. Tam bellicosus fuit, ut in expugnatione Jerusalem XX. pugnatores confoderet ictibus XII. sagittarum; tantæ bonitatis, ut raro aliquem puniret (imo convictos adversum se conjurationis abolveret:) tantæ largitatis, ut nulli petenti denegaret, dicens: *neminem debere ab Imperatore tristem discedere.* Quando non recordabatur, se aliquid dedisse, dicebat, *se diem perdidisse.* Eratque omnigenere virtutum mirabilis, ut diceretur *amor & delicia generis humani.* Cum videret Judæorum tribulationem, flevit, dicens: *Deus tu scis, quod non ego, sed eorum malitia, hoc malum eis fecit.* Anno vero ætatis suæ XLII. morbo defunctus est in ea villa, qua & pater ejus apud Sabinos, tantusque planctus factus est in urbe, quasi orphani relinquerentur. *Martialis* unus ex discipulis Christi, *Apostolus Italarum*, obiit. *Quintilianus* Poëta (ee) floruit. Pestilentia magna Romæ fuit, qua sunt ultra decem millia hominum extincta. *Pantheon* sit Romæ per *Marcum Agrippam* ad honorem *Cybelis* matris Deorum, ad cujus revelationem Persas stravit & subjugavit. Nunc autem dicitur *ad Mariam rotundam, vel ad martyres Romæ.* (*Domitianus* multa erga multos crudelitate exercitata, plurimis in urbe Romæ nobilibus nullo merito, nulla ratione, trucidatis, & innumeris in exilium trasis, ad ultimum Neronianæ impietatis successor efficitur; secundus ab illo persecutionem molitur in nostros, cum utique pater suus *Vespasianus* nihil prorsus nostris irrogaverit injuriæ. In Ecclesiastica hist. lib. 3. c. 17.)

**DOMITIANUS**, frater Titi, magnus sagittarius, pessimus hominum, imperavit annos XV. Forum cum multis ædificiis struxit Romæ. Jussit se Deum appellari. Philosophos & nobiles repulit ab urbe & occidit. Movit contra Christianos persecutionem secundam anno Domini XCIII. In palatio à suis interfectus est, uxore sua *Domitia* consentiente, anno ætatis suæ XXXVI. Versus:

Titi

(bb) DCCCCMIH. MS. (cc) XL. C. (dd) DCCCXXIV. (ee) rhetor.



*Titi germanus tunc regnat Domitianus,  
Perfidus, insanus, sanctis crudelis, amarus.  
Perdat ut Ecclesias, mittit ubique manus.  
Rex annos sex atque decem rexisse notatur,  
Tunc & Anacletus Roma sedisse putatur.*

Lucas minister Pauli, scripsit Evangelium suum, & Iosephus libros XXIII. Antiquitatum. Abilinus Episcopus Alexandriae successit (ff) Amono, (qui 22. annis in sacro ministravit.) Apollonius insignis Philosophus, claruit. Quintilianus ex Hispania, Romae publicam scholam tenuit, & salarium è fisco accepit.

**CLEMENS** Romanus patre Faustino sedit annos IX. menses II. dies X. A Beato Petro substitutus coëgit *Linum* & *Cletum* pontificare, (ne talis substitutio traheretur in exemplum.) Quibus defunctis, electus est à clero: ideo quandoque dicitur primus, quandoque tertius post Petrum. Versus:

*Papa fuit Clemens Tito diadema tenente,  
Anni triterni, menses duo, quo moriente.  
Transierant & adhuc octo duoque dies.*

(Tertio anno Trajani martyrizatus est. Dionysius patitur Parisius) cum suis, Rustico & Eleutherio. Lucianus, discipulus S. Petri, similiter patitur, & Flavia Domitilla cum aliis relegatur. Iohannes Evangelista ab Epheso veniens Romam, missus in *Pathmos* insulam, relegatur, ubi scripsit *Apocalypsin*. Obiit in pace anno secundo Trajani.

**NERVA** imperat anno uno, mensibus X. qui omnia, quae Domitianus statuit, revocavit & damnavit. Ideo & S. Iohannes ab exilio revocatur, & scripsit *Evangelium*. Nerva iste, oppido Narvienti genitus, puellas puerosque egenorum, sumtu publico iussit alii, & postquam Trajanum adoptavit in filium, anno ætatis suæ LXXII. defunctus est. Versus:

*Domitianus obit, sed Nerva fit actor honoris,  
Qui cito lege fori damnavit facta prioris;  
Omne, quod instituit Rex impius, evacuatur:  
Fama Iohannis adest, vir ab exilio revocatur.  
Imperium Nerva spatio prædicatur anni.*

**TRAJANUS**, vir liberalis & optimus, Hispanus, imperavit annos XIX. menses VI. dies XV. Rempublicam ita administravit, ut omnibus Principibus merito præponatur. *Asia, Armenia, Babyloniaque* captis, ad *India* fines accessit primus & solus post Alexandrum magnum. Apud *Coloniam* factus est Imperator. Ab amicis culpatus, quod nimis familiaris esset subditis, ait: Imperator talis debet esse erga subditos, qualem erga se Imperatorem esse optaret ipse privatus. Hic dixit, malos non esse occidendos, sed tantum humiliandos & corrigendos, triplici exemplo: *Oculi lippi non debent erui, sed curari; Ungues acri præscindi debent, non evelli; Gborde in cibaria frangi non debent, sed remitti, si sint nimis extensa.* (Trajano, quodam tempore ad bellum festinanti, vidua quædam flebiliter occurrens dixit: *Filius meus innocens peremptus est; sanguinem ejus digneris, o Rex, vindicare.* Respondit: *Si sanus revertar, vindicabo.* Et vidua: *Si mortuas, quis?* Respondit ille: *qui post me impendit.* Et illa: *Quid, tibi proderit, si alter mihi justitiam fecerit? Nonne melius est tibi, si tu justitiam facias & mercedem recipias, quam alteri hanc transmittas.* Trajanus ratione pariter & pietate motus, equo descendens, pro vidua judicavit.) Hujus facti, & aliorum bonorum ejus, S. Gregorius memor, pro ipso mortuo oravit, & eum à pœnis liberavit. A Romanis inductus, persecutionem tertiam fecit in Christianos, *Plinium* Philosophum constituens præfectum, qui inter cæteros vidit quandam ancillam cum parvulo suo sponte martyrium subire. Scripsit ergo *Plinius* Imperatori, christianos catervatim currentes ad pœnas, nihil habere criminis, nisi quod Diis non immolarent, & Christum Deum suum ante lucem surgentes laudarent, à malis omnibus abstinentes; (nec adhuc contrarium Romanis legibus agerent.) Ob hoc Imperator rescripsit, *Christianos pro fide nullatenus inquirendos*, sicque persecutio sedata est. (*Plutarchus* Philosophus scripsit Trajano inter cætera; *Plato* inquit: *cum subjectos opprimunt magnates, perinde est ac si caput (præ) membris corporis intumescat, quod sine ingenii molestia ferri non potest.* Item: *Est, ac si pupillum tutor persequatur, vel cum suo mucrone jugulet eum, qui sibi ad sui defensionem gladium dedit.*) Trajanus igitur post ingentem gloriam, bello domique quæsitam, apud *Seleuciam* profluvio ventris est extinctus; cujus exusti corporis cineres in urna aurea Romam relati, humati sunt

(ff) Aniano, MS. C.



in foro Trajani, sub ejus columna, cujus altitudo CXL. pedes habuit; solusque Imperatorum sepultus est intra urbem. Hujus memoria tantum delatum est, ut non aliter Principibus assumtis à Senatu acclametur, nisi *Augusto felicior, melior Trajano!* Versus:

*Trajanus Romæ Syriam tenet & Babylonem;  
Finibus Indorum multam subigit regionem,  
Aliter Alexander, plurima bella movens.  
Annis quindenis lux Casaris ultima venit.*

ANACLETUS, Græcus ab Athenis, ex patre Antiocho, sedit annos IX, menses II, dies X. Constituit, ut clerici neque comam nutriant, neque barbam. De hoc XX. dist. Sacro. *Eusebius* dicit, quod sit Cletus; sed *Damasus* in Chronica Romanorum Pontificum, quam scripsit *Hieronymo*, ponit eos diversos; quia Cletus fuit Romanus, Anacletus Græcus. Sepultus juxta B. Petrum III. Id. Julii. *S. Focas* patitur, cujus festum est V. die Martii. *Pamtheon* Romæ fulmine crematur & reparatur. Terræ motu IV. urbes in Asia, & duæ in Græcia ceciderunt. *Iohannes Evangelista* obit, & *Plinius Philosophus* claruit.

EVARISTUS Græcus martyr ex patre Iudæo, nomine Iudas, sedit annos VIII. menses VII. dies II, sepultus juxta B. Petrum. Constituit VII. Diaconos, qui custodirent Episcopum prædicantem, ne ei terror impingeretur. *Ignatius*, secundus Episcopus Antiochenus, discipulus *S. Iohannis*, patitur, bestiis traditus, cujus cor divisum, in singulis partibus habuit literis aureis scriptum IESUS CHRISTUS. Cui substitutus est *S. Heros*. Tunc & *Simeon Cleopha* fit Episcopus Hierosolymitanus, crucifixus, cum esset annorum CXX. cui *Iustus* nomine successit. *Polycarpus*, discipulus *S. Iohannis*, Smyrnæorum Ecclesiæ Episcopus factus est. Tunc & *S. Primus* fuit Episcopus Alexandriæ, & *S. Papias* Hieropolis.

ALEXANDER primus Romanus, sedit annos X. menses V. dies II. Jusit aquam cum sale benedici, & in habitacula, hominum aspergi. In canone addidit: *Qui pridie, usque, Hoc est enim &c.* Jusit etiam, ut vino misceretur aqua, & ex azymo parvæ quantitatis consecraretur. Passus est cum sanctis *Theodolo*, *Eventio* & *Hermete*, Præfecto Adriani, per eum converso. De hoc Alexandro scribitur de con. d. 3. aquam; & de Evaristo 30. q. V. Aliter. Terræ motu ceciderunt tres urbes Galatiæ, anno Domini CXIII.

ADRIANUS Helius Italicus, de *Adria* civitate, unde & mare dicitur *Adriaticum*, imperavit annis (gg) XX. In omnibus gloriosus, facundissimusque Latino & Græco sermone. Pacem habuit omni tempore suo, ideoque dictus est *Pater patriæ*. Leges condidit, & columnam in urbe nomine suo fecit. Plurima tributorum urbibus relaxavit. Nepos erat Trajani, cui tamen invidens tres provincias reliquit, quas ille Romanis adiecit, *Armeniam*, *Assyriam*, *Mesopotamiam*. *Quartam* persecutionem fecit Christianorum, anno Domini CXXXVI. quam tamen statim revocavit. *Quadratus* enim Apostolorum discipulus, martyr & Episcopus Athenarum, scripsit Adriano librum pro Christiana religione, in quo inter cætera scripsit: *Iniquum esse propter clamorem vulgi innocentem sanguinem fundi;* quibus Imperator instructus, mitior factus est Christianis. Ipse misit *Lysiam* procuratorem in Iudæam, qui Iudæorum multa millia interfecit. Nam ad interitum sui Iudæi depopulati sunt Palestinam, quorum Dux dicebatur *Barabobas* i. e. stella, quia dixit, se cœlitus esse datum. Ideo oppressio iterum facta est eorum. Adrianus enim, qui *Ierusalem* restauravit, & eam *Heliam* à se nominavit, Iudæis Ierusalem intrandi licentiam negavit, mandans ibi non Iudæos, sed gentes collocari; & in scandalum Iudæorum in porta, quæ *Bethlehem* respicit, suam in marmore sculptam poni mandavit. Versus:

*Cæsar Adrianus sanctus diademate Roma,  
Urbis Ierusalem cupiens extinguere nomen,  
Nominat hanc Heliam, rem variare volens.*

Tunc floruerunt plurimi Christiani Philosophi: *Aristides* Atheniensis, vir fidelis, *Egesippus* Doctor fidei Christianæ clarissimus, ex Apostolica prædicatione quinque libros composuit; & historiam Iudæorum, à *Macchabæis* usque ad excidium Hierusalem, luculenter descripsit. *Aquila Ponticus* interpres, Biblia transtulit de Hebraico in Græcum. (*Secundus* Philosophus, qui semper tacuit, multa scripsit. *Serenus* & *Agrippa*, similiter Philosophi, floruerunt.) Sub hoc etiam passi sunt multi sanctorum, ut *Eustachius* cum suis, *Sophia* cum tribus filiabus, scilicet *Fide*, *Spe* & *Côaritate*. *Serapia* virgo Antiochena, veniens Romam, convertit *S. Sabinam*, passa cum eadem.

SIXTUS primus, martyr, Romanus, sedit annos XII. m. v. d. XXII. Ordinavit, ut cor-



ut corporale non fieret de serico, sed de purissimo lino non tincto. Ordinavit ad Missam *Sanctus, Sanctus*: & ne mulier vasa sancta tangat. *Saturnides, Basilides* cum sequacibus introduxit hæresin, & similiter *Menander* futor aliam hæresin *Simonis Magi*, parum ante confinxit. Tunc & terræ motus factus est in multis partibus: in Asia ceciderunt tres civitates, *Nicopolis, Casarea & Nicomedia*; in Græcia dux, & alibi alix; ad quarum restaurationem *Adrianus Imperator* largitus est impensas.

**TELESPHORUS** Græcus, natus ex anachorita (*eines Klüftners Sohn*) fedit annis XI. mens. IV. d. XXII. Ordinavit ad missam Hymnum angelicum & Evangelium; Item III. missas fieri in Natali Domini, & Quadragesimam septem septimanis servari. De hoc de con. d. 1. nocte sacra, & d. 4. leges) Sepultus est apud S. Petrum. *Cornelius*, quartus (ii) Episcopus, Antiochiæ floret. Hic Hierusalem restauratur.

**ANTONIUS** vel **ANTONINUS** Fulvius, gener *Adriani*, dictus *Pius* propter clementiam, imperavit annis XXII. mens. IV. Cunctis enim fuit benignus, nullis acerbus. Defendere provincias magis, quam ampliare, studebat. Pauperibus debita relaxavit. Ejus erat proverbium exemplo *Scipionis*: *Malo unum civem servare, quam mille hostes occidere.* Orbem terræ sine bello, sola autoritate semper rexit; quem adeo timebant & amabant cuncti Reges & populi, ut parentem sive patronum magis, quam Imperatorem eum reputarent; omnesque propitium optantes, de controversiis suis eum iudicem postulabant. (Ideo merito *Numæ Pompilio*, sicut *Trajanus Romulo*, comparatur.) Obiit apud villam suam *Dorium*. Versus:

*Antonius Pius est, patria pater inde vocatus,  
Parcere subiectis quia fertur ubique paratus,  
Non cogit populos ferre tributa suos,  
Imperat Antonius viginti circiter annos.  
Papa Telesphorus est Græcus, Roma venerandus,  
Annis undenis qui sua fata dedit.  
Utilis in populo, dignior ante Deum.*

*Iustinus* Philosophus & martyr, composuit librum pro religione Christiana, quem *Ortulio Antonino* & filiis ejus & Senatui Romano; de quo in Ecclesiastica Historia lib. 2. c. 13. *Hermes* scripsit de Paschate librum, ut fervetur die dominica; quem librum *Pastor* nominavit, quia in habitu pastoris angelus ei tunc apparuit. De hoc *Hermete* loquitur *Apostolus* in Epistola ad Romanos in fine, & Ecclesiastica historia l. 3. c. 3.

**HYGINUS** Græcus, Atheniensis, martyr, fedit annos IV. mens. III. d. VI. sepultus apud S. Petrum. De hoc de *Con. Dis. IV. in Catechismo*. *S. Felicitas* cum VIII. (kk) natis passa est Romæ. *Pompejus Trogus* Historiographus floruit. *Valentinus & Marcion* Ponticus Hæretici, *Basilides & Taurus* cœperunt, & *Apollonius* Philosophus floret. *Galenus* Medicus, ortus de *Pergamo*, Romæ claret. *Ptolomæus* Mathematicus, non Rex *Ægypti*, sed alter, floret. Composuit *Almagestum* centiloquium quadripartitum. Plus dicitur addidisse *Astronomiæ*, quam totum esset, quod ante se scriptum invenit. Hujus erat proverbium: *Qui per alios non corrigitur, per ipsum alii corriguntur.* Item: *Inter omnes alior existit, qui non curat, in cujus manu sit mundus.* Vixit annos (ll) LXXXVII.

**ANICETUS** Syrus, martyr, fedit annos IX. menses III. dies III. passus XVI. Kal. Maji. Sub quo *Polycarpus* Romam veniens, multos correxit, quod hæresis *Valentini & Cerdonis* subvertit. Iste *Polycarpus*, discipulus *S. Johannis*, passus est *Smyrnæ*.

**M.** (mm) **ANTONINUS & AURELIUS LUCIUS** frater ejus, imperant annis XIX. Iste *Antoninus* discipulus fuit *Frontonis*, magnus Philosophus, & dicitur habuisse omnes virtutes & ingenium cœleste. Si ipse eo tempore non fuisset, sine dubio Romana gloria periisset. Ipse gentem suam non gravavit, sed etiam tributa relaxavit. Ipse *Lucium* prædictum consortem fecit imperii; tuncque primum respublica æquo jure duobus paruit, cum antea semper unus extitisset *Augustus*. *Vologesus* Rex *Parthorum* Romanis rebellat, contra quem Imperator misit *Lucium*, qui, feliciter devictis *Parthis*, triumphavit, & post hoc a popplexia extinctus est. Sicque *Marcus Antoninus* iterum solus imperat, & statim filium suum *Commodum* fecit consortem regni. Illi, pater & filius, leges severas novis constitutionibus temperantes, multa bona fecerunt: & ne quid (nn) comitati deesset, pecuniis fisci pauperibus elargitis & concessis, tabulas in foro *Marcus* combussit. Ei contra *Germanos & Sarma-*

(ii) VIIms. C. (kk) VII. MS. C. & G. (ll) LXXXIIX. MS. C. & G. (mm) (*Marcus Aurelius Verus*) nobilis dictus, & *Antoninus* filius ejus cum *Lucio* Fratre imperant. MS. C. (nn) bonita-  
4. MS. G.



Sarmatas pugnanti, & siti cum exercitu fatigato, pluvia divinitus est concessa, cum ejus hostes fulmina necarent. Hanc pluviam scripsit Christianorum militum deprecationibus esse concessam, ideoque quartam persecutionem, factam anno Domini CLXVI, revocat. Ipse contra *Marcomannos, Wandalos, & Suevos* triumphat. *Seleucia* urbs Syriæ capta est à Romanis cum CCCM. hominibus, obiitque in Pannonia. Passæ sunt sanctæ virgines *Potentiana & Praxedis* sorores. Item *Polycarpus*, supradictus *Corona*, & *Victor*, *Pontianus*, *Concordius*, *Alexander* medicus, *Justus & Photinus* Lugdunenses Episcopi, cum innumerabili multitudine Lugdunensium. *Fronto* Orator insignis Marcum Imperatorem Latinis literis erudit. *Dionysius*, Corinthiorum Episcopus eloquentissimus, multa scripsit. *Melito* Asianus, Sardenfis Episcopus, multa scripsit egregia pro Christiano dogmate. *Apollinaris* Asia Hieropolitanus Episcopus, dedit insigne volumen pro fide Christiana. *Tatianus* Rhetor, factus hæreticus, infinita scripsit volumina, quem secutus est *Severus* hæreticus, à quo *Severiani* dicti sunt. Hæc omnia *S. Hieronymus*. Pestilentia tanta fuit, ut pene exercitus Romanus videretur deletus.

PIUS Papa, Italicus de Aquilegia, martyr, sedit annos XV. menses IV. dies XX. Constituit Pascha celebrari die dominica, quia antea celebrabatur more Judæorum, (de con. dis. III. Nosce. Sepultus est juxta Sanctum Petrum.) Sic simul regnabant *Pius* Papa, & *Pius* Imperator. *Theodotion* Ephesi interpret post adventum Domini incredulus fuit, & alter genere Judæus, profelytus aut Hebeonita, Hieron. super Dan. Interpretatus est Biblia similiter de Hebraico in Græcum. (Ebionitæ dicunt, Christum ex Josepho natum.)

(Anicetus Syrus moritur. Sedit annos IX, mensis III. dies III, passus XVI. Kal. Maji. Antonius Cæsar obiit apud villam suam, *Dorium* nominatam.)

SOTER Campanus, martyr, sedit annos (oo) IX, menses III. dies XXI. Constituit, ut legitima non habeatur uxor, nisi à sacerdote fuerit benedicta, & à parentibus tradita; cavens in hoc multis periculis, quæ solent circa matrimonium contingere. Sepultus est juxta S. Petrum. Versus:

*Papa Soter nunc sede sedet Roma venerandus  
Annis undenis, cujus & bona venit.*

AURELIANUS (pp) dictus *Commodus*, sed omnibus incommodus, quia malus: imperat cum *Lucio Antonio* annis XIII. Multos nobiles & sapientes interfecit; quare in tanta fuit execratione, ut hostis humani generis etiam mortuus judicaretur. Cujus uxor, meretricibus artibus pollens, viro egresso de balneo obtulit venum pro potu, eumque fecit frangulari. Hæresis *Cataphrygarum* oritur. Versus:

*Commodus imperio quindenis vixenti annis.*

Sub eo passi sunt *Photinus* Episcopus, cui succedit *Irenæus* Lugdunensis Episcopus, discipulus S. Polycarpi, passus cum magna multitudine: qui adversus hæreses scripsit egregia, in quorum uno ita concludit: *Adjuro te, qui transcribis librum istum, per Dominum nostrum Jesum Christum & per gloriosum ejus adventum, quo judicaturus est vivos & mortuos, ut conferas, postquam transcripseris, & emendes illum ad exemplaria, unde scripsisti, diligentissime. Hanc quoque obsecrationem similiter transferas, ut invenisti in exemplaribus.* Hæc *S. Hieronymus*. Romæ magna pars uritur incendio. *Origenes* nascitur, dictus *Adamantius*. *Lact.* de eo l. 6. c. 2. Nunquam super lecto jacuit, calceos nunquam induit, nunquam carnes comedit, nunquam vinum bibit. Multa scripsit egregia; qualis erat ejus doctrina, talis erat & vita. *Isidorus* dicit VI. *Etym.* *Hieronymus* fatetur, se sex millia voluminum *Origenis* legisse. Erravit in fide in certis punctis, quibus exclusis, cætera tutè leguntur; (in Epistola ad Pammachium.) Excusant tamen eum magni doctores, ut *Eusebius* Cæsariensis & *Ruffinus* Aquilejensis, dicentes, quod post mortem suam hæretici errores libris suis inseruerunt, ab obfusandum præclarum ejus nomen, ut scribitur in *Scholast. Historia*.

ELEUTHERIUS Græcus, martyr, sedit annos XIII. menses VI. dies V. Ad istum Papam scripsit Rex Britannorum, nomine *Lucius*, ut quosdam sibi mitteret, Britannæ fidem prædicantes; quod factum est, & *Britones* fidem susceptam usque in tempora *Diocletiani* servabant. *Beda* in gestis Anglorum. *Lucius* iste fundavit ibi XXVIII. Episcopatus, quia tot erant prius ibi flamines; quorum tres erant Archiflamines, quos fecit Archiepiscopus. Versus:

*Lucius in tenebris prius Idola qui coluisti,  
Ex merito celebris, ex quo baptisma cepisti,  
Cælestis medici merito curam meruisti.  
Præsul Eleutherius quindenos perficit annos,  
Sex menses & quinque dies, Græcus venerandus.*

HEL:



**HELIUS SEVERUS** dictus **PERTINAX**, quia coactus & repugnans, jam LXX. annos natus, suscepit imperium, imperans sex menses. Hic nunquam accepit munera. In tantum prius pugnavit, ut *pila fortune* diceretur. Rogatus à Senatu, ut uxorem suam Augustam, filiumque Cæsarem appellaret, respondit: *sufficere sibi, quod ipse regnâret invitus*. Hunc quidam Mediolanus, dictus *Salvius Julianus* occidit, & post eum septem menses imperat; in eodem palatio, in quo dominum occidit, decollatus à Severo sequente. Versus:

*Helvius unius anni statione recedit;  
Atramen in populo, qui sufficienter obedit,  
Viribus & meritis commoda multa dedit.*

*Africanus* Historicus Alexandrinus claruit.

**SEVERUS** Afer Tripolitanus, primus & ultimus, imperavit annos XVIII. Philosophus & bonus erat secundum *Bedam*, (qq) XVII. ab Augusto, Britanniam vallo cinxit à mari usque ad mare. Reipublicæ bella multa feliciter gessit, Parthos vicit & Arabes, unde *Parthicus*, *Arabicus*que dictus est. In omnibus quæ inceperat, efficax erat. Apud *Hebormacum* oppidum Angliæ obiit, anno ætatis suæ (rr) LXX, relinquens duos filios; *Getam*, qui publicus hostis iudicatus, interiit, & *Basianum* successorem. Persecutio quinta facta est, qua passi sunt *Philippus*, pater S. *Eugenix*, *Leonides* pater *Origenis*, *Montus* Episcopus; *Perpetua* & *Felicitas* Carthaginensis, & alii plures. *Tertullianus* Afer multa scripsit egregia, *Hieronymus*.

**VICTOR** primus, Afer & martyr, sedit annos IX. menses II. dies X. cujus non mediocria de Christiana religione extant volumina; cujus & festum agitur V. Kal. Aug. (de quo de Con. dis. III. Celebritatem.) Sepultus Romæ apud S. Petrum. Versus:

*Annis Papa decem concedit, nomine Victor,  
Atque duos menses adde, decemque dies.*

Tunc claruerunt: *Theophilus* Cæsareensis Episcopus. Composuit tria egregia volumina contra hæreses, scripsitque Cyclum paschalem. *Apollonius*, vir disertissimus, scripsit adversus Montanum & socios ejus insigne volumen, (in quo scribit, eos periisse suspendio; addens: confiteantur, eos non esse prophetas, sed insanos vates, quia acceperunt munera; quod mille testibus approbato.) Prisca enim, *Maximilla* & *Montanus* hæretici in Phrygia fuerunt: hinc *Cataphrygarum* hæresis eorum appellatur. (Hi dicunt, nec Apostolos, nec alios, Spiritum Sanctum accepisse, nisi tantum ipsi.) Fuit & alius *Apollonius*, urbis Romanæ senator, qui proditus, quod Christianus esset, insigne volumen, quod composuit, in senatu legit, & pro Christo obiit decollatus. *Hieronymus*.

**SEVERINUS** Romanus, sedit annos (ss) IX. menses VI. d. X. Constituit omnem Christianum XII. annorum Paschæ communicare. Statuit, ne vasa altaris essent vitrea vel stannea. Sepultus est in cæmeterio Calixti, de hoc de Con. dis. I. Vasa. Versus:

*Romanus Præsul Severinus, vir venerandus,  
Bis denos pariterque duos prævixerat annos,  
Fertque duos menses vitæ, decemque dies.*

*Symmachus* Ebionita interpres, Biblia transtulit etiam de Hebraico in Græcum. (*Porphyrus* auditor *Plotini* Philosophi composuit isagogas: de quo Eccles. Histor. l. 6. dicit: apud Ciliam adversus nos libros conscripsit *Porphyrus*.)

**BASSIANUS** filius Severi, alias M. Antoninus, cognominatus *Caracalla*, à quadam veste talari, pessimus hominum; imperat annos VII. & VI. menses cum filio suo Severo. Interfecit *Papinianum* Legistam, cujus mentionem facit *Boëtius* libro de consolatione. Occisus à *Perfis*. Versus:

*Tertius Antonius Severi filius extat,  
Ipsius Antonii longa columna fuit.*

**CALIXTUS** primus, Romanus, sedit annos V. m. II. d. X. (de quo XXVII. d. *Presbyteris* & LXXVI. dis. *Jejunium*.) cujus tempore Occidentales statuerunt, clericos in sacris continenter vivere. Versus:

*Clericus est vix, te qui diligit, alme Calixte,  
Vivere nam Christi clerum castè docuisti.*

Oooooo 3

*Julianus*

(qq) XVIII. MS. G.

(rr) LXV. MS. G.

(ss) IIX. omittis mensibus & diebus. MS.



*Julianus Afer*, Episcopus *EMMAUS*, quæ *Nicopolis* dicitur, quinque volumina conscripsit *de temporibus*, ut dicit *Hieronymus*. Editio quinta, quæ *vulgata* dicitur, reperitur Hierosolymis. *Novatianus* urbis Romæ Presbyter & *Sabellius*, induxerunt hæresin *Catharorum*, nolentes recipere pœnitentiam lapsorum.

**M**ARINUS AUREOLUS dictus *Eliogabalus*, impudicus, imperat cum filio suo quasi per annum, truncatus ab eisdem, à quibus assumtus erat in Regem. Romæ Iupiter fulminatur, & magna pars urbis crematur.

**A**NTONINUS MARCUS Aurelius imperat IV. annis, interfectus Romæ cum matre. Ilte cum esset XVI. anno libidinosus, Vestalem virginem quasi matrimonio sibi jungens, (quia naturæ desiderium, quod concupivit, consequi non poterat,) genitalibus abscisis, Dianæ se consecravit, factus sacerdos templi. Sexta editio reperta est. *Nicopolis* tunc condita, quæ prius dicebatur *Emmaus*.

VRBANUS primus Romanus martyr, sedit annos VIII, menses XI. dies (tt) VII. Statuit clericos & notarios, qui martyrum gesta conscriberent. (Statuit & vasa altaris esse aurea, argentea vel stannea.) Tunc passa est *S. Cecilia* persecutione sexta; similiter & *Valerianus* sponsus ejus cum cæteris.

**A**LEXANDER AURELIUS SEVERUS Marcellus, satis bonus, imperat annis XIII. Mater ejus *Mammaea* conversa est ad Christum per *Origenem*; qui etiam multos philosophos convertit ad fidem; inter quos erat *Plutarchus* martyr & *Heraclius* frater ejus, factus Episcopus Alexandria post *Demetrium*. Lib. 6. c. 4. *Eccles. histor.* *Origenes* etiam correxerat LXX. interpretes, habens præter alios scriptores VII. juvenes & totidem puellas, ex ore ejus diversa scribentes. Fecit & *exaplois* i. e. septem volumina *Bibliæ*. Ipse docuit inter alios *Theodorum* cognomento *Nazianzenum*, & fratrem ejus *Athenodorum*, postmodum Episcopum. Alexander iste devicit Regem Persarum *Xerxem*. Magistrum habuit & Assessorum *Ulpianum*, Juris conditorem; & ipse tandem apud *Maguntiam* occisus est.

PONTIANUS Romanus, in exilio mortuus, sedit annos (uu) V. menses II. dies II. Tunc cœpit Ecclesia prædia pauca possidere.

**M**AXIMINUS, dictus *Julius*, imperat annis tribus. Gothus fuit natione, quem *Pu- pio* interfecit, & regnum usurpans, vita privatur & regno.

CYRIACUS Brito, sedit annum unum & menses III. Non ponitur in Catalogo *Papæ*, quia papatui resignans, ivit cum undecim millibus virginum, Colonia passus cum eisdem. Quamquam passionem illarum fuisse hinc factam, multis non placet, quia non dum erant *Huni*, nec Christiani in tanta copia Romam visitare solebant, nec adhuc erat Anglia, quæ omnia leguntur in passione illarum.

ANTHEROS Græcus, sedit mensem unum, dies XV. sepultus in cœmeterio *Calixti*.

FABIANUS Romanus, per columbam electus, sedit annos XIV. menses XI. dies XI. Statuit *chrisma*. De *Con. dis. III. Literis*. Misit VII. Diaconos, cum totidem Notariis, per regiones, qui gesta martyrum colligerent. Tandem & ipse martyrio coronatus, sepultus est in cœmeterio *Calixti*.

**G**ORDIANUS imperat annos VI. Triumphavit de Parthis, vigesimus tertius ab Augusto. *Julius Africanus Chronographus* claruit.

**P**HILIPPI, pater & filius, primi Christiani Imperatores, imperaverunt annis VII, baptizati à *S. Pontiano*. (Pater dictus est *Marcus Julius*.) Hi jussu *Fabiani Papæ*, cum in festo *Paschæ* intrarent Ecclesiam, expulsi de choro, humiliter steterunt inter pœnitentes, dum vellent communicare. *Philippus junior* nunquam risit, patremque semel ridentem videns adhuc puer, vultu notavit averfato. Horum miles quidam, nomine *Decius*, cum strenuè vicisset hostes; ut eum Imperator *Philippus* amplius honoraret, de Roma Veronam occurrens, occisus est ab eodem. Quod filius audiens, thesaurum suum *B. Sixto*, tunc Romæ sibi dilecto, commisit, timens similiter à *Decio*, sicut & factum est, occidi; eratque tunc XII. annorum. Tunc & Romæ celebratus est annus millesimus conditionis suæ, sub istis Principibus Christianis, tertio anno scilicet *Philippi*.

CORNELIUS Romanus, martyr, sedit annos II. menses II. dies X. Multa scripsit & dictavit.

*Cornelius Papa sedit regnante Philippo:  
Annis tota tribus stat vita decemque diebus.  
Annis septenis Cesaris hora venit.*

(Tunc



(Tunc fuit Paulus, primus Eremita. Antonius optimos scholares fecit, qui fuit homo sine literis. Macarius, Paphnutius, Isidorus & alii scholares multi, Monasteriorum per Ægyptum & Theba idem patres effecti.)

**DECIUS** malus, imperat annum (xx) unum, menses III. de Pannonia oriundus. Filium suum Cæsarem fecit, qui statim interfectus est; & pater submersus à Gothis, ita ut nec corpus ejus posset inveniri, anno vitæ suæ L. (Ab isto Decio Imperatores plures sequentes dicti sunt Decii, id est, aleatores, secundum *Chronica Cypriani*.) Versus:

*Decius unius anni diadema recepit:  
Æmulus Ecclesie, divina repellere capit.*

Persecutio septima facta est anno Domini CCLII, sub qua passi sunt *S. Apollonia, Dionysia, Septem dormientes, Eugenia*, quæ se nominavit *Eugenium*, cum *Claudia* matre & *Basilis* virgine; *Narcissus* CXVI. annorum, & *Alexander*, Episcopus Cappadociæ. Tunc & *S. Antonius* cepit vitam Eremiticam in Ægypto. Versus:

*Annis ducentis cum quinquaginta retentis,  
In Christo natum struit Antonius Monachatum.  
Antonius Monachus, recolendo nomine clarus,  
Vivit in Ægypto, nunc summus Anachoritarum;  
Cujus ab exemplis non tenet ordo parum.*

(Cum Decius filium suum Decium Imperiali diademate vellet insignire, renuit filius, dicens: Vereor, si fiam Imperator, ne filius esse dediscam. Malo humilis esse filius, quam Imperator superbus.)

**CALLUS HOSTILIANUS** cum **VOLUSIANO**, filio suo, imperat annos II: quos occidit *Emilianus*, genere Maurus; qui & ipse quarto mense sui principatus occisus est. *Origenes* LXX. ætatis suæ anno nondum expleto defunctus est. Hæresis *Sabellii* cepit, qui negavit Christum esse verum Dei filium.

**LUCIUS** primus vel **LUCIANUS** martyr, Romanus, sedit (yy) annos III. menses III. dies tres.

**VALERIANUS** *Colibius*, dictus *Licinius*, stolidus & segnus, imperat annos VI. cum *Galieno* Decio filio, vel secundum alios, fratre suo. *Galienus* tamen post eum solus imperavit annos IX. & sic simul XV. Propter horum demeritum regnum Romanorum innumera patiebatur detrimenta. Nam *Alemanni*, vastatis Galliis, Italiam penetrarunt. *Gothi* vastaverunt Græciam, Pontum, Asiam & Macedoniam; *Sarmata* Pannoniam. Insuper & Hispaniam *Germani* bello vexabant, *Tarraconam* civitatem nobilem devastantes. *Sapor* etiam Rex Persarum, Syriam, Cappadociamque vastans, *Valerianum* imperatorem captum, luminibus orbavit. Cui ignominiosum injunxit officium, ut *Saporem* Regem, quoties equum ascenderet, incurvatus non manu sed dorso levaret. *Galienus*, tam misero focii permotus exemplo, Christianis mitior est effectus, dato decreto, ut, quo quisque putat, more exoret, quod divinum est. Idem *Galienus* fraude sui ducis occisus est. Pestilentia gravis per orbem defecit.

**STEPHANUS** Romanus sedit annos II. menses III. ex patre *Juliano*, secundum *B. Hieronymum* à *B. Petro* 26. in Epist. ad *Luciferianum*.

**SIXTUS** secundus, Græcus, sedit anno, menses XI. d. VI. Constituit celebrari in altari. Persecutio octava, sub qua passi sunt sancti, *Sixtus* cum *Felicissimo* & *Agapeto*, *Laurentius*, *Georgius*, *Abdon*, & *Sennes*, *Protobus* & *Iacintus*, *Priscus*, *Malchus* & *Alexander* apud *Cæsaream*. *Cyprianus* etiam Doctor *Carthaginensis*, cujus ingenium superfluum est laudare, cum sole clariora sint ejus opera, passus est pro Christo XVIII. Kal. Octobr. Versus:

*Jam Valerianus quindennum vixerat annum,  
Cum Stephanus primus, jam Papa foret venerandus.  
Temporis illius sic Sixtus Papa secundus;  
Græcus erat genere doctissimus atque sacundus,  
Cujus temporibus Laurentius assus habetur.  
Valerii Dionysius stat tempore Prasul.*

(*Cornelio* passo, *Sixtus*, magister *Laurentii*, sedit menses X. comprehensus à *Decio*; cui substitutus *Dionysius*, sedit annos II. Decessit (zz) VI. Kalend. Januarii.)

DIO:



**DIONYSIUS** ex patre monacho, martyr, fedit annos II. menses III. dies IV. Divisit primus parochias urbis. Fuit & alter *Dionysius*, Alexandrinæ urbis Episcopus, Origenis auditor, qui multa scripsit egregia, præcipue contra Novatianum; cujus Epistolæ exordium est: (Dionysius Novatiano fratri salutem.) *Si invitus, ut dicis, ordinatus es Episcopus, probabis, cum volens secesseris.* Hieronymus.

**CLAUDIUS II.** justus, & reipublicæ idoneus, imperat annis duobus. Gothos & Alemannos abegit, qui per XV. annos terras vastaverant, (quorum XVM. occidit.) Instituit unum carnis porcina. Hic dicitur similis Alexandro M. & Julio Cæsari, eò quod Romanum imperium reparavit. Tandem ab Alemannis victus, occisus est: quem Senatus post mortem divum appellavit, statuens ei clypeum aureum & statuam auream in Capitolio. Cui successit frater ejus *Quintilianus*; sed XVII. die vitam finivit. *Torquatus*, per S. Tiburtium conversus, in Hispania passus est; ad cujus sepulchrum arbor oliva, divinitus florens, maturis fructibus honestatur per unumquemque annum, in solemnitate ejusdem, scilicet Idibus Maji, ut scribit *Turpinus* in historia S. Karoli. Versus:

*Claudius imperio datur annis stare duobus;  
Nunc etiam Felix sedet annis Papa duobus.*

**FELIX** enim primus, Romanus, fedit annos II. mens. X. d. XXVI.

**AURELIANUS** Dacus, imperat annos V. menses VI; tam Orientis quam Occidentis victor. Condidit in Gallia civitatem pulcherrimam, quam ex suo nomine nominavit *Aurelianum*. Ipse tandem à servo suo occisus, submersus est in Tiberi. Persecutionem nominam movit, qua passi sunt sancti, *Patroclus, Benignus, Symphorianus, Agapetus, Babylas* Episcopus Antiochenus, & *S. Columba* apud Senonas. Versus:

*Annis quinque malus tunc vixit Aurelianus;  
Papaque Romanus nunc præsidet Eutychianus.*

**EUTYCHIANUS** Tuscus, de civitate Luna, fedit annos IX. menses X. dies X. Constituit, ut fruges, scilicet fabæ & cætera legumina, super altare benedicerentur. Iste sanctissimus sepelivit manu sua CCCXLII. martyres, martyrio coronatus IIX. Kal. Aug. sepultus in cœmeterio Calixti. Pantheon dicit:

*Eutychianus erat sub eodem (\*) tempore Roma,  
Annis ter ternis præfatus Papa resedit.  
Atque decem menses, quibus illi Clerus obedit.*

*Manes* hæreticus oritur, à quo dicti sunt Manichæi hæretici, ponentes duo principia rerum, scilicet Deum parentem bonorum & spiritualium, Diabolum autem parentem malorum & corporalium, quod est contra symbolum.

**TACITUS** largus & morigeratus, imperat (a) VII. menses; de quo propter brevitatem temporis non scribuntur ejus virtutes. Apud Pontum occisus est. Versus:

*Tacitus unius tulit anni jura coronæ.*

**PROBUS** dictus *Dalmatius*, rusticus quidem natione, quia filius hortulani; factus imperator strenuus & justus, multa gessit bella. Barbaros devicit & à Galliâ repulit. Tandem à suis interfectus anno imperii sui VII.

**FLORIANVS** imperat menses III. de quo nihil dignum memoria legitur; cui successit **CARUS** Narbonensis in Gallia, cum filiis suis *Carino* & *Numeriano*, quos Cæsares fecit. Imperat annos II. De Persis triumphavit; sed quia malus fuit, flumine periit, & filii sunt occisi. Pantheon dicit:

*Post annos quinque Carus ab hoste cadit.  
Cajus Papa sedens undenos circiter annos  
Menses bis binos, & simul octo dies.*

**CAJUS** de Dalmatia, ex genere Diocletiani, fedit annis XI. menses IV. dies IIX. Constituit, paganos & hæreticos non posse accusare Christianos. Sepultus est in cœmeterio Calixti. Nota, post Cajum legitur papatus cessasse VII. annis, m. VI. d. XXV.

**DIOCLES**, factus Imperator, nominavit se *Diocletianum*; Dalmaticus, secundum *Bedam* XXXIII. ob Augusto; ab exercitu electus, imperavit annos XX. Tempore ipsius Saxonæ cum Francis, Gallis infesti fuerunt. Iste Diocles creavit *Maximianam Aurelium Heracleum*,

(\*) Taciti scilicet. (a) VI. Cont.



leum, hominem ferum & crudelem, Cæsarem, sicque Diocles rex in Oriente, Maximianus in Occidente. Iste Maximianus stultus & luxuriosus, genuit de uxore sua Syra, nomine Europa, filium Maxentium & filiam Faustam. Idem Hercules misit Rixionarum præfectum suum in Galliam, qui innumeros sanctos occidit, præcipuè Treberi. (Idem etiam sanctos Thebæos milites, quorum Dux erat Thyrsus, occidit; quorum locus adhuc ad Martyres vocatur in Treberi.) Idem duo imperatores cum diu regnassent, volentes otio vacare; ad administrandum rempublicam.

**G**ALERIUM & CONSTANTIUM Cæsares elegerunt, ita ut Galerius strenuus Illyricum, Asiæ & Orientem obtineret: qui & postea, Constantio favente, adhuc duos alios Cæsares statuit, Severum, cui dedit Italiam, & Maxentium, quem Orienti præfecit; qui & sanctam Catharinam cum suis legitur martyrisasse. Sub quo etiam S. Quirinus Episcopus, cum aliis sanctis passus est. Constantius autem, nepos Claudii secunda ex filia, vir egregius & mansuetus, Africam Italiam & Galliam tunc regebat. Ut autem Diocles illos sibi affinitate conjungeret, eos induxit uxores repudiare, & alias sibi cognatas assumere. Constantius ergo duxit Theodoram privignam Herculi, repudiata Helena; de qua prius filium habuit, nomine Constantinum. Ista Helena scribitur fuisse filia Regis Britonum. In Chronica tamen Treberorum legitur fuisse civissa Treberensis, cujus adhuc ibidem domus ostenditur, (quam S. Ambrosius vocat stabulariam. Dicit: Bona stabularia, quæ præsepe Domini diligenter quæsit; Bona stabularia, quæ illum stabularium non ignoravit, quæ vulnera curavit à latronibus vulnerati; Bona stabularia, quæ sprexit omnia ut stercore, ut Christum lucrifaceret. Ideo illam Christus de stercore sublimavit ad imperium. Hæc ille.) Constantius ergo adhuc de Theodora genuit sex filios, fratres Constantini; qui & filium suum Constantem Cæsarem fecit, eique Galliam commisit. Idem Constantius juxta Danubium quinque Reges subjugavit, duobus occisis. Construxit civitatem, nomine sui nobilem, Constantiam, quam Teutonici Costniz, juxta Bodensee nominaverunt. Idem Constantius dicitur habuisse in curia sua simul Christianos, Judæos & paganos; quos volens tentare, iussit idola adorare, promittens, se adorantes honoraturum, & spernentes puniturum. Quos igitur vidit de Christianis & Judæis adorare, rejecit à curia sua, dicens: *Quomodo sibi fideles essent, qui Deo suo forent infideles.* Constantes autem in fide & non colentes, exaltavit. Et quia regnum suum piorum sanguine non maculavit, sed potius cultores Dei venerationi habuit & honori, merito religiosus pater religiosum filium regni reliquid hæredem, ut dicit Eusebius. Dicitur & occultus Christianus fuisse, ab Eusebio baptizatus. Obiit in Anglia Eborraci, anno XVI. Diocletiani. Relatus Treberim, in campo Martio honorifice sepultus. Quo mortuo, Galerius fecit Cæsarem Licinium Dacum, strenuum & laboribus aptum, Interea Romæ Maxentius, filius Maximiniani, fit Augustus; contra quem Galerius misit Severum cum exercitu; qui tamen in via fraude suorum peremptus est, & Galerius intestinorum dolore vermibus consumptus est. De isto Galerio scribitur: *Imperator viciesies, decies novies Consul, octies pater patriæ, septies Armenicus, bis (b) Parthicus, invictus, Augustus, Germanicus, Ægyptiacus, Thebaicus, Persicus, Medorum victor.* Tempore istorum Imperatorum fuit gravissima persecutio Christianorum & ultima, quæ duravit incessanter annos (c) XI. ita ut intra XXX. dies XXII. millia promiscui sexus martyrio coronarentur. Nullitunc Christiano licebat aliquid possidere, vel aliquam artem exercere. Tunc passi sunt Sedunis Mauricius cum legione Thebæa, Gereon cum CCCXVIII. sanctis, in diocesi Colonienfi; quasi quatuor Coronati; Cosmas, Domianus, Chrysofonus, Cyrillus, Gorgonius, Quintinus, Vitus puer cum suis, Sebastianus, Erasmus Episcopus Antiochenus, Adrianus, Simplicius, Faustus & Beatrix, Sergius & Bacchus, Theodorus, Pantaleon, Cyriacus cum suis, Dorothea, Lucia, Iulianus cum uxore Basilissa. Insuper Agnes, Agatha, Afra cum suis, Iuliana, Theodosia, Anastasia, Agricola & Vitalis, Eulalia, Barbara & Iustina virgo, per Cyprianum sæpius vexata. (Item tres sorores Agapa, Thyona & Irene.) Item Pamphilus pater Eusebii Cæsariensis. Item Lucianus vir disertissimus, Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, qui multa dictavit; Victorinus Pictaviensis Episcopus, qui multa scripsit adversus hæreses. Hieronymus. In Britannia multi passi sunt, inter quos erant Aaron, Iulius & Albanus; qui tunc paganus, recepit in hospitio clericum Christianum, persecutionem fugientem, ipsiusque indutus habitu, pro hospite se militibus obtulit, mortem pro Christo suscipiens. Cujus dum sanctitatem tortor vidit, conversus est, & secum una cum tali clerico coronam accepit. Alter vero, qui eos decollavit, mox oculos amisit; nam oculi ejus in terram una cum capite B. Martyris Albani ceciderunt X. Kal. Julii, ut scribit Beda. Diocles dum rogaretur à suis resumere imperium, ait: *Vicinam Salona possitis visere olera, manibus nostris instituta; profecto nunquam illud tentandum judicaretis.* Sicque hortulanus magis esse optavit, quam Imperator.

MARCELLINUS Romanus sedit annos VIII. menses II. dies XXV. Hic quia metu mortis

(b) in MSs C. & G. erat Carpicus

(CX. MS. C.

PPPPPP



mortis idolis thurificavit, non ponitur in catalogo paparum. Ipse autem publice pœnitens, coram CLXXX. Episcopis, se ipsum deposuit à papatu, & corpus suum sepelientem excommunicavit. Hunc Diocletianus fecit decollari, & cum per XXX. dies corpus ejus jacuisset inhumatum, S. Petrus apparuit Marcello successori, mandans, ut fratrem sepeliret, quod & fecit.

MARCELLUS in ordine trigessimus, fedit annis VI. mensibus V. diebus (\*) XVII. Stantuit quindecim Cardinales in urbe, ut sanctos sepelirent. Hoc tempore S. Vincentius Levita passus est in Hispania. *Lactantius* etiam *Firmianus*, multa scribens, in extrema senectute magister *Crispi* filii Constantini, interfectus est ab eodem. *Hieronymus*, *Jacobus* cognomento Sapiens, Episcopus Perfarum, mira scripsit; passus sub *Maximiano*, ut scribit idem B. *Hieronymus*.

EVSEBIUS Græcus, fedit annos II. m. VI. d. XXV. Instituit *inventionem S. Crucis*, quæ tempore suo inventa est ab *Helena*. Hic Papa cum die Paschæ missam celebrasset, pro fide Christi decollatus est. *Et huc usque omnes Papæ sunt sancti martyres*, ut dicit *Pantbeon*; sed non dicebantur *Papæ*, sed solum *Episcopi*, usque ad *Sylvestrum*, qui primus dictus est Papa, id est, pater patrum.

CONSTANTINUS dictus MAGNUS, filius Constantii, imperavit annos XXX. menses VI. dies XII. Dedit filiam suam *Constantiam* *Licinio* supradicto uxorem, cujus filium *Licinianum* cum filio suo *Crispo* fecit Cæsares. Hic Constantinus sexto anno regni sui, cum gens Barbarorum, congregata super Danubium, parata ad bellum foret contra Imperium Romanum, cum timeret multitudinem; audivit in somno: noli timere, sed respice sursum & vide. Intendens ergo in cœlum, vidensque signum Sanctæ Crucis in lumine claro, & desuper scriptum titulum, IN HOC VINCES: bellavit & vicit. Post victoriam convocans sacerdotes idolorum, cum adhuc paganus esset, quærebat ab eis, cujus Dei esset hoc signum? Et dixerunt quidam; hoc signum cœlestis Dei est, & evangelizarunt ei fidem Christi. Mittens igitur ad *Eusebium* Episcopum urbis Romæ, baptizatus est. Post hæc misit matrem, ut lignum S. Crucis exquireret; quæ *Hierusalem* vadens, sanctum lignum reperit, & in eodem loco Ecclesiam ædificavit. Cum igitur Constantinus Maxentio, in aqua dimerso, urbem victor ingrederetur, anno regni sui VII. pacem & bona temporalia dedit per orbem Ecclesiæ Christianæ; (& tunc, ut scribit *Magister Henricus de Gandavo in suo quodlibeto*, audita fertur vox dixisse: hodie cecidit venenum in Ecclesiam.) Tunc tamen adhuc Christianos persequebatur *Licinius*, hanc allegans causam, quod non ita fideliter pro se, quam pro Constantino in orationibus excubarent Christiani. Idem tamen *Licinius* statim post hoc interiit; sicut & *Maximianus*, molitus Constantino insidias, turpiter periit. Adversariis igitur suis extinctis, Constantinus per insolentiam mutatus & crudelior factus, multos Christianorum, etiam amicos & cognatos, (ut filium suum *Crispum* cum matre sua *Fausta* post obitum *Licinii*, quia tunc solus fuit Cæsar,) interfecit; ideoque divinitus lepra percussus, tandem tamen à *Silvestro* conversus est; sicque templa gentium vertuntur in Ecclesias fidelium. Idem Constantinus condidit civitatem in Græcia *Constantinopolim*, quæ prius dicebatur *Bizantium*. Similiter in Bithynia condidit unam, quam ex nomine matris *Helenopolim* nominavit. Idem fecit tres filios suos Cæsares, scilicet *Constantium*, *Constantem* & *Constantinum*, cum filio fratris sui *Dalmatio*. Idem multas reliquias de Hierusalem transtulit Constantinopolim, inter quas erat *archa Moysi*, quam *Titus* de Hierusalem deduxit Romam. Ipse autem Constantinus obiit anno vitæ suæ LXVI. imperii vero XXXI, sepultus Constantinopoli; cujus festum celebrant Græci XXI. die Maji. Versus:

Rex Constantinus, si scribere vens velimus,  
Verus Christicola fuerat sub tempore primus:  
Novit & hoc oriens, occiduusque sinus.  
Annis bis denis Rex cum diademate fedit.  
Sub Constantino Sylvester Papa notatur,  
Fertque quater senis minus anno Pontificatum,  
Atque decem menses fert, totidemque dies.  
Cum Constantino Marcus quoque Papa refedit,  
Cui binis annis populus Romanus obedit;  
Octo sibi menses adde, decemque dies.

MELCHIADES Afer, XXXIV. à B. Petro, fedit annos III. menses VI. dies VIII. Constituit tres dies in hebdomade non jejunari, scilicet Dominica, Feria quinta & Sabbatho. Circa hoc tempus S. *Agricius*, Patriarcha Antiochenus, ab *Helena* sancta Treverim ductus, quiescit ibidem.

SILVE-

(\*) XVI. MS. C.



**SILVESTER** Romanus, primus *Papa* vocatus, fedit annis XXIII. mensibus X. diebus XI. Iste *S. Agricius* præfecit Episcopum Trevis cum multis privilegiis & indulgentiis. *Pantheon* dicit: Anni à B. Petro Apostolorum Principe usque ad Sylvestrum sunt CCXCIX. & dies XII. Versus:

*Inter Sylvestrum Petrumque, dies numerando,*

*Collige trecentos minus uno circiter annos,*

*Sed numerando dies junge decemque duos.*

(Sub hoc tempore *Santa Lucia* passa, pacem nunciavit Ecclesie, Diocletiano mortuo. *Donatus* Hæreticus nascitur, à quo hæresis Donatistarum exorta est. Pestilentia magna in Syria & Cilicia. Crux Domini reperta per Sanctam Helenam. Huc usque scripsit Eusebius.)

SYNODUS NICÆNA celebratur, de qua *Distinct. XV. Canones, & Distinct. XVI. Sexta die*, in qua legitur *S. Nicolaus* præfens fuisse. *Ariana hæresis* etiam orta est; (propter quod *Constantinus* duos filios occidit, taliter infectos.)

**MARCUS** Romanus, fedit II. annos, menses IIX. dies XX. Instituit *symbolum* alta voce cantari.

**CONSTANTIUS**, Constantini filius, imperat annos XXIII. cum fratribus suis; scilicet cum Constantino tribus annis, cum Constante XIII. & postea solus VII. qui simul sunt XXIII. *Constantinus* enim rexit Alemanniam & trans Alpes, *Constans* Illyricum & Africam, *Dalmatius* Thraciam, Macedoniam & Achajam; ipse vero *Constantius* Asiam rexit & Orientem. *Dalmatius* autem statim occisus à militibus constantis; similiter & *Constantinus* tertio anno non longe ab Aquilegia apud *Alfam* fluvium à militibus interfectus est. *Constans* etiam, regnans in Occidente, occisus est à suis in venatu. *Constantius* igitur vir egregie tranquillitatis, seductus ab Arianis, persecutus est Christianos, & præcipue inter alios multos *S. Athanasium*, qui tunc fugit ad *S. Maximinum* Treverorum Episcopum, ubi latens sex annis in loco cisternæ, non habentis aquam, composuit. *Quicumque vult salvus esse*; quod dicitur *symbolum Athanasii*. Et sic Ariani persecuti sunt omnes non suæ partis Episcopos.

**JULIUS** Romanus ex patre Rustico, fedit annos XV. menses II. dies (d) XIII. Sub quo celebrata est synodus secunda Nicæna. *S. Paulus* primus Eremita obit. Pestilentia & fame perit innumera multitudo. Motu terræ ruerunt urbes multe. In Oriente *Nicomedia* everfa est, & *Roma* tribus diebus & noctibus nutavit. *Antropomorphitarum hæresis* exorta est.

**LIBERIUS** Romanus fedit annos X. menses VI. dies IV. Hæreticus erat, dictus *Leo*. (*S. Hilarius*, in concilium veniens non vocatus, cum propterea *Liberius* mandasset neminem ei assurgere nec locum dare: posuit se ad terram, dicens: Domini est terra. Et orta terra fecit ei sedem. Tunc *Hilarius*) dixit, *Tu es Leo, sed non de tribu Juda*. Propter cuius malitiam multi Clerici & Sacerdotes perempti sunt. Quicquid tamen super ordinationibus Ecclesie statuit, fixum & ratum permanet, ut dicit *Petrus Damianus*. *Athanasius* Alexandrinus Episcopus, multas perpeffus Amianorum insidias, multa scripsit, & obiit sub *Valente*. *Hieronymus*. *S. Antonius* obit anno vitæ CV. *Ossa S. Andrea, Luca Evangelistæ, & Timothei* Episcopi, Constantinopolim sunt allata. *S. Nicolaus* obiit. *Eusebius*, *Cæsareæ Palæstinæ* Episcopus, in scripturis divinis studiosissimus, (& Bibliothecæ divinæ cum *Pamphilo* martyre diligentissimus pervagator,) edidit infinita volumina. Ob *Pamphili* amicitiam cognomen ab eo sortitus est. Fuit & alter *Eusebius Vercellensis*, cum *Hilario* *Pictaviensi* Episcopo in exilium relegatus. *Donatus* Græcus, præceptor *Hieronymi*, & *Victorinus* Rhetor floruerunt. *Paulinus* Treverorum Episcopus obit in exilio, & *S. Maximinus* floruit.

**FELIX** II. Romanus martyr, fedit annum unum. Declaravit, *Constantrum* esse hæreticum; ideo ab eodem capite truncatur. Post quem iterum *Liberius* papavit.

**DAMASUS** primus, Hispanus, fedit annos XVIII. menses II. dies XXI. Magnus fuit verficator, & familiaris B. Hieronymo. Damnavit *Liberium* & facta ejus, & ipse reus adulterii arguitur. Sed facta synodo XLVIII. Episcoporum, se purgavit.

**JULIANUS** Apostata imperavit annis (e) II. mensibus VIII. Nepos erat Constantini Magni, vocatus etiam *Claudius*. Sciens ergo, *Constantium*, Ariana fide infectum, Christianis odiosum esse similiterque paganis, quorum templa destraxit; ut amborum favorem acquireret, factus Imperator, iussit Episcopos Christianos ab exilio revocari, simulque templa Paganorum aperiri. Hunc enim *Constantius* fecit *Cæsarem*. Quando enim milites *Dalmatium*, ut dictum est, occiderunt, *Gallus* & *Julianus* istius fratres simile sustinuisent, nisi *Gallum* ægritudo, & *Julianum* ætas infantilis liberassent. Erat enim octo annorum. Cum autem

(d) VII. MS. C.

(e) annum unum MSC. Contr.



autem furor ille quievisset, artes didicerunt; apud Ephesum Gallus, Julianus autem Constantinopoli: qui cum in philosophia proficeret, cepit imperium anhelare, sed timens Imperatorem, monachicam vitam sub habitu simulavit, nequaquam tamen à spe, quam conceperat, recedens; dicebatque quam plurimis amicorum, felicia fore tempora, quibus ipse rebus imperii potiretur. Consulens autem diversos sortilegos, tandem Magum reperit; cujus consilio ductus ad dæmonem, factus est Imperator contra Barbaros circa Rhenum viriliter agens, cum casu in quodam oppido corona, pendens in platea, caderet super caput ejus. Sicque Augustus appellatus, studuit paganismum dilatare, prohibens Galilæorum filios, (sic enim appellabat Christianos,) artes discere liberales; ex nostris, inquam, conscriptionibus armati, contra nos bella suscipiunt, sicque, juxta proverbium, ex nostris pennis verberamur. Iste Julianus multos sanctos martyrizavit, inter quos erat miles ejus Mercurius, qui & ipsum mortuus transfixit in bello. Ipse occidit sanctos, Johannem & Paulum, cubicularios Constantiæ, filia Constantini. Cremari jussit ossa S. Johannis Baptistæ. Pigenium Presbyterum, quem prius habuit præceptorem, videns, ait: Diis Deabusque meis gratias ago, qui te videre merui. Ille respondit: Deo meo Jesu Christo grates refero, quia merui te nunc Apostatam non videre: cæcus enim erat. Unde Rex iratus, Sanctum jussit de ponte præcipitari. Ipse habuit focium synonymum (nomine & re dictum Julianum) qui multa mala intulit Christianis Antiochiæ; inter quos venerabilis Presbyter, nomine Tibericus, ibidem martyrio coronatur, cujus festum die Sancti Severini celebratur. Isti Juliano synonymo versum est os in anum, eo quod vasa sacra urina maculasset. Julianus Cæsar ad bellum Persarum iturus, S. Basilio minabatur, se locum ejus subversurum. Sed à prædicto S. Mercurio transfossus est, moriensque clamavit: *Vicisti Galilæe.* Versus:

*Post annos binos Juliani vita recedit;  
Damasus Hispanus tunc Romæ Papa resedit.  
Postquem Ciricius; tunc Papa venit Benedictus,  
Annis quindenis, undenis mensibus atque.*

**I**OVIANUS Christianus, de Pannonia natus. Hic enim Juliano mortuo ab urbe condita MC. dum assumeretur ad imperium, clamavit, se nolle paganus imperare, cum ipse esset Christianus. Cumque omnium vox æque clamaret, se esse Christianos, suscepit imperium, sicque omnis exercitus fidem Christianam recuperavit. Versus:

*Gloria Romulei solii fit nunc Ioviani,  
Mente Deum coluit, nec culmine regnat inani.*

Regnavit tantum octo menses.

**V**ALENTINIANUS Pannonius genere, imperat annis X. cum fratre suo VALENTE. Pater ejus Gratianus, dictus est Funarius, eo quod quinque milites funem de manu ejus extorquere non possent. Iste fuit prius à Juliano relegatus, & nunc, assumptus ad imperium, multa bona fecit imperio. Ipse enim gentem Saxonum, virtute & agilitate etiam Romanis terribilem, subjugavit. Anno enim ejus X. Saxones congregati plus quam LXXX. millia Rhenum transierunt, & partem Galliarum, quæ Burgundia ab eis dicitur, occuparunt, & se Burgundiones vocaverunt, quia habitacula juxta proprietatem linguæ Saxonice *Borge* nominantur. Hoc tempore Franci, sub Rege suo Priamo militantes, Sicambri prius; nunc per Valentinianum à tributis exempti, Francken, id est, liberos se nominabant, quorum provincia Francia Orientalis seu Franconia nominatur, ut scribitur in *Cosmodromio*. Valens post mortem fratris sui imperat annis 4. Constantinopoli; Gratiano filio fratris sui Valentiniani secum, sed Romæ, regnante; qui etiam fratrem suum Valentinianum admodum parvulum consortem fecit imperii. Circa idem tempus Huni arserunt in Gothos, quorum Rex erat Athalaricus, eos ab antiquis sedibus expellentes. Qui venientes ad Valentem, sine omni pactione Thraciam ad inhabitandum acceperunt. Sed ibi non contenti, arma moverunt circumquaque: contra quos missus magister militiæ Trajanus cum exercitu. Fugatus, cum à Cæsare culparetur, ait: O Imperator, non ego victus sum, sed tu, qui contra Deum pugnans, Ecclesias Christianorum, quos expulisti, Barbaris contulisti. Quo audito, Valens fera pœnitentia stimulatus, plures de exilio præcepit revocari. Ipse enim Valens, ab Eudoxio Arrianæ hæreseos Episcopo baptizatus, in hæresin dilapsus, sacerdotes Domini exiliabat, monachos militare cogebat, ac nolentes interficiebat. Præcepit enim clericos & monachos militare aut fustibus interfici; quapropter innumera multitudo per vastas Ægypti solitudines martyrii consecuta est palmam. Ipse etiam Diabolum consuluit, quis post eum esset regnaturus. Cui Diabolus obliquè respondens, ait: Hoc nomen regnabit his literis T. O. D. signatum. Cunctos igitur interemit, quos scivit, has literas in suo nomine continere, cujusmodi sunt Theodoretus, Theodatus, Theodori, &c. inter quos etiam Theodosius, pater Theodosii Imperatoris, occisus est: ut dicitur

in



in *speculo hist.* lib. XV. cap. XCIX. Gothi autem prædicti, petierunt *Valentem*, ut mitteret eis Episcopos, à quibus fidem susciperent: quibus misit Doctores dogmatis Arriani, sicque univèrsa ista gens Arriana effecta est. Demum iidem Gothi, contra *Valentem* in arma surgentes, fere totum exercitum ejus prostraverunt, ipsumque fugere compulerunt. Qui cum sagitta saucius, ob dolorem nimium sapius equo laberetur, atque in vilissimam casulam deportatus esset, supervenerunt præfati Gothi, & cum igne supposito cremaverunt.

Posthæc iidem Gothi in quatuor gentes se dividerunt; unam linguam habentes, nomine tantum divisi, scilicet *Wandali*, *Ipogoti*, *W'fogoti*. Bipertito agmine Danubium transierunt, Italiam vastantes. Circa hoc tempus clarent plurimi sanctorum. *Lucifer* Episcopus, quia noluit sub nomine Athanasii Nicenam fidem damnare, relegatus est in Palæstinam à *Valente*. *Photinus* restaurat hæresin Hebeonis. Plura scripsit, pulsus ab Ecclesia, ut scribit *B. Hieronymus*. *Didymus* Alexandrinus & cæcus, miraculum sui omnibus præbuit, quia Dialecticam, & Geometriam, quæ maxime visu indigent, usque ad perfectum didicit, & plane nobilia scripsit. *Hilarius* & *Eusebius* obierunt. *Martinus* fit Episcopus Turonensis, & *Ambrosius*, ex pagano iudice à cunctis Episcopus electus, mox catholico baptisate tinctus, præsul Mediolanensis est ordinatus. Tunc Imperator *Valentinianus* ait: Gratias ago tibi Domine omnipotens & Salvator noster, quoniam huic viro ego quidem commisi corpora, tu autem animas, & meam electionem ostendisti justitiæ convenire. Ipse enim intererat ejus electioni. De quo & scribit *B. Hieronymus*: De *Ambrosio* iudicium meum subtraham, ne adulatio reprehendatur in me, aut veritas. Idem ait: *Gregorius* Niceus & *Nazianzenus*, vir eloquentissimus, præceptor meus, XXX. millia versuum composuit. Tunc etiam floruerunt plures Eremitæ, scilicet *Ephrem* Diaconus, qui multa scripsit, *Sempion*, *Piamon*, *Moyses*, *Iosaphat* filius Regis Indix, quem *Barlaam* Eremita convertit cum patre ejus & regno. Item *Paphnutius* Abbas, vir tam docendo, quam signa faciendo fundator Monachorum. Scripsit regulam, quam Angelo dictante perceperat. Cui successit *Theodorus*, qui similiter multa digessit *Macharii*, signis & virtutibus florentis, cujus *Evagrius* Monachus discipulus, multa scripsit, monachis necessaria. Sed & *Zozimas* & *Thais* sancta, prius meretrix, cum aliis multis sanctis. Tunc etiam fuerunt hæretici *Eunomius* & *Fotinus*. Tunc etiam in multis partibus tempestas mirabilis, terræ motus & pestes. In *Sicilia* namque innumerus populus oppressus est. *Constantinopoli* miræ magnitudinis grando decidens, nonnullos interfecit. Apud *Atrebatas* vera lana, pluvix permixta, de nubibus fluxit. *Nicaa*, quæ sæpe ante corruebat, terræ motu funditus est everfa. Circa idem tempus *S. Lubentius*, à *B. Martino* baptizatus, corpus *S. (f) Maximini* de Aquitania duxit in Treverim, ubi etiam *Priscillianus* Episcopus & *Latronianus* Hispanus, eruditi hæretici, combusti sunt: quorum socius reversus ad vomitum ut canis, scilicet *Tiberianus*, filiam suam, devotam Christi virginem, matrimonio copulat, ut dicit *Hieronymus*. Tunc etiam decesserunt *S. Victor* Episcopus, & *Victorinus* Episcopus, filius ejus, & Episcopus Cenomanensis *S. Liborius*, singularis intercessor pro calculosis; quem sepelivit *S. Martinus*; nunc *Padeborne* translatus. *Athanasius* etiam obit anno pontificatus sui (g) XLVIII. anno domini CCCLXXIX.

**G**RATIANUS bonus Christianus, *Valentiniani* filius, adhuc vivente & regnante *Valente* patruo suo *Constantinopoli*, imperat VI. annos Romæ; qui sibi fratrem suum *Valentinianum* adhuc parvulum socium fecit imperii. Iste *Gratianus*, fretus Christi potentia, apud *Argentinas* plus quam XXX. millia Alemanorum gentilium interfecit, cum magno tamen Romanorum detrimento: quam victoriam veræ fidei cultura sibi contulit. Secundum *Bedam*, quadragesimus fuit ab Augusto. Ipse etiam *Theodosium* hic sequentem purpura induit, & orienti ac Thraciæ præfecit. Circa hæc tempora erat quidam strenuus, nomine *Maximus*, atque Augusto dignus, nisi per tyrannidem emerisset. Hic ab exercitu in Britannia factus Imperator, transit in Galliam, sedem regni Treveris constituens. Anno Domini CCCCVI. ut legitur in *Chronica Treverorum*, ibi concilium magnum congregavit, cui & *S. Martinus* intererat, & *Ambrosius Mediolanensis*, & *S. Magnus Augustinus*, adversus *Priscillianistas*, quorum caput ibidem decollatus est. Ibi *S. Martinus*, ab eodem Imperatore invitatus, non Imperatori sed Presbytero suo, dum bibit, pateram tradidit. Iste *Maximus Gratianum* Imperatorem, dolis circumventum, interfecit Lugdunis anno Domini 387: fratrem quoque ejus *Valentinianum* juniorem Italia expulit cum matre sua *Iustina*; quæ merito pœnam dedit, quia favens hæresi Arrianae, *B. Ambrosium* multipliciter infestavit. Ipsa autem fugiens de Italia statim defuncta est: filius autem ejus *Valentinianus*, fugiens ad *Theodosium*, benigne susceptus & restitutus est imperio; clauso videlicet intra muros *Aquilegia*, capto & occiso prædicto *Maximo*, ut scribunt *Baeda* & *H.* Circa idem tempus floruit *Basilus Cesariensis* Episcopus, philosophia & sanctitate præclarus, qui & obiit anno Domini CCCLXXIX. Scripsit Monachorum regulam, quæ, sicut testatur *Beatus Benedictus*, rectissima norma est vitæ cæteris. Ex l. i. cap. 3. de Viris Illustribus Cisterciensibus. Convertit in agone *Ioseph* Iudæum, me-

PPPPPP 3

dicum,

(f) Maximini MS. C.

(g) XLVII. MS. C. &amp; G.



dicum, qui prophetavit, Basilium certa hora moriturum. Cui Basilus respondit; *Et quid facies, si supervixeris integrum diem.* Et ille, *sequar te*, inquit, *et ero Christianus*; quod factum est. Basilus enim supervixit, & Ioseph conversus est. *Sedulius* Poëta multa scripsit. Fecit hymnos: *A solis ortu*, & *Hosia Herodes*, cum XXII. versibus. Composuit & *Salve sancta parens*: Et librum: *Paschales quicumque dapes conviva requires.* *Arsenius* ex Senatore Monachus & Eremita, claruit annos XL. (Fratribus suis in eremo, ut doctrinam in ultimo eis daret, rogantibus, cum fletu dixit: *Ibi, ubi.* Quod exponens alius Eremita post ejus obitum dixit, quod mens ejus fuit *tacere, flere et desiderare cælum.*) *Cyrillus* Hierosolymorum Episcopus, saepe pulsus & receptus, obiit.

SIRICIUS Romanus sedit annos XIV. menses XI. dies XV. Constituit, hæreticum pœnitentem, per impositionem manus sacerdotalis esse recipiendum ab ecclesia. In morte Valentis stetit Roma annis MCXXXI; Sub Regibus annos CCXL; sub Consulibus CCC LXIV; sub Augustis autem DXXXVI: dicit *Pantbeon*:

**T**HEODOSIUS primus, Christianissimus, genitus patre *Theodosio*, occiso à Valente, & matre *Termantia*; imperat annos (h) XII. cum *Valentiniano Juniore*. Hic, ne assidue pugnando populum fatigaret, fecit pacem cum *Athalarico* Rege Wisigothorum, eumque Constantinopolim venientem benigne suscepit & tractavit, ibique defunctum, honorifice fecit sepeliri; & hac benignitate omnes Gothos Romano imperio subjugavit. *Iohannes* Anachoreta in *Ægypto* carpentarius, sanctitatis & prophetiæ spiritu repletus, scripsit *Theodosio*, de eventu belli eum interroganti: *tyranno interfecto victoria positurus, in Italia esse moriturus.* Erat enim *Arbogastes* quidam potens Comes circa *Valentinianum*, qui *Dominum* suum *Viennæ* dolo cepit & strangulavit; & ut voluntariam sibi mortem concivisse putaretur, laqueo suspendit eundem. Idem *Arbogastes* *Eugenium* Germanicum fecit Imperatorem, quem tandem *Theodosius* bello cepit; qui seipsum manu sua peremit. Ipse vero hostes non tam ferro vel potentia, quam jejuniis & oratione prostravit. Erat enim propagator reipublicæ clemens, humilis, studiosus & communis ad omnes; & propter hoc etiam à paganis dilectus, moribus & corpore similis *Traiano*, de quo scribit, qui tunc floruit, poëta *paganus Claudianus*:

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,  
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Ventus enim divinitus retorfit tela paganorum in eosdem. Iste *Theodosius* per *S. Ambrosium* semel pulsus à choro, quamdiu vixit, chorum non intravit. Dixit enim ei *Ambrosius*: *Purpura te facit Imperatorem, non sacerdotem.* Dum autem alio tempore duceretur ad chorum à quodam alio Episcopo, ait: *Hic non fuerit Ambrosius.* Is anno vitæ suæ LX. obiit, mediolani sepultus. Circa hæc tempora reperta sunt *Mediolani* à *Sancto Ambrosio* corpora *S. Gervasii* & *Prothasii*. Ipse etiam imperator caput *S. Iohannis Baptista* transtulit *Constantinopolim*, quod postea translatum est in *Aquitaniam*, de quo infra 453. *Themistius* Philosophus claret. *Prudentius* seculari literatura eruditus, composuit *Psychomachiam*, i. e. pugnam animæ scilicet librum de virtutibus & vitiis, qui incipit: *Prima petit campum dubia sub sorte duelli Pugnaturo fides*, &c. Composuit quoque librum *Hymnorum et Hexameron*, & libros duos contra *Symmachum*. *Augustinus* baptizatur per *Ambrosium* *Mediolanensem*, de quo scribit *Hieronimus*: *Augustinus vir eruditione divina et humana clarus, fide integer, vita purus, scripsit, quanta nullus legit, nec invenire potest.* Hæc ille. Postea factus est *Hipponensis* Episcopus. Versus:

Mille voluminibus pater *Augustine* resurges:  
Mentitur qui te totum legisse fatetur.

*Iohannes* (i) *Damascenus*, cui beata virgo manum amputatam restituit, quia innocens erat à conspiratione contra Imperatorem sibi objecta, claruit. Similiter & *Damasus* Papa se purgavit, ut supra patuit. Tunc jubente *Theodosio* & *Papa Damaso*, *Synodus Constantinopolitana* CL. Patrum congregatur contra *Macedonium*, negantem Spiritum S. esse Deum. *Severus* cognomento *Sulpitius* multa scripsit. Fuit & alter *Severus* *Colonienensis* Episcopus. *Mauritius* *Andegavenensis* Episcopus, familiaris *Martini*, claret miraculis. *Iohannes*, *Antiochenus* & postea *Constantinopolis* Archiepiscopus, cognomento *Chrysostomus*, obiit in exilio. *Eulogius* Monachus *Alexandrinus* assumpsit & nutrit elephantum. *Blesilla* de genere *Scipionum*, mater erat *S. Paulæ* *Romanæ*, cujus *Eustochium* filia sancta claret, cujus pater *Rogatus*, soboles *Agamemnonis*; *Toxonus* autem maritus *Paulæ*, stirpis *Æneæ* & *Juliorum*, obiit anno ætatis suæ LVI, relinquens tres sanctas filias *Eustochium*, *Blesillam* & *Paulinam*, cum filio *S. Pamachio* Monacho, ut scribit *Hieronimus*. *Paulus Orosius* Presbyter scripsit *Chronicam* usque ad annos post urbem conditam MCLXVIII. Huc usque scripsit *B. Hieronymus* librum de viris illu-

(h) IX. MS. C.

(i) *Damasus* MSta.



illustribus, & ipse dictus est à patre suo Eusebius. *Hieronymus* Romæ baptisatus, literis Græcis, Latinis & Hebræis eruditus, interpres Bibliæ maximus; à Damaso Papa Cardinalis ordinatus, sed à clericis Romanis derisus veste muliebri, Romam egressus, in diversorio Mariæ Bethlehem habitans, scripsit innumera. Bibliam transtulit immediatè de Hebraico in Latinum. *Psalterium triplex* ordinavit. Primum juxta LXX. Interpretes correxit: quo vitiato, aliud composuit, quod *Damasus* constituit in Ecclesiis Gallicanis decantari: propter quod & *Gallicanum* vocatur; primum autem *Romanum*. Et quia hæc duo non suffecerant contra Judæos, addidit tertium, quod vocatur *Hebraicum*, quod de verbo ad verbum transtulit illud de Hebraico in Latinum. Festum S. Michaëlis in monte Gargano cœpit celebrari. *Huc usque Ecclesiastica Historia. Syncretica & Sarra*, duæ laudabiles Abbatissæ, floruerunt. *Syncretica* dixit: *Stulta castitas est, quæ indecenter aspicit, vel inordinatè ridet. Sicut acrimonia medicamina expellunt venena, sic sordidas cogitationes jejunium cum oratione.* *Sarra* super alveum fluminis habitans XL. annis, nunquam flumen aspexit. *Theodosius* Mediolani obiit, anno vitæ suæ LX. *Placella* uxor ejus maximam habebat curam debilium & egenorum, quibus per se ministrabat. De his Imperatoribus dicit Pantheon:

*Annis ter denis vixit Caesar Gratianus;  
Vixit Theodosius annis quasi bis duodenis,  
Atque duos ultra: Lucius tunc Papa resedit.*

*Prosper continuavit Chronica post S. Hieronymum.*

**A**RCHADIUS Constantinopoli imperat annos XIII. & frater ejus HONORIUS Romæ, filii Theodosii. Et est ab Augusto quadragesimus quartus, secundum *Bedam*. Versus:

*Arcadius cum Theodosio diademate fulget;  
Ecclesia nunc Catholica censura resurget.  
Scribitur Arcadius annis quater octo sedere,  
Cornelius Papa tres annos fertur habere,  
Insuper adde decem de ratione dies*

Hæc Pantheon. (Hoc tempore floruit Sanctus *Alexius* filius Euphemiani. *Antidius* Diabolum adjuravit, ut eum Romam ad præsentiam Papæ Innocentii perduceret, quod & fecit infra diem; ubi Papam prævenit, ne peccaret, sicut ab eodem Diabolo audivit. Hic Sanctus martyrisatus est Sedunis cum *Sancto Florentio & Evagrius*.) *Paulinus* Nolanus Episcopus, cum omnia sua dedisset in redemptionem captivorum, & vidua quædam eum rogaret, ut filio subveniret, nec aliud haberet, dedit seipsum; & sic, à Domino captivorum dilectus, omnes captivos secum liberavit, ut scribit *Gregorius* in Dialogis. Multa scripsit de *Laude Martyrum*, & librum de *Penitentia*. *Pelagius* Brito venena suæ perfidiæ sive hæresis, longe lateque disperfit, utens *Iuliano* de Campania cooperatore. *Epiphanius* Cyprorum Episcopus claruit.

ANASTASIUS Romanus, in ordine XL. Papa factus, sedit annos III. Constituit, ut quando Evangelium recitatur, Christiani non sedeant, sed stent incurvati.

INNOCENTIUS primus Albanensis, sedit annos XII. menses II. dies XX. Constituit Sabbatho jejunari, & ad missam osculum dari. *S. Martinus* obiit, anno Archadii quinto. (Beatus *Hieronymus* obiit anno præcedenti, & anno sequenti Sanctus *Ambrosius*, & *Augustinus* annis 12. prius.) *Radagaisus*, Scytharum vel Gothorum Rex, Italiam invadit. Ex hoc numerus blasphemantium crevit in Christum & Christianos, felicitatem gentium attolentes, & Christianorum miseriam. Multi enim dixerunt: *Dum populus Romanus cultui Deorum erat deditus, talia non est passus, qualia nunc à Gothis.* Contra quos *B. Augustinus* docens, scripsit libros de Civitate Dei, & *Orosius* Historiam Ecclesiasticam. (*Radagaisus* iste cum exercitu suo divino nutu territus, in montes Fessulinos fugere coactus est; ubi laborantes fame, siti & frigore sunt interfecti, eorum Rege capto & in vinculis retento, & postmodum interfecto.)

HONORIUS mortuo fratre suo Archadio imperta adhuc XV. annos cum *Theodosio secundo*, filio fratris sui: cujus erat proverbium, cum sibi diceretur, cur rebelles non occideret? *Utinam mihi possibile esset & mortuos revivificare.* Idem fuit proverbium *Theodosii Junioris*. *Honorius* iste omnes hæreticos expulit ab Africa. Tempore illius quidam nomine *Constantinus*, ex infima militia, propter solam spem nominis, electus est in Cæsarem: qui tamen delusus à Barbaris, detrimentum fuit reipublicæ. Unde mox jubente Honorio apud Arelatum occisus est cum filio suo, quem ex Monacho fecit Cæsarem. Tempore ejus Rex *Wandalorum*, & *Alaricus Christianus* *Wifegothorum* Rex, succedens *Radagoysso*, Italiam potenter



tenter intravit, anno ab Urbe condita MCLXIII. *Maguntiam* in via deleverunt. *Metis* pervenerunt, ubi mutus civitatis divino nutu ruens, capta est civitas à Wandalis. Urbem *Treverorum*, vix jam à persecutione Græcorum respirantem, ceperunt, & magna ejus ædificia ad solum dejecerunt. Posthæc cunctas civitates Galliarum pervagantes, *Arelatum* pervenerunt; ubi Rex Wandalorum à quodam milite captus, & in vincula constrictus, per multas civitates, quas vastaverat, ductus, impiam vitam digna morte finivit. Alii quoque procedentes, Romam pervenerunt; ubi *Alaricus*, dato edicto, qui se sacris locis, præcipue basilicis Apostolorum Petri & Pauli, reciperent, securos esse (mandavit, edixitque suis, in quantum possent, sanguini parcerent Christianorum; sicque ibidem) cuncta vastavit: deinde per Apuliam & Calabriam in Africam properando mortuus est. Cui successit *Athaulfus* consanguineus ejus, qui cum Gothis Romam reversus, quicquid ille reliquit, more locustarum abrafit & consumpsit. Deinde recedens, *Placidam* Honorii sororem, Magni Theodosii filiam, secum auferens, duxit uxorem, ad magnum reipublicæ, ut postmodum patuit, commodum. Nam mariti animum ingenio suo ad hoc inflexit, quod pacem petiit à Romanis. Postea fraude suorum interemptus est. *Orosius* lib. VII. Barbaris sic cuncta vastantibus, pestilentia non segnius grassabatur & fames dira, adeo, ut matres pueros manducarent. Quatuor itaque plagarum, scilicet ferri, famis, pestis & bestiarum, prophetia compleri videbatur. Sic multis partibus desolatis, præcipue Hispania à Barbaris subversa, divisa est ad inhabitandam. Sicque igitur, ut scriptum est, *B. Augustinus* scripsit librum suum *de Civitate Dei*, ostendens, *malos in hoc mundo florere, & bonos tribulari, quorum tamen tristitia verteretur in gaudium*. Multos tamen Barbaros sub eisdem Principibus Deus humiliavit per Christianos. Unde quidam ex Africa veniens contra Romanos *Heracianus*, cum XXX. millibus armatorum & LXX. navibus, contritus est à Christianis & Comite Romano, nomine *Marinus*. Et *Vallia* successor *Athaulfi* reddidit Honorio *Placidam* sororem suam, pacem faciens cum Romanis; qui etiam intra Hispanias magnas cædes fecit Barbarorum. Illam autem *Placidam* dedit Honorius *Constantio* Patricio uxorem, qui ex ea genuit *Valentinianum* sequentem. *Cosmodromium* dicit, anno Domini CCCCXIII. Honorii quinto, Roma capitur à Gothis, ut dictum est; hoc est ab urbe condita anno MCLXIV. Hoc tempore *Romani* cessaverunt regnare in *Britannia*: tuncque *Saxones* ceperunt ibidem dominari, ut patet infra in *Marcianus*. *Versus*:

*Cæsar Honorius, imperat omnibus, Archadiusque;*  
*Tunc veniunt Huni, Goti, veniunt & Alani.*  
*Va fuit Hispanis, Gallia pressa cadit.*  
*Tempore quindenis tunc vixit Honorius annis;*  
*Simplicius Papa totidem tunc vixerat annis,*  
*Addeque plus septem de ratione dies.*

421. ZOSIMUS Græcus, annum unum sedit, menses VIII. dies XXII. Decrevit, cereum sabbatho sancto benedici.

BONIFACIUS primus Romanus, ex patre presbytero: sedit annos III. menses IIX. dies VI. *Hieronymus* per LVI. annos libros colligens, obiit apud Bethlehæm, anno suo XCIX.

CÆLESTINUS primus, Romanus, sedit annos IIX. Constituit *Sanctus* ad missam. Convocavit synodum, auctoritate Imperatoris, Carthagine, CCCXIII. Episcoporum adversus *Pelagium*, & contra *Nestorium*, qui negavit in Christo duas naturas. Hic fuit Episcopus Constantinopolis. Idem Papa misit *Paladium* Episcopum, & *Patricium*, genere Britonem, filium sororis S. Martini, ad Scotos; qui & Hiberniam converterunt & purgatorium ibi impetraverunt. Inventio reliquiarum SS. Stephani, Nicodemi, Gamaliel & Abyba. *Huc usque Paulus Orosius* presbyter Hispanus, discipulus S. Augustini Historiarum cognitor eloquentissimus, scripsit historias. Tunc & *Johannes Cassianus* scripsit *Collationes Patrum*, & alia multa; *Marfiliæ* sepultus. *Avianus* poeta blaturat ut anus: verum non immerito fertur *Avianus*. *Scribit enim, ut ipsius avi tonat anus*, verba sunt *Hugonis* poeta Babenbergensis (*Theophilus* negavit Christum, per Beatam Virginem restitutus.)

SIXTUS tertius Romanus, sedit annos VIII. menses III. dies IX. Se purgavit coram Augusto cum LVII. Episcopis à crimine, sibi falso imposito.

THEODOSIUS minor, filius Archadii, imperat Constantinopoli annis XXV. cum genero suo *Valentiniano* Romæ, & est quadragesimus quintus ab Augusto. Iste Theodosius composuit *librum legum*, quem *Theodosianum* nominavit, ut dicit *Isidorus* V. Ety. nunc autem dicitur *Codex Eudoxia* uxor Augusti composuit *Homocentonas*, sicut & *Proba*, uxor *Adolphi* Proconsulis, *Virgiliocentonas*, ut dicit *Isidorus* libro de viris illustribus. Eadem Imperatrix instituit *festum S. Petri ad vincula*, quando catenas ejus de Ierusalem duxit Romam. Istam



Istam *Eudoxiam* quidam Comes palatii, *Maximus* nomine, violenter in suum conjugium transire coëgit, per quam imperium invasit. Ipsa sic vi sociata, misit legatum ad *Genfericum* Regem Wandalorum, qui protinus ex Africa cum maxima multitudine Italiam intravit. Cuius timore Romani, primo *Maximum* membratim discerpendo quarto mense suæ tyrannidis, omnes ex urbe fugerunt. B. autem *Leo* tunc *Papa*, occurrens *Genferico*, eum precibus tantum delinivit, ut ab incendio & occisione abstinens XIV. diebus, divitiis evacuans urbem, multos captivos secum auferret, *Eudoxiam*, quæ eum vocavit, cum duabus filiabus in Africam deducendo. Hoc modo Roma capta est secundo, postquam *Alaricus* eam invasit ab urbe condita MCCV. Relicta ergo urbe, Wandalis per terras diffusi omnia consumserunt. Cum istis Wandalis erant Saxones & Germani, qui tunc Franci vocabantur; quos tamen nobilis & inclytus & strenuus *Ætius*, Patricius Romanorum, nomine Imperatoris, multis contritis, abegit. Iste & Burgundiones pro magna parte expugnavit, caesis eorum XX. millibus. Similiter Gothorum interfecit LXXX. millia. Tunc & *Attila*, Rex quidam Hunnorum, fratrem suum (1) *Bledala* interemit. Iste habuit in exercitu quinquies centena millia, ut dicit *Iordanus*. Contra hunc etiam acriter bellavit *Ætius*, ubi ceciderunt ex utraque parte CLXX. millia; exceptis XV. millibus, qui prius ceciderunt. Tantus sanguis effusus est, ut parvus ibi rivulus magnus subito torrens effectus, cadavera secum traheret peremtorum. In eo bello Rex Gothorum *Theodoricus* occubuit. Idem *Attila* compulit *Theodosium*, ut sibi VI. mille libras daret pro recessu, & mille libras tributum promitteret annuatim. Idem *Attila* scribitur XI. mille virgines coronasse: quidam tamen scribunt, tempus non concordare. Istum *Ætium* fraudulenter occidit *Valentinianus*, timens ejus prosperos successus; cum quo sic occiso salus periit reipublicæ, præcipue in *Hesperia* regione, nec ultra relevari potuit. Nec tamen impune mors *Ætii* cesit. Nam sequenti anno idem *Valentinianus* per milites *Ætii* occisus est, in quo *Theodosii* generatio finita. Ordo *canonicorum regularium* cœpit à *B. Augustino* Hipponensi Episcopo; qui ne civitatis suæ ruinam cerneret, obsidiones ejus mense tertio, expletis annis vitæ LXXVI. perrexit ad Christum. Anno Domini 440. Pestis & fames, quamvis totum orbem, singulariter tamen Constantinopolim invasit. Ibi LV. turres cum muro urbis corruerunt, & multos homines cum jumentis læserunt. Tunc visus est ibi juvenis in aëre, qui dixit, ut Litaniis adderent, *Sancte Deus, sancte fortis, &c.* quod fecerunt, & statim tam terræ motus, quam alia mala cessaverunt; unde statutum est sic decantari in Decretis XV. dist. Canones. Diabolus Iudæos in specie *Moyfis* seduxit, promittens, eos sicco pede mare transire; sicque præcedens, multis eorum periclitatis, aliis, à periculo erutis & conversis, causa fuit salutis.

*LEO* primus, Tuscus, Doctor egregius, fedit annos XX. menses III. dies XXVII. Fuit quadragesimus tertius Papatum. Ipse addidit in canone, *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, &c.* Scripsit *Epistolas decretales* LXX. *Sermones* ad populum LXXIX. unde dictus est *Sermologus*. Amputavit sibi manum, quam sibi *B. Virgo* restituit. *Synodos* fecit, Carthagine CCCXIII. Episcoporum contra *Petagium*: & sub *Martiano* Cæsare Chalcedone *synodum* DCXXX. Episcoporum contra *Euticen*: ubi decretum est, quod virgo *Maria* mater Domini non solum *Christotocos*, sed & *Theotocos* credatur & appelletur. Versus:

(*Primus Papa Leo viginti præfuit annis.*)

*S. Germanus* Antiodorensis Episcopus obiit, quem *S. Amator* convertibat, sepultus Parisius.

**M**ARTIANUS imperat Constantinopoli annos VII. *Valentiniano* adhuc regnante in occidente. *Pulcheria* namque soror *Theodosii*, eo mortuo, sed nondum morte divulgata, accersivit istum *Martianum*, virum religiosum, pudicum, senem, & verum Christianum, dicens: *quando Imperator mortuus est, jura mihi, quod virginitatem meam custodies, quam Deo vovi, & pronuntiabo te Imperatorem.* Quod illo faciente, accersito Patriarcha *Anatolio*, coram omni suo senatu pronunciavit eum Imperatorem: erat enim hæres imperii. Iste ergo sic per virginem istam assumptus ad imperium, quadragesimus sextus ab Augusto, multum bonus & misericors, regnum Romanum reparavit, pacem faciens cum *Parthis* & *Wandalis*, interfecto etiam Rege Gothorum *Theodoto*: in cujus pugna tantus sanguis effusus est, quantum vix in ulla historia legitur. Nam ferme CCC. millia ceciderunt. Idem, mortua *Pulcheria*, omnia bona sua dedit pauperibus. Corpus *S. Iohannis Chrysostomi*, in exilio defuncti, cum honore transfertur Constantinopolim, *Hilarius Arelatensis* Episcopus, in sacris scripturis doctus, paupertatis amore etiam rusticationem contra vires suas exercuit. Sed nec in hoc spiritualia neglexit: nam docuit, scripsit, composuitque multa, præcipue vitam *S. Honorati*, sui prædecessoris, ut scribit *Genadius*. S. etiam *Brixius* Turonensis Episcopus obiit, anno *Martiani* secundo: & *S. Remigius* nascitur. Hoc etiam tempore *Septem dormientes*

Qqqqqq

evigi-

(1) Bledala. C.



evigilant, qui CXCII. annos dormivisse dicuntur. *Caput S. Iobannis* reperitur. *Prosper* notarius B. Leonis multa scripsit, præcipue *Chronicam* à primi hominis conditione usque ad tempus præfens. Item *Epigrammata*, quæ incipiunt:

*Hæc Augustini sacris epigrammata diâis  
Dalcifono Rhetor componens carmine Prosper.*

Tempore Martiani creduntur passæ undecim mille virgines Colonia: quia tunc pene omnes civitates Galliarum & Rheni captæ sunt ab *Hunis*. Nam *Attila* Rex Hunnorum secundo anno Martiani venit de Pannonia in Galliam cum 500000. armatis; contra quem pugnavit *Aëtius*, ut supra patuit in Theodosio. Anno etiam Martiani sexto, ab urbe condita MCCVIII. nativitate Domini anno CCCCV. *Roma* capta est à Wandalis, *Attila* iste dum per Gallias ad oppidum, cui *S. Lupus* Episcopus præerat, veniret, occurrens Episcopus dixit ei: *Tu quis es, qui nostras terras vastas, & gentem nostram perturbas?* respondit: *Ego sum Attila, flagellum Dei.* Ad quam vocem *S. Lupus* iussit ei portas aperiri, dicens: *Bene venerit flagellum Dei:* & duxit eum in civitatem. Miro autem modo percussi omnes Huni cæcitate, transierunt per civitatem à porta in portam, neminem lædentes. Ad eum *Attilam* veniens *S. Leo* Papa, non solum tantum obtemperaret? respondit *Attila*, non se ejus personam reveritum esse, sed alium juxta se stantem in habitu sacerdotali, canitie venerabilem, sibi que evaginato gladio minitantem, nisi cuncta, quæ Papa petebat, expleffer: pauloque post idem *Attila* decessit sanguinis eruptione, & mox Dominus in somnis Martiano apparuit, arcum *Attilæ* fractum esse demonstrans.

*Saxones* intraverunt hoc tempore Britanniam. Britones enim, tunc multipliciter ab hostibus vexati, vocabant per literas in subsidium, quos poterant. Tunc autem in terra Saxoniarum, ubi nunc est diœcesis Osnabrugensis, in confinio diœcesis Padebornensis, locus erat, & adhuc villa, *Engbere* dictus, ubi tunc sedes erat ducatus Saxoniarum, lingua Latina *Angaria*; cujus ducatus partem nunc tenet Archiepiscopus Coloniensis, scribens se ducem *Angaria*. De isto ergo ducatu exercitus magnus profectus est in Britanniam, cum duobus (m) principalibus; quorum unus *Hengst*, alter *Horfa* vel *Horst* dicebatur. Terram, quam ibi obtinuerunt, *Angariam* nominabant, & seipfos, mutato R. in L. vulgariter *Engelschen*, à patria voce *Engerschen*. Erat tunc Rex Britonum *Vortigrinus*, qui delectatus in istorum Saxonum audacia, cum pacem ei procurassent, & ipsi redire nollent in sua, consilio suorum concessit eis de terra, quantum unâ corrigiâ posset ambiri. Isti ergo corium tauri in corrigiam redigentes, quemque volebant locum circumdantes, elegerunt castrum illud (n) *Taucaestre*, id tauri castrum nominantes. Habuit dictus *Hengst* filiam nomine *Engbele*, quæ scyphum manu præferens Regi propinavit, dicens: *Leve Konning, wes Heil.* Rex per interpretem doctus, respondebat: *Drynck Heil.* Ab isto die usque in hodiernam consuetudo est in Britannia in convivio dicere: *Wes Heil, Drinck Heil.* Istam puellam dictus Rex duxit uxorem, per quam Saxones tandem, expulsis Britannis, terram obtinebant, ut scribunt *Gaufredus* in *Chronica Britannorum*, *Pantheon* & *Speculum historiarum* lib. XVI. cap. VI. *Versus*:

*Femina prima cibo mundum damnavit, & ista  
Potu confudit Anglica regna suo.  
Wes Heil dat latos alios, letbum dedit illa.*

Idem Rex cum castrum quoddam construere niteretur, quicquid una die fiebat, evanuit altera. Convocatis igitur magis, quæsit causam; qui fingentes dixerunt: *Olim Dii montem illum eligentes, volunt ibi singulariter placari tali sacrificio, ut puer sine patre genitus sacrificetur, cujus sanguinis casu lapides subsistant.* Queritur in multis partibus talis, & tandem reperitur una, quæ dixit, se sine viro concepisse. Cujus filius secum adductus, vocatus *Ambrosius Merlinus*, ait ad Regem: Vocentur magi tui & vincantur mendacii. Quibus adductis, ait: *Nescientes causam consulistis sanguinem meum fundi. Dicite, quid latet sub fundamento, quod stare non potest? & quæ consulistis, patiar: si vero causam veram non tangetis, sed ego, vos idem subeat.* Quibus tacentibus, dixit *Merlinus* Regi: *Fac fodi terram, & invenies stagnum, quo latent duo dracones.* Factum est sic, & egressi sunt dracones albus & rubeus. Tunc *Merlinus* prorumpens in fletum, ait: *Va rubeo, nam ejus exterminatio festinat; & statim, illis ad invicem pugnantibus, prævaluit albus.* Dixit autem *Merlinus*: *Rubeus draco gentem Britonum significat, albus vero Saxones; quibus terra opprimetur, donec succurrat Rex magnus Arcturus; de quo infra DXXIII. De quo etiam idem *Merlinus* sic prophetavit: In ore populorum celebrabitur, sed exitus ejus dubius erit. Sex posterius ejus sceptrum sequentur, sed unus eorum sanctificabitur.* In hoc notavit *S. Oswaldum*.

(m) Principibus. C.

(n) Lancaestre MS. G.



dum. Et cum multa sic prophetasset, rogavit eum Rex etiam successum suum sibi indicare. Ad hoc Merlinus: *Ignem filiorum Constantini diffuge, si vales. Jam naves parant, jam vela per aquora pandunt. Petunt Britanniam, invadent Saxoniam gentem. Sed te prius exurent. Malo tuo patrem eorum prodidisti, & Saxones invitasti. Invitasti eos in presidium, sed venerunt in tuum supplicium. Imminent tibi duo funera, nec est promptum, quod prius vitabis. Hinc enim Saxones regnum tuum vastabunt. Hinc fratres mortem patris in te vindicabunt. Quere tibi diffugium, si poteris; cras litus tenebunt. Nec mora, Aurelius Ambrosius & Vitar frater ejus, dictus Pendracon i. e. caput draconis, quia draconem album interfecit, filii Constantini Regis minoris Britanniae, de quo dictum est supra CCCCVII, applicuerunt cum X. millibus armatorum, & omnia, ut dictum est, evenerunt. Sicque Rege combusto, pugnaverunt contra Saxones, & ceciderunt hinc inde vulnerati. Prævaluissent Saxones, nisi equestris turma Armoricanorum, duxque Cornubiæ cum militibus supervenissent; quibus venientibus cesserunt Saxones. Cecidit ibi Hengst, quem honeste fecit Aurelius sepeliri in Cantelberg. Cujus filia regina, videns casum suorum, dixit Aurelio: *Visti sunt Dii mei, Deumque tuum regnare non habito, qui tot nobiles ad se venire compellit. Accipe nos, & catenam quam gero; & nisi misericordiam adhibueris, habe nos, ad quodcumque tibi placet, paratos. Aderat tunc Episcopus quidam, nomine Eldadus, dicens: Gabonita, quia voluntarie ad filios Israel venerunt, misericordiam impetraverunt. Ne ergo nos Christiani simus peiores Judæis. Misericordiam petunt, misericordiam habeant. Ampla est insula; saltem deserta inhabitent.* Acquievit Rex, deditque eis terram Scotiæ, foedus amicitiae cum eis firmando. Aurelio ibidem mortuo, successit frater (p) Ular, qui genuit in adulterio Ardurum, de quo infra.*

Prosper huc usque scripsit Chronicam. Hoc etiam tempore cœperunt Franci principari. Pro quo nota, ut scribit Gregorius Turonensis Episcopus: Priamus junior, Aeneas & Antenor cum suis creverunt in gentem magnam, ædificantes civitatem Sicambriam, à qua dicti sunt Sicambri. Tempore quo gens Alanorum Romanis rebellavit, Valentinianus Imperator edixit; quicumque illam gentem Romanis subjugarent, deberent esse Franci i. e. liberi X. annos à tributo. Trojanani igitur isti tales subjugabant, & post X. annos, quia Franci feroces tributum negabant, ideo à Romanis inde pulsi, venerunt in partes Rheni; quibus tunc Marcomirus Princeps erat. Cui successit Fammundus XX. annos. Inde Clodius Rex crinitus, à quo Criniti sunt dicti. Quo mortuo successit Meroveus, à quo Merovingi sunt appellati. Tempore hoc Huni Treberim, Metis, & Agrippinam & cætera, destruxerunt, Meroveus genuit Hildericum in adulterio. Tunc Franci Treberim ceperunt & Agrippinam, vocantes eam Coloniam, quia ibi quasi coloni habitabant, sicque capit regnum Orientalium Francorum. Clodoveus igitur primus Rex eorum, regnans XXX. annos; occidit Alaricum, qui tunc regnabat Tolosa. Iste Clodoveus habuit uxorem Christianam, nomine Rothildam, quæ peperit filium; qui per matrem baptisatus, in albis mortuus est. Unde Rex tristis ait: *Si in nomine Deorum nostrorum puer dedicatus fuisset, vixisset utique, qui in nomine Dei tui vivere non potuit.* Regina respondit: *Deo gratias ago, quod primogenitum meum recipere dignatus est in regnum suum.* Postea genuit alium, qui vocatus in baptismo Clodomira, statim infirmatus est. Unde Rex ait: *Hic, sicut frater suus, morietur.* Sed orante regina convaluit. De isto Clodoveo, plus infra. Clodoveus (iste genuit quatuor filios. Primus fuit Theodericus, qui subita morte periit; secundus Clodomirus; tertius Childebertus & quartus Clotharius, qui regnum patris inter se dividerunt. Childebertus filium fratris sui Clodomiri cultro perfodit. Clotharius Rex reliquit quatuor filios Reges, Aripertum, Guntramnum, Hipericum & Sigebertum. Sigebertus genuit de Brunihilda Gildebertum, qui Theodericum & Theodericum fratres. Ex Theodoberto natus est Dagobertus, ex Theoderico Clotarius. Porro ex filia Clotarii nobilis Auspertus senator genuit tres filios, & unam filiam, nomine Tharsicia. Nomina vero filiorum sunt Arnoldus, Feriolus, Modericus. Arnoldus genuit S. Arnolfum, & iste Flodolfum & Anschisum. Anschisus autem genuit primum Pipinum, & ille Karolum Marcellum, & iste Pipinum gnavum, primum istius stirpis Regem. Pipinus autem genuit gloriosissimum Karolum Magnum.

LEO primus major, cognomento Basilia à quadam civitate, imperat Constantinopoli annos XVII. occiso Marciano à suis. Jussit imagines sanctorum comburi. Tunc & quidam nomine Avitus imperat Romæ quatuor annis, quem secutus est Severus similiter quatuor annis. Tempore isto fuit Tibericus secundus de Berna, cognomento Strabo, Rex Gothorum, puer octennis, filius Theoderici, obses datus Leoni. Iste ponitur infra in Justinus.

HILARIUS Sardus sedit annos VII, menses III, dies X. Cujus tempore corpus S. Helisei prophetae de Samaria transfertur Alexandriam, in Monasterium S. Pauli.

SIMPLICIUS Tiburtinus sedit annis XV. mense uno, diebus VII. Versus:

Primus Papa Leo viginti præfuit annis:  
Simplicius Roma post primum Papam Leonem

Q99999 2

Sufci-



*Suscipit Ecclesia dignè recolendus honorem;  
Annos quindenos vita beata fovet.  
Felicis Papa post annos exprime septem  
Undenos menses octodecimque dies.*

Circa hæc tempora claret Parisiis *Genewefa* virgo, cujus ab anno XV. usque ad L. esca erat panis hordeaceus & faba, quem post duas vel tres hebdomadas semel edebat. Sed post quinquagesimum annum propter obedientiam pisces edebat & lac. Obiit anno Domini DL. Invocatur specialiter contra febres. Claruit & *Simcon*, qui XL. annis stetit in columna Antiochia. *Genadius* Constantinopolis Episcopus multa scripsit, secutus B. Hieronymum de viris illustribus. Circa hoc tempus capti sunt pisces quatuor, specie & visu novi; sicut retulere, qui ceperunt, Christiani religiosi; Hebræis, Græcis & Latinis literis insigniti, circum CCCLXVI. annorum continentes, ut dicit H. Tunc *Tolose* in medio civitatis terra sanguinem erupit totius diei circulo. Ideo *S. Mamartinus*, Episcopus Viennensis, instituit Letaniam minorem ante Ascensionem Domini. *Antiochia* etiam, inobediens monitis salutaribus, terra dehiscente mergebatur, cacuminibus turrium super terram apparentibus; solum Deum timentibus & interitu liberatis, anno Domini CCCCLIV. Tunc & facta est translatio *S. Marci* ad Venetias & postmodum Constantiam. *Hermenfridus* Rex Thuringorum regnat, hoc est, Sclavorum.

**ZENON** imperavit Constantinopoli annos (q) XVI. genere Isaurus: *Majorianus* autem Romæ. Iste Zenon fecit leges plurimas. Misit *Theodericum* de *Berna* contra *Odocarum*, qui tunc omnia occupaverat in Italia. *Odocarus* enim genere Rugus vel Ruthenus, ab extremis Pannoniæ finibus, ad Italiam veniens, accessit virum quendam sanctum, nominatum *Severinum*, benedictionem ab eo petiturus. Cui servus Dei, futurorum præcius, ait: *Vade nunc Italiam Odocarus, vilissimis pellibus indutus, multis citò plurima largiturus & regnaturus.* Hæc verba fore, exitus probavit. Nam statim per omnem Italiam regnavit, vide infra DLXII. Quem quidam nomine *Augustulus*, tunc Romanus Imperator, timens, purpura sponte abjecta, regnare permisit: sicque Romanum imperium, orbi terrarum formidabile, quod cæpit ab **AUGUSTO**, cum hoc **AUGUSTULO** periit. Hunc autem *Odocarum* contrivit *Tydericus* de *Berna*, qui & destruxit *Placentiam* & *Asturicam* civitates Italiæ. Idem etiam misit *Johannem Papam* ad *Justinum* Imperatorem, mandans, ut aut sibi adherentibus Episcopis Ecclesias redderet, aut ipse totius Italiæ populos gladio feriret. Ipse etiam *S. Symmachum* patricium, & dictum *Johannem Papam*, cum venerabili *Boëthio* & aliis, misit in exilium: & post hæc statim defunctus. Reliquit nepotem ex filia *Athalaricum*, puerum X. annorum, Gothis successorem. Ipse autem, quia erat *Arrianus*, post mortem visus est à quodam *S. Eremita* mitti in ollam *Vulcani* per *Papam Johannem*, ut refert *Gregorius* in *Dialogis*. Legitur tamen, quod in die Ascensionis Domini, cum morti appropinquaret, ad altare se faciens portari, Antiphonam: *O Rex gloria*, usque ad finem devotè decantans, in pace dormivit; tantusque odor omnes perfudit, ut in *Paradiso* se esse putarent. Uxor etiam ejus, nomine *Elpes*, composuit hymnum Apostolorum (r) *Petri & Pauli*, qui incipit: *Felix per omnes festum mundi cardines*; cum hoc *Epitaphio*:

*Elpes dicta fui, Scythiæ regionis alumna,  
Quam procul à patria conjugis egit amor.  
Porticibus sacris jam non peregrina quiesco,  
Iudicis aterni testificata thronum.*

*Versus: Tempore Felicis fuerat Rex Theodoricus,  
Impius, impatiens, Gothorum ductor iniquus.  
Geladius Papa stat tempore Theodorici,  
Annis bis binis, mensibus octo fuit.  
Symmachus & Papa cum Principe Theodorico  
Sedet, & Hormisda sub eodem præsul iniquo.*

**FELIX** tertius Romanus, ex patre *Felice* presbytero, fedit annos VII. menses XI. dies XVII. *Hæresis Acephalorum* oritur, sic dicta, quia sine capite & auctore impugnabat synodum *Chalcedonensem*.

**GELASIUS** primus Afer, fedit annos V. menses VIII. dies XVIII. Composuit canonem missæ. Amator erat pauperum; Clerum ampliavit, & à periculo famis Romam liberavit

**ANASTASIUS** secundus, fedit quasi duobus annis: Versus:

*Alter*

(q) XV. MS. C.

(r) verba: *Petri & Pauli*, desunt in MSis C. & G.



*Alter Anastasius Romæ nunc Papa refedit;  
Annus ei spatium solus in orbe dedit;  
Undeni menses, vicefiesque dies.*

Hic Papa (vel sequens) quia communicavit (s) Photino hæretico, divino iudicio percussus, dum iret ad secreta naturæ, egerens intestina, miserabiliter decessit.

SIMACHUS Sardus sedit annos XV. Statuit *Gloria in excelsis*, in festis Sanctorum decantari. Contra istum assumptus est in Papam Laurentius, & stetit schisma tribus annis cum effusione sanguinis, tam Clericorum quam laicorum. Tandem Tydericus de Bernas concilio convocato, Simachum confirmavit, & Laurentium fecit Episcopum in (t) Lulia.

HORMISDA Campanus, natione Romanus, sedit annos VIII. Circa hæc tempora Fulgentius Carthagenensis, Græcis & Latinis literis eruditus, multa scripsit, cum sanctis Lupo & Germano. Britanniam & novam Saxoniam, reliquiis honoravit.

S. REMIGIUS, Episcopus Remensis, Clodoveum primum Regem Francorum baptizavit. Ipse enim per uxorem suam sapius monitus, non potuit induci ad fidem Christianam, donec contra hostes pugnans multos perdidisset. Tunc enim Secretarius ejus Aurelius ait: *Domine mi Rex, crede in Deum cali, quem regina predicat, & victor eris.* Ille, visis suorum cladibus, dixit: *Iesu Christe, quem uxor mea predicat Deum esse & filium Dei; tuum adiutorium devotus imploro, vovens, si mihi victoriam dederis, baptizari;* promisitque ad honorem B. Martini equum suum dare. Cum hoc & similia oraret, victi sunt adversarii, anno regni sui XV, sicque baptizatus est Rex à Sancto Remigio, & dux filix cum populo Francorum. Dum autem equum promissum redimere vellet pro C. florenis, equus non movit se, & ait Rex: *addite adhuc totidem.* Fecerunt, & equus ivit. Tunc lætanter Rex ait: *Vere B. Martinus bonus est auxilio, sed carus in negotio.* Obiit autem idem Rex anno Domini DVIII. Nota etiam, quod à transitu S. Martini, usque ad obitum Clodovei fluxerunt anni CXII. Obiit circa tempus illud S. Episcopus Medardus, quem dictus Rex gloriose sepelivit; cujus frater erat Gildardus, ambo sancti, uno die nati, uno die Episcopi consecrati, & uno die mortui à Christo sunt assumpti. Circa idem tempus Rex quidam Wandalorum Hunericus Arrianus multa mala intulit Christianis. Relegavit in exilium Presbyteros & clericos uno tempore (x) CCC XIII, in Speculo Histor. libr. 21. cap. 72. quibus linguas abscindens, plena verba auferre non potuit, ut testatur B. Gregorius libro Dialogorum. Cujus frater nomine Hildericus, filius Eudoxiæ, captivæ filix Valentiniæ, universos absolvit ab exilio, eisque Ecclesias reformare præcepit, quæ à Genserico usque ad id tempus jam per LXX. annos erant destructæ.

ANASTASIUS malus, imperat Constantinopoli annos XXV. Ipse fuit hæresi Euticetis infectus. Fulmine periit. Tempore ejus Artemius imperavit Romæ. Tunc Olympus Arrianus in Africa, dum baptizans quendam, verba blasphemix contra S. Trinitatis fidem evomeret, veniente subito cælitus ignoto jaculo, visibiliter combustus est. Deuterius quoque Arrianus Episcopus, dum quendam nomine (y) Barnabas baptizaturus, dixisset: *Baptizo te Barnabas, in nomine Patris, per filium, in Spiritu Sancto;* (z) aqua non apparuit. Quod aspiciens baptizandus, confugiens ad Catholicos, juxta morem fidei, recte baptizatus est. Alamundarus Princeps Sarracenorum baptizatus, cum persuaderetur ab (a) Arrianis eis consentire, dixit: *Hodie literas accepi, quod Michael Archangelus sit mortuus.* Illis respondentibus, hoc esse impossibile, cum sit substantia incorporea; ait iste: *quomodo ergo Christus mortuus est, nisi sit duarum naturarum:* sicque confusi recesserunt. Dionysius Abbas Romæ composuit cyclos paschales. Cassiodorus tam seculari quam divina scientia illustratus, primo Consul Romanus, deinde Senator Ravennæ, (b) postea Monachus claruit. Tunc floruerunt etiam Leonardus, Leodegarius, Herculanus Episcopus Perusinus, Vedastus Atrebatensis, & Fulgentius Episcopus. Istum Anastasium Hormisda Papa, qui Symmacho successerat, monuit per legatos solemnes, missos in Constantinopolin, ut fidem rectam sequeretur: quos fragili navi impositos exulavit, mandans, ne ad aliquam civitatem accederent. Quam impietatem divina protinus ultio subsecuta est. Nam vi fulminis percussus interiit. Cui successit.

IUSTINUS senior Christianissimus, genere Illyricus; imperavit Constantinopoli annis (c) IX: Olybrius autem Romæ VII. menses, sub quo creditur martyrisata esse S. Margareta Virgo. Idem autem Justinus, hæreticos fugans, Catholicos Ecclesiis restituit. Quod Tydericus Rex Gothorum percipiens, mandavit ei per Iohannem Papam, ut supra: Quod Iustinus ob salutem populi admisit. Sed interim Rex Boëthium & Symmachum Patricios gladio trucidavit, & Iohannem Papam cum sociis itineris in carcere peremit. Hoc tempore obiit in Scotia S. virgo Brigida.

IOHANNES primus, Tuscus, sedit annos II. m. VIII. d. XVIII.

Qqqqqq 3

FELIX

(s) MS. Conr. Achatio. (t) MSS. Conr. Luceria. (x) Id. 334. (y) Al. Barbas. (z) statim aqua non comparuit, MS. C. (a) forte: Eutyckianis. (b) Ravennæ Monachus claruit. C. (c) IX. MS. C.



FELIX quartus, dictus (d) Mercurius, Sabinensis, sedit annos IV. m. III. Instituit unktionem extremam. Versus:

*Iustinus septem feliciter imperat annis.  
Tempora nunc veniunt Papa numeranda Iohannis:  
Hic annos binos vixit in orbe suo;  
Addere ter ternos menses curemus ad annos.  
Tertius est Felix Iustini tempore Papa,  
Quatuor annorum cui tempora sunt reputata,  
Insuper & menses tres ratione vacant,  
Et Bonifacius est Iustini tempore Prasul,  
Annorum cui binorum vix tempus habetur.*

Ordo nigrorum monachorum cepit sub B. Benedicto in monte Cassino in Campania. Versus:

*Ordo niger, quingentesimo Domini micat anno  
Sed cum bis deno, sub patre pio Benedicto.  
Vel sic: En quingentesimo bis deno numero pleno  
Ordo sub invicto niger est factus Benedicto.*

BONIFACIUS II. Romanus, sedit annos II. dies XX. (De isto dicitur de Confe. distinct. II. Sacerdotum.) Nota, cum S. Benedictus cum tribus corvis veniret ad specum, dixit vox de celo cuidam viro sancto, ibi prius habitanti: Versus:

*His tu parce locis; alter amicus adest.*

Corpus S. Antonii reperitur Alexandria.

**IUSTINIANUS**, nepos Iustini, imperat Constantinopoli annis XXXVIII. Iste consummavit *Codicem & Digesta*, & quosdam libros de *Incarnatione Domini* edidit per seipsum, quos misit per diversas provincias. Ipse edixit, ne pagani vel hæretici militarent, dans eis tres menses pro induciis ab exercitu recedendi. Ipse anno imperii sui VII. misit Patricium, virum strenuum, nomine *Bellisarium*, in *Africam* cum exercitu magno contra *Wandalos*; ubi parata victoria, captus Rex eorum, ductus est ad Imperatorem, postquam *Wandali* dominantur *Africæ* annis XCVI. Dein idem *Bellisarius* cepit *Siciliam*, *Gothis Syracusam* insidentibus in deditionem receptis. Inde veniens *Neapolim*, non est intromissus. Quare circumvallatâ eâ, cepit ipsam per aquæ ductum, & interfectis rebellibus, civitatem spoliavit. Sed postea à Papa *Silverio* correptus de tanta crudelitate, ipsam reformavit, & regnum *Gothorum* quasi destruxit, quod jam ad 200. circiter duraverat annos. *Totila* tamen Rex ipsorum adhuc erat. Posthæc *Gothi*, *Transpadum* in *Liguria* consistentes, Regem constituerunt, cui *Totila* successit, qui Romanum imperium invadens, à *Bellisario* navali prælio victus est, ita, quod, *Totila* cum paucis evadente, plures *Gothorum* *Tiberi* submersi sint, quam gladiis occisi. Deinde idem *Totila*, resumptis viribus, *Bellisario* exeunte in *Siciliam*, cepit *Romam*, & quasi totam vastavit *Italiam*. Eo tempore discipuli quidam S. *Benedicti* dixerunt ad eum: *Pater, Rex iste destruet urbem Romam.* Quibus S. Pater respondit: *Roma non destruetur à gentibus, sed in ipsa marcescet.* *Arcturus* Rex *Britonum* obiit, postquam multas terras subjugavit. *Norvegiam* enim, *Nortmanniam*, *Scotiam*, quæ tunc *Albania* dicebatur, *Hiberniam*, (e) *Selandiam* subjugavit, & *Galliam*. Cæpit familiam suam dilatare, & tantam faceriam in curia sua servare, ut à remotis nobiles accederent, ut etiam nobilissimus quisque nil reputaret se vidisse vel egisse, si non curiam *Arcturi* visitasset. Fama enim largitatis ejus cunctos Reges & nobiles invitabat. (Gladium suum vocavit *Calborii*, & lanceam *Romæ*. Quodam igitur tempore, cum multos Principes invitasset, supervenerunt nuntii Romanorum, literas ex parte *Lucii* in hæc verba perferentes: *Lucius Reipublicæ procurator Arcturo Regi Britonum, quod meruit. Admirans vehementer admiror superbiam tuam & injuriam, quam Romanis intulisti. Tributum, quod tibi senatus præceperat, quodque Iulius cæterique Romanæ dignitatis viri multis temporibus habuerunt, detinere præsumpsisti. Quare terminum tibi præfigens, Romam te venire jubeo, ut Dominis tuis satisfaciens, sententiæ eorum acquiescas. Sin autem, ego partes tuas adibo.* Quibus auditis, *Arcturus* suorum consilium audivit; inter quos *Dux Cornubiæ*, in hunc sensum cum risu solutus, ait: *Huc usque in timore fueram, ne pace longa Britones quietos otium faceret ignavos. Dum enim usus armorum videtur abesse, mulierum & aliarum rerum inflammationes oblectamenta que adesse non est dubitandum. Deus igitur, ut nos segnitiam liberaret, Romanos in hunc affectum induxit. Hæc & his similia eo dicente, consenserunt omnes, Regem adjuvare.*

(d) Al Mercurius.

(e) loco *Seelandiam* est in MSC. C. *Daciam, Gotlandiam.*



vare. Tunc Arcturus ait: sapienter providendum est, quid nobis sit agendum. Quod enim sapienter præludatur, feliciter toleratur. Non multum timendum puto Lucii inquietationem, cum irrationabiliter exigat tributum, dicens: ex hoc sibi deberi, quod Julio Cæsari & quibusdam aliis datum sit, qui patriam nostram vi subjugarunt. Nihil enim, quod vi vel violentia acquiritur, justè possidetur. Consimili vero ratione nos tributum à Romanis exigamus, quod antecessores nostri aliquando Romam obtinuerunt. *Belinus* enim Rex Britonum & frater ejus *Brennus*, suspensis in medio fori XXIII. nobilibus Romanis, urbem ceperunt, & captam multis annis possederunt. Insuper *Constantinus* filius Helenæ, nec non *Maximus*, uterque mihi cognatione propinquus, Romam alter post alterum adeptus est. Arcturus igitur Romanis remandavit, nequaquam tributum sedaturum; sed contra expliturum ab iis, quod justum est. Lucius igitur edicto Romanorum collegit exercitum, cum quo fuerunt Reges Græciæ, Africæ, Hispaniæ, & simul XLMD. Arcturus ex altera parte adduxit exercitum CCLXXXIII. & pedites leviter (facile) sub numerum non cadebant. Quibus diu ad invicem pugnantibus & multis occisis, Lucius interiit: cujus corpus Arcturus senatui remisit, dicens: non debere aliud tributum ex Britannia reddi. Arcturus autem cum paucis, qui neci supererant, ad patriam rediens, decessit.)

JOHANNES II. Papa Romanus, sedit annos II. menses IV. dies VI.

AGAPITUS primus, Romanus, sedit annum & parum plus. Constituit processionem fieri dominico die, ut patet LVI. dist. Orosius, & de cons. dist. V. Agapitus. Ille venit ad Imperatorem, ut *Theodatus*, nepos Tiderici de Berna, qui matrem propriam occiderat, reciperetur in gratiam. Et intelligens, Imperatorem Euticis dogmate corruptum, fiducia-liter eum & aspere corripuit, dicens: *Ego ad Iustinianum Christianissimum venire desideravi, sed Diocletianum inveni.* Et ille monitis illius salubriter acquiescens, ad fidei confessionem, cum multis similiter corruptis, regressus est. H.

SILVERIUS Capuanus, filius Papæ Hormisdæ, sedit annos V. menses V. dies XI. Statuit canonem missæ sub silentio legi. Hunc misit *Theodora* Imperatrix in exilium, ubi mortuus est pro Christo.

VIGILIUS Romanus sedit annos XVII. menses VI. dies XXV. Male intravit papatum, sed pœnitens fatisegit. Ordinavit missas celebrari versus orientem. Hunc similiter Imperatrix occidit, eo quod nollet *Anthemium* Episcopum Constantinopolitanum condemnatum absolvere. De hoc loquitur Petrus Damiani: *Quid dicam de Papa Vigilio, qui scelemus & impius, primum Bonifacio Papæ molitus est insidias. Postmodum Silverium aggressus, nequiter condemnavit, & data pecunia assumtus est in Papam. Quicquid tamen constituit, nemo Pontificum cassare præsumferit. Tandem servatus est ad pœnitentiam.*

FABIANVS sedit annum unum, menses V. dies XIII. cujus tempore obiit *S. Remigius* anno XXVII. sui Episcopatus.

PELAGIVS primus, Romanus, sedit annos IV. menses X. dies XVIII. *Gretes* Rex Herulorum venit Constantinopolim, cum populo suo baptisari: quem in Epiphania baptisatum, *Iustinianus* Imperator de sacro fonte levavit. Eodem anno mulier quædam ex Hunis, habens secum Hunorum C. millia, Romæ baptisatur. Similiter & vir ejus *Corda*, Rex Hunorum, cum suis baptisatur. *Brandanus* pater 3000. Monachorum in Scotia floruit. Eclipsis Solis XIII. Kal. Martii & XII. Kal. Iulii, ita ut stellæ apparerent in die. Terræ motus factus est magnus in multis partibus & locis, & duravit XL. dies. *Antiochia* etiam innumerabiles perierunt. Tunc quidam sanctus in visu doctus est, ut diceret hominibus vivis, ut in liminaribus domorum scriberent: *Christus nobiscum: state.* Quo factò, ira Dei cessavit. In civitate Pompejopoli, obrutum est medium civitatis cum habitatoribus, & audite sunt voces eorum sub terra, ut eis succurratur: quos Imperator adhuc vivos fecit educi. Contra tantam mortalitatem & miseriam (f) *Ypopanti* institutum est Constantinopoli. Imperator & Augusta magnas expensas dederunt in reparationem civitatum, præcipue *Antiochia*, quæ tunc nominata est *Theopolis* i. e. civitas Dei. Idem Justinianus construxit Constantinopoli templum *Agias Sophias*, ad honorem filii Dei, qui est Sapiencia patris; cui simile templum non invenitur in orbe. *S. Medardus* obiit. *Ossa S. Stephani* translata sunt Romam apud *S. Laurentium*. *Synodus* convocata contra *Theodoram* Imperatricem & omnes hæreticos. Puer Hebræus communicat cum Christianis: Unde plures Iudæi sunt conversi. (g) *Arator* Poëta, Ecclesiæ Romanæ subdiaconus, dictavit heroïco metro *Actus Apostolorum*, cum multis aliis. *Gregorius* ex Prætoris fit Monachus, sub *S. Benedicto*. *Ida* regnavit in Britannia, à quo regalis (h) *Nordenbym* brorum profapia cœpit. *S. Columba* Presbyter, de Scotia venit Britanniam, convertitque Pictaviam. Mons, circa Rhodanum fluvium Galliæ, Ecclesias & domus cum hominibus & animalibus præcipitavit in aquam, ex motu terræ. *Priscianus* Grammaticus floret, cujus hæc est sententia in majori volumine: *Nihil in humanis ad inventionibus ex omni parte perfectum esse credo.* *Arrianus* factus est, ut liber

ejus

(f) in margine MS. C. erat: Purificationis Mariæ festum. (g) in MS. C. alia manu additur: videntes, quod puer manet illæsus, cum pater ejus misit eum in fornacem ignis. (h) Northumbrorum.



ejus approbaretur ab Arrianis. Huc usque scripserunt Chronicas *Jordanus* Episcopus, & *Victor* Turonorum Episcopus.

**I**USTINVS II. & Junior, nepos Justiniani, imperat annos XI. Quietus, pacificus & bonus fuit, qui usque ad vocem uxoris suæ *Sophie* dereliquit consilium Narsetis Principis sui fidelissimi. Iste enim *Narses* sapiens, largus, & verus Christianus, bella gerens ubique pro Imperatore, victoriam magis oratione quam armis obtinuit. Iste Regem *Gotorum* *Tosilam* vicit & occidit: Italiam liberavit à *Gottis*. *Syndualdum* Regem *Herulorum*, qui ex genere *Odoacari* remanserat, in alta trabe suspendit. Ipse *Bucellinum* Principem *Francorum*, rebellem Romanis, occidit. Tunc & (i) *Arriani* fidem Christi receperunt. Contra hunc *Narsetem* Romani ob invidiam accusationem direxerunt Imperatori, dicentes: *Melius est nobis servire Gotis quam Græcis, ubi Narses castratus imperat, & nos servitio premit, & noster Augustus hoc nescit. Aut libera nos de manu ejus, aut certe civitatem Romanam & nos metipso gentibus trademus.* Audiens hæc *Narses*, scripsit Imperatori: *Si male feci Romanis, quos libertati restitui, male inveniam.* Augustus autem uxoris consilio quendam *Longinum* prefecit in locum *Narsetis*. Regina quoque scripsit Romanis: *Ponam illum castratum, ut pensam flet & lanam cum puellis.* Ad hæc *Narses* rescripsit: *Talem ei ordiar telam, ut, quamdiu vixerit Sophia, non possit deponere.* Contulit ergo se *Neapolim*, mittens legatos ad *Longobardos* (&) *Saxones*, ut venientes Italiam possiderent; quod & factum est. Dum autem isti *Lumbardi* Italiam petentes, de *Pannonia* egrederentur, apparuerunt in cælo igneæ acies, sanguinem humanum fundendum significantes, ut scribit *Gregorius* in *Dialogis*. De quo *Henricus Rosla*:

*Iunctus Saxo Rugis Romanam subdidit urbem,  
In qua bis septem regnavit Odocarus annis.  
Tunc Longobardis ille est opem tulit (k) idem.  
Igni feri cunei tunc cælo currere visi.  
Ex tunc Italiam per plurima prælia cepit  
Saxo.*

Isti *Lumbardi*, licet essent baptisati, nihilominus tamen idola colebant, & præcipue *simulacrum aurum viperae*; à quo tandem errore, *S. Barbatu* Episcopus *Bonaventanus* eos retraxit. Eo tempore erat quidam sanctus in Italia *Honorius* inclusus; quem *Longobardi* videntes cinctum catenis, indutumque cilicio, sciscitati sunt, quid mali fecerit, quod tali supplicio arctaretur? Quo propter humilitatem dicente, se omnibus flagitiis esse circumventum; unus extracto gladio voluit ei caput amputare. Sed mox dextra ejus dirigit; quam vitæ Dei sancto crucis signo sanavit. Circa hæc tempora *Albinus* Rex *Longobardorum*, cum *Saxonibus* plus quam *XXMDLXVIII.* amicis suis obsedit *Papiam* tribus annis: quibus elapsis, cepit, & cum vellet intrare per portam *S. Iohannis*, equus, cui tum infedit, fixus stetit in medio portæ, nec calcaribus nec verberibus cedens. Tunc quidam ait Regi: *Memento Rex, quid vovisti, (l) & frange votum tam durum, & ingredieris. Vere enim Christianus populus habitat in hac urbe.* Voverat autem Rex, se universum illum populum occisurum, eo, quod se ultro non tradebat. Quod votum dum rupit, equo moto civitatem intravit, & pacem cum eis ordinavit. Iste Rex quendam Regem occidit in bello; de cujus capite scyphum fecit, de quo sæpe bibit, & filiam occisi, nomine *Rosa mundi* duxit uxorem; quam quodam tempore compulit de tali scypho potare. Propter quod odium concipiens, virum procuravit occidi, adhærens postmodum interfectori; cui tamen non longe post propinavit in potu venenum. Qui sentiens se læsum, & ipsam interfecit, sicque simul perierunt. De hac dicitur:

*Hic jacet in tumba Rosa mundi, non rosa munda:  
Non redolet, sed olet, qua redolere solet.*

**BENEDICTUS** primus Romanus, sedit uno mense, diebus VI.  
**PELAGIUS** secundus Romanus sedit annis X. m. II. dies. X. *Versus*:

*Nunc minor undenis Iustinus præsidet annis,  
Surgit Pelagius nunc Roma Papa secundus,  
Germine Romanus, discretus & ore facundus,  
Sed prius Benedictus erat, præsul venerandus,  
Vno plus mense, sexque decemque dies.*

Nota, cum istis *Longobardis* *Saxones* erant; qui de Italia tandem ad propria repedantes, invenerunt regionem suam à *Suevis* & aliis gentibus occupatam. Quas dum *Saxones* niterentur

(i) Armeni MS. C. (k) Saxo. (l) MS. C. jurasti.



rentur expellere, obtulerunt tertiam partem regionis, ut simul habitarent. Saxonibus hoc recusantibus, obtulerunt eis mediam partem; nec dum eis contentis, obtulerunt duas partes, tertia tantum volentes contentari. Sed nec sic acceptantibus, obtulerunt eis pecora cum tota terra. Saxonibus hæc omnia recusantibus, bellum instauratur, & caesa sunt Saxonum 20000. & Svevorum 6480. & superfuerunt Saxonum 6000. qui voverunt, barbaram neque capillos se incifuros, donec se vindicarent. Quare iterum bellum committentes, sic attriti sunt mutuo, quod postea quiescentes simul habitarent. (m) Hinc arbitrator esse, quod legitur in Legibus Saxonum, quod *Dux de Brunswick, Marchio Brandenburgensis, Marchio Misnensis, Comes de Anhalt, Comes de Werningerode, & alii nobiles ibidem expressi, sint ab antiquo natione Suevi: & (n) æque quidam nobiles habitantes in Suevia, sint natione Saxones.*

**TIBERIUS II.** dictus Constantinus, Christianissimus, imperat annos VII. Erat in pauperes liberalissimus. Cum Roma fame laboraret, Longobardis ibidem omnia vestantibus, misit Romanis multa millia modiorum frumenti. *Iustinus* adoptavit eum in filium, & fecit eum Augustum. Quodam tempore tres nobiles à paganis capti, subsidium petierunt à Tiberio; quibus consiliarius quidam Rege presente dixit: *Nunc quia Rex omnia distribuit, jam nihil potest vobis dare; crastino venietis.* Tunc Rex: *Quid loqueris, serve nequam? Nescis, quia re cum omnibus tuis possidemus?* Dixitque ad illos tres; *Accipite eum, nec dimittatis, donec cui libet vestrum det duo millia florenorum: Quod factum est.* Idem Tiberius crucem Domini valde veneratus, etiam stramina, lapides vel ligna, in modum crucis jacentia, fecit vel destrui vel elevari, dicens; *peccatum esse tam nobilem formam, qua vita suspensa est, quam Reges portant in frontibus, pedibus calcari.* Die igitur quadam, dum omnia sua pauperibus erogasset, vidit tabulam quandam, signo crucis sculptam pulveribusque opertam, in terra jacere, quam mox levare precepit; & sub ea aliam, sub qua tunc tertiam reperit; & vas ingens thesauro plenum, auro gemmisque & argento. Gratias igitur agens Deo, vocatis consiliariis & uxore, sæpius ipsum de prodigalitate redarguentibus, ait: *Nolite jam murmurare; sæpe vobis dixi, Deus potest plus nobis dare, quam valeamus erogare.* Ipse tandem infirmatus, vocavit *Mauritium* generum suum, virum strenuum & sapientem; cui dedit filiam suam *Constantiam* in uxorem, dicens: *Sit tibi imperium cum hac puella concessum, utere eo feliciter, & habe in mente incessanter, aequitatem & justitiam præcipua esse Imperatoris insignia.* Quo dicto spiritum exhalavit. Hoc tempore fuerunt maxima pluvia, ut putaretur esse diluvium; nec à tempore Noë majus est auditum. Tunc *Verone* fluvius *Athesis*, ut refert *S. Georgius*, crescens, ad Ecclesiam *S. Zenonis* martyris & Pontificis venit usque ad fenestras: & tamen per januam apertam non intravit: Sicque meritis illius sancti, salvati sunt, qui fuerunt in eadem. *Tiberis* etiam Romæ per murum intravit, & inundatione tali perierunt innumera bestia; quæ, aqua recedente putrefactæ, aërem infecerunt: cum quibus & draco subintravit, pestilentiam cau-santes, qua & *Papa Pelagius* decessit. Versus:

*Tiberius cum Pelagio nunc Præsule sedit;  
Cæsar sex annis, undenis Papa quievit,  
Undenos menses Papa subjunge diesque,*

*Chronica Frecolphi* venerabilis Episcopi, quæ incipit: *Domino præceptori desideratissimo, &c. finitur in hoc Tiberio, hoc modo: Hic terminum censui meorum imponere librorum.*

**MAURITIUS** primus, Græcus & Cappadox, imperat annos XX. ab Augusto LIV. cujus anno secundo *Guntramnus* Rex Francorum, vir pacificus, thesaurum magnum invenit, quem usibus Ecclesiæ delegavit. Dormiens quippe vidit, se thesaurum reperire; & familiaris suus tunc vidit bestiolam os ejus egredi, & in montem quendam ingredi, & os Regis reingredi. Quo loco notato, thesaurum invenerunt. *Mauritius* iste *S. Gregorium* & alios bonos sæpe vexans injuste, tandem in se reversus cogitavit, quod Deus justus judex reddet unicuique juxta opera sua. Unde elemosynis multis datis & missis pauperibus & eremitis, rogavit, ut pro sceleribus ejus Deum exorarent. Cumque in hoc diu mansisset, fletibus & jejniis insilens, quadam nocte vocem audivit, dicentem: *Ubi vis, reddam tibi mala, quæ fecisti: Hic, an in futuro seculo?* Ille respondit: *Amator hominum Domine & judex juste, hic mihi potius quam in futuro retribuere.* Tunc & audivit: *Trade Mauritium, & uxorem ejus Constantiam, filios, & omnem substantiam ejus, Foca militi.* Nuntius quoque missus ad Eremitas, responsum hoc adduxit: *Deus receptæ penitentia tua salvabit animam tuam, & in numero Sanctorum constituet. Ab imperio vero cum ignominia & discrimine discedes.*

**GREGORIUS I.** Doctor sanctus, sedit annos VIII. menses VI. dies X. Iste misit ser-vos

(m) Alibi legitur, quod de Suevis occisi fuerunt ad CCCCM, & sic cæteris fugientibus, Saxones terram suam recuperavit. A. MS. C. (n) ejusmodi C. G.



vos Dei, *Augustinum, Mellitum, Johannem & alios ferme XL. in Angliam, Saxonibus prædicare verbum Dei.* Iste autem *Augustinus*, primus Archiepiscopus Anglorum Saxonum, interrogavit scripto B. Gregorium: *quantæ debeant fieri partes de iis, quæ fidelium oblationibus accedunt altario? Papa rescripsit: de omni stipendio altaris quatuor fieri debent portiones; una scilicet Episcopo vel presbytero & sua familia propter hospitalitatem, alia clero, tertia pauperibus, quarta reparandis Ecclesiis.* Addens in eodem scripto; *fana idolorum destrui non debere, sed quæ in iis sunt idola, destruantur: aqua benedicta fana conspergantur, altaria construantur, reliquæ ponantur.* *Gregorius à cunctis Papa electus, cum ordinasset sepiusformem Letaniam, intra unius horæ spatium LXXX. spiritum homines exhalabant.* Erat autem sic Letania disposita; *quod in primo choro fuit omnis clerus secularis, in secundo religiosi, in tertio infantes & pueri masculi, in quarto puella, in quinto laici, in sexto vidua cum beginis, in septimo conjugatae.* Idem Gregorius, sed ante ejus papatum, dum paganorum filii Romæ venderentur, interrogans, *cujus patriæ ac nationis essent; audito, quod de Anglia, cujus tunc Rex Australium Saxonum Elli dicebatur, dixit: Bene quidem Elli, quia Alleluja cantabitur ibi. Et merito dicuntur Angli, quia vultu nitent sicut Angeli. Oportet illis iter salutis ostendi.* Et sic per se ivisset, nisi à suis detentus fuisset. Istum autem Regem Elli secutus est *Edelbrecht*; *cujus tempore fuit Edelfrid Rex Nordenhumborum, qui cunctos hostes, etiam (o) Godam Regem Scotorum fugavit, & exercitum ejus extinxit.* Prædictus autem Augustinus, primus Archiepiscopus Anglorum Saxonum, ordinavit duos Episcopos, *Mellitum* provinciæ Orientalium Saxonum, quorum metropolis est *Landonia* civitas: sicque (p) illi in Anglia receperunt fidem Christi: *Justum* autem ordinavit Episcopum in *Cania*. Circa illud tempus Rex *Wifegottorum Hirminbildus* nomine, pro fide Christiana occiditur à proprio patre; cui succedit *Rotbardus*, terminos Romanorum inquietans. Qui tamen synodo convocata LXII. Episcoporum apud *Toletum*, *Arriana* hæresi abjurata, se cum tota gente *Wifegottorum* confirmavit in fide Catholica, ut dicitur in *Speculo Hist.* lib. XXII. cap. ult. *Agylulfus* etiam, *Longobardorum* Rex, convertitur ad fidem per S. Gregorium, die Sanctorum *Gervasii & Prothasii*, & facta est pax Ecclesiæ. Ideo *Gregorius* ordinavit tunc officium *Misæ*: *Loquitur Dominus pacem.* Uxor illius dicta *Theudelinda* Christianissima fuit, cui *Gregorius* libros *Dialogorum* transmisit, (sicut & *Brunbilde* Reginæ *Francorum* libros misit, ut patet in registro c. 271.) *Rotheus*, Rex *Longobardorum Arrianus*, sepultus est in Ecclesia S. *Johannis Baptistæ*; *cujus sepulcrum quidam aperiens, ornamenta quæsit.* Cui S. *Johannes* apparens dixit: *Quia spoliasti hominem mihi commissum, Ecclesiam meam à modo non intrabis; quod & factum est.* Nam quoties eam voluit intrare, subito, quasi aliquis eum cultro feriret, retrocessit. *Antiochia* civitas subversa est divinitus pro medietate. Tunc quidam devotus vidit in aëre juvenem sudarium excutere super medietate civitatis, quæ statim subversa est, rogatuque duorum similiter astantium pepercit alteri medietati. In *Speculo hist.* lib. XXIV. cap. I. & H. *Maurus* discipulus S. *Benedicti* claruit. *Leodigarius* *Antiodorensis* Episcopus & martyr similiter claruit. *Tunica Domini* reperitur in *Jerusalem*. *Goar* sanctus, veniens ex *Aquitania*, claruit in *Gallia* in diocesi *Treverensi*. Hic in cella quadam pauperibus & peregrinis subserviens, accusatus est Episcopo *Treverensi*. Quo vocato & comparente, puer recenter inventus, præsentatus est. Tunc inquit Episcopus: *In hoc sciemus, an à Deo sint, quæ Goar operatur, si patrem illius edixerit; addens: Adjuro te, & præcipio tibi per veram obedientiam, ut illius infans genitorem nobis innotescat.* Tunc vir Dei suspirans lacrymas fudit, admirans, cur Pontifex tam ineptam obedientiam præcepisset. Cumque Pontifex persisteret, fundens *Goar* orationem, ait: *Trinitas sancta, de invoco; atque te, infans, in nomine S. Trinitatis adjuro, ut genitorem tuum denuncies.* Ait infans, tunc trium dierum: *Iste Rusticus Episcopus est pater meus: sic enim vocabatur Episcopus.* Quo audito Episcopus cecidit ad pedes *Goaris*, omnia confessus pœnitentiam suscipiendo; pro quo tunc idem *Goar* pœnitentiam egit septem annis, & Episcopus in Ecclesia B. *Mariæ*, ad latus martyris septem annis inclusus, pœnitentiam gravem egit, ut scribitur in *Chronica Treverensi*, & in *Spec. Hist.* lib. XXIII. cap. XV. Cum à quibusdam nautis quidam pauper peteret elemosynam, nec acciperet, dicente nauclero: *Nihil habeo præter lapides;* subito, quicquid erat manducabile in navi, conversum est in lapides, colore cum forma permanente. H. Inclusus quidam Sanctus in *Syria*, nomine *Babeira*, audivit divinitus, ad suum locum quendam venturum, per quem Ecclesia, quæ tunc ibi floruit, super modum gravaretur. Non diu post mercator quidam puerum elegantem, quem emerat, sancto viro tali commisit erudiendum. Quem vir accipiens, (q) scripturam docuit & fidem. Crevit puer, mercator moritur; & uxor ejus servum repostulat, quem post elegit in virum. Mutatus servus in dominum, & incrassatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à bonis doctrinis sancti viri. Quem postea quidam monachus apostata, *Sergius* nominatus, multipliciter decepit, & per columbas de aure ejus & taurum de sinu comedentem, ad tantum honorem promovit, ut tota quasi *Asia* adhuc hodie eum reputet ut Deum & Prophetam magnum. Hic est ille

MACHO-

(o) Gadan. C.

(p) suis quo tales receperunt C. G.

(q) scientiam C.



MACHOMET perversissimus, cujus sepulchrum virtute lapidum pendet in aëre, quod sui reputant virtute divina provenisse. Gregorius sanctus obiit: cujus libros dum Cardinales vellent comburere, obstitit Diaconus ejus *Petrus*, prodens, se Spiritum S. in specie columbæ super caput ejus saepe vidisse, ex cujus ore omnia dictasset. Idque confirmans statim mortuus est ex conducto, fidem faciens testimonio. H. Versus:

*Mauritii tempus viginti perficit annos,  
Insuper annus erit recto numero munerandus;  
Sub quo Gregorii vita beata venit.  
Tresque decemque simul regis annis pontificatum,  
Annis sex menses jungo, decemque dies.*

Fames gravis Romam afflixit.

**F**OCAS imperat annos VIII. Iste occidit *Mauritium* cum quinque filiis & uxore; cujus anno secundo Gregorius migravit. Romani tunc graviter affliguntur à Persis. *Cosdras* enim Rex Persarum multas provincias destruxit: *Jerusalem* cepit, & sanctam crucem abstulit, ecclesias profanando. Tunc *Zacharias* Patriarcha Hierosolymitanus cum XC. millibus viris captivatur & perimitur, & *S. Anastasius* Persa monachus cum aliis LXX. nobile passus est martyrium.

SABINIANUS Romanus, sedit quasi duos annos. Hunc sanctus Gregorius per visum ter monuit, & quarto percussit; & quia corrigi noluit, exspiravit. Detraxit enim Gregorio & eleemosynas non dedit pauperibus, ut ille.

BONIFACIUS III. (r) sedit VIII. menses cum XX. diebus. Ipse obtinuit à Foca, ut *Ecclesia S. Petri Romæ* diceretur caput *Ecclesiarum*, & *Roma* caput regni. Nam antea Constantinopolis erat talis propter sedem regni.

BONIFACIUS IV. sedit annos III. menses VIII. dies XXV. fuit de *Marchia*. Impe-  
travit *Pantheon* à Foca, ut diceretur *Ecclesia B. Virginis ad Martyres*. Versus:

*Octo sedens annis Focas tenet imperium;  
Tunc Sabinianus praeclarus Papa vocatur,  
Anni solius cui modo vita fuit.  
Tertius est Papa Bonifacius ille benignus.  
Octo capit menses vita Bonifacius iste,  
Bisque decem numerando dies pro tempore fuisse.  
Quartus cum Foca Bonifacius iste vocatur. (s)  
Annos tres, octo menses, cui vita paratur,  
Viginti quinque post superadde dies.  
Papa Deus dedit cum Foca Cesare sedit.*

DEUS DEDIT Romanus, ex patre Stephano Diacono, leprosum mundavit, ipsum osculando. Sedit annos III. dies XX. De hoc Papa LX. dist. Orosius.

HERACLIUS, occidens Focam, imperat annis (t) XXXI, ab Adam anno 5823, ut dicit Isidorus in fine V. Etym. Heraclius habuit fratrem, cujus nomen *Narcissus* erat; cujus uxor Elizabeth peperit in Senectute duos filios, quorum nomina sunt, *Tidericus albus* & *Tidericus niger*. Hic Heraclius imperii sui anno secundo genuit filium *Heraclium Constantinum* ex *Eudoxia*. Qua mortua, ex filia sororis suæ *Martina* incestuose genuit *Hemecleonam*. Heraclius iste pugnavit contra *Cosdras*, quem vicit, & S. Crucem reduxit in *Jerusalem*; de qua materia legitur in exaltatione S. Crucis in passionali. Heraclius iste anno regni sui XXIX. vidit in somnis imperium à circumcisifis graviter vastandum. Jussit ergo baptisari ubique Judæos, quos potuit; nolentes occidit. Tunc autem inter Romanos & Sarracenos bellum oritur implacabile. Quidam enim Spado, miles Heraclii, dum togas militibus distribueret, venientibus Sarracenis commilitantibus, indignanter ait: *Vix sufficit Imperator dare suis militibus, quanto minus canibus istis*. Illi dolore & pudore incitati, totam Sarracenorum gentem incitant rebellare, & sic maxima multitudo circumcisiforum irruit in provincias Romanorum, regnum ubique devastando. Regnum itaque Persarum suæ subdunt ditioni; Syriam, Palæstinam & Egyptum devastant; ex Africa captivos abducunt ad L. millia. Contra duos dum Heraclius dimicat, CL. millia perdidit; quorum spolia remissa renuens, vindictam quæsit, & CL. millia armata, auro pretioque conducta, in prælium misit. Cumque in crastinum essent præliaturi: ipsa nocte angelus Domini percussit de exercitu Heraclii LII. millia: cujus causam dicit *Pantheon*, quia Heraclius à Sergio Patriarcha

(r) Romanus. Manufer. Crucianum, fibus MS. Cr.

(s) notatur. Cr.

(t) XXX. MS. C. XXXII. cum aliquot men-



triarcha seductus, qui & Machomet docuit, in hæresin Eutycianam cadens, de portis Caspiis fevissimos homines, quos Alexander M. incluserat, eduxit, & secum habuit in bello. Videns igitur Heraclius, se nequaquam posse resistere, mæore correptus, hydropticus factus obiit. Ecce qualiter Dominus sæpe punit etiam bonos de se præfumentes, & non de divino adjutorio; & præcipue propter malorum favorem, quos hic admisit. Tunc etiam Sarraceni capta Rhodo ex uno ejus templo DCCCC. camelos onerabat ære, civitatem destruentes. Hoc tempore regnabat in Francia LOTHARIUS; quo mortuo anno Heraclii XX, cœpit regnare magnus DAGOBERTUS & regnat (\*) annos XIV. Construxit solemnne monasterium ordinis S. Benedicti ad S. Petrum *Erfordia*, delecto prius ibidem castro, quod more gentilium *Mervingen* (y) vocabatur. Idem Rex construxit in Suevia monasterium, ubi cernitur scriptum (z) aureis literis:

*Rex accusoribus Dagoberte, sed & cruciaris:  
Solveris, ut votum spondes, complēs quoque totum.  
Nunc quia vertisti, te sumsi gratia Christi,  
Propter donata verum dans regna beata.*

Item.

*Roma Francorum Dagobertus Rex dominorum  
Pollicitus votum Christo, quod compleo totum,  
Accipias donum, Petre, et facioque patronum.*

Iste Dagobertus habuit puerum, (a) qui cum benediceretur à S. Amando, XL. dierum existens, respondit *Amen*: qui puer dictus est SIGHEBERTUS. Idem Dagobertus, Saxones perdomuit, & Slavos virilis sexus, qui gladii sui mensuram excederent, occidit: & tandem Saxonibus pacatis, eorum auxilio Slavis tributum indixit D. vaccarum annuatim. Idem Dagobertus legitur per S. Dionysium, quem specialiter dilexit & honoravit, post mortem pœnis liberatus. (*Grymoaldus* Rex Lumbardorum. *Fleubothoratus* cum post IX. dies columbam sagittare vellet, una vena brachii rupta mortuus est.) Circa hoc tempus claruit S. Columbanus, Abbas monachorum *Deicolus* discipulus ejus. S. Gallus, qui cœpit incolere solitudinem prope Constantiam ad IV. milliaria; quæ nunc dicitur civitas S. Galli, ubi requiescit cum multis sanctis. *Lupus* Senonensis Episcopus. *Isidorus*, Episcopus Hispalensis, composuit librum Etymologiarum, Chronicam & alia. *Heraclius* Cosdram Regem Persarum occidendo, & filium baptifando, crucem Domini reduxit in Ierusalem. Celebritatem *Exaltationis* dedicavit.

BONIFACIUS V. Campanus, fedit annos V. dies XIII. Hic dicitur esse LXVII. Paparum in *Speculo Histor.* lib. XXIV. cap. XIII.

HONORIUS primus, Campanus, fedit annos XIII. (b) menses XI. dies X. Clerum solemniter & salubriter erudit, ac super eleemosynas, quas quotidie larga manu pauperibus erogavit, Ecclesias multas decoravit; præcipue S. Petri & S. Agnetis Romæ, ubi requiescit.

SEVERINUS Sanctus Romanus, fedit anno I. menses IV. dies XXIV. (c) Tunc flourerunt SS. *Sulpitius*, *Austregisilus* & *Salabriga*. Item Tres sancti fratres, *Ado*, *Rado* & *Dado*, Idem S. *Aurea* Abbatissa.

638. JOHANNES IV. de Dalmatia, fedit annos VII. m. IX. d. XVIII. Captivos redemit cum thesauris Ecclesie. Hic quidam scribunt Benedictum Papam, alii Iulium annos V. feditisse. Circa hoc tempus Rex quidam *Avarum* cum ingenti multitudine Italiam ingressus est; cui quædam nobilis, *Romilda* nomine, mandavit per nuntium, *Forum julii* civitatem se sibi tradituram, si in conjugium eam acciperet. Quod cum Rex barbarus promississet, illa portas aperiens, hostes introduxit. Qui diripientes universa, captivos abduxerunt, urbem igne confumentes. *Romildam* quoque Rex una tantum nocte secum habens, propter juramentum; deinde eam XII. Avaribus tradidit ad ludibrium, & postmodum eam palo inferi præcepit, dicens: *Talem te dignum est habere maritum*. Circa tempus illud in Anglia Saxones occidentales receperunt odem, prædicante eis verbum Dei S. *Brino* Episcopo, quem Papa Honorius illac misit. (d) Tunc & *Arnolpinus*; Major Domus Francorum, genuit tres filios, de quibus supra. Cujus uxor S. *Vda* genuit S. *Gerdrudem*, cum qua, instinctu S. *Amandi*,

(\*) & regnavit annis 30. Regnum Francorum tunc erat ab Hispania usque Pannoniam, dicit *Pantbeon*, habens Aquitaniam ab occidente, Bavariam sive Franconiam ab oriente. Cr. (y) *Merning* Cr. (z) in cujus porta sic sculptum. Cr. (a) Natus ei erat puer, Cr. (b) XII. Cr. (c) duobus annis. Cr. (d) Unus nomine *Ansbertus*, nobilis Franco de uxore nomine *Blidith* genuit tres filios & unam filiam. Primus filius dictus est *Arnoldus* pater S. *Arnolfi*; secundus *Ferriolus*, qui factus Episcopus, Martyrio coronatur; tertius *Modericus* similiter Episcopus. Filia vero, nomine *Tarficia*, Virgo Sancta, fertur mortua mortuum suscitasse, sicut *Heliseus*. Uxor autem *Arnolfi*, nomine *Ida*, genuit &c. MS. Cr.



di, monasterium fundans Treveris, inclusa Christo servivit; & *Arnolfus* factus Episcopus Metensis, & ex episcopo solitarius, obiit anno Heraclii XXVIII. cui *Clodulfus* filius ejus successit in Episcopatu. *Franci* Lombardiam intrantes, pene debebantur. *Grimaldus* enim Rex Lombardorum, fugam simulans cum suis, tentoria vacua quidem hominibus, sed plena bonis & maxime vino relinquens: cum *Franci*, putantes eos fugisse, ad tentoria venirent, cibo repleti, potuque inebriati, dormientes occiduntur. Versus:

*Heraclius stat magnificus, diademate summus,  
Gothorum Rex mirificus regnat Sigimundus.  
Imperat Heraclius annis quasi ter duodenis.  
Temporis Heraclii succedit Papa Severus,  
Fertque duos annos ipse, duosque dies.  
Præsul Honorius est ipso cum Casare magnus.  
Ipse duodenos in vita perficit annos.*

Anno DCXXXIX. Ierusalem fuit capta per *Humarum*, discipulum & socium perfidi *Machometis*, & eam tenuerunt CCCCXL. annis usque ad tempus *Petri Eremitæ*, quando capta fuit à nostris, scilicet anno Domini MXCIX. Nostri vero tenuerunt eam annis tantum LXXXIIX. quibus elapsis, iterum à *Saracenis* capta est, scilicet anno Domini MLXXXVII. usque hodie.

**C**ONSTANTINUS III. dictus *Heraclius*, filius *Heraclii*, LXII. ab *Augusto*, quarto mense sui imperii, fraude novercæ suæ *Martinæ* necatur veneno, regnante adhuc in *Francia* *Dagoberto*. Ipsa autem *Martina* cum filio suo *Heracleona* regnum arripiens, per duos annos imperavit. Tuncque mutilatis naribus filii & matris, linguaque præscisa, *Constans* *Constantini*, *Heraclii* filii filius, illos misit in exilium, & regnavit pro illis. Versus:

*Tertius accedit Caesar Constantinianus,  
Papæque Romanus residet nunc Vitalianus.  
OÛto tulit Caesar pro vita temporis annos;  
Papæ quater denos annos ratione notando,  
Et menses septem vixit & oÛto dies.  
Papæ Deodatus sub eodem tempore vixit,  
Annis bis binis & bino mense resedit.*

*&c. Pantb.*

644. **C**ONSTANS, filius *Constantini*, nepos *Heraclii*, imperat annis XIX. LVIII. ab *Augusto*, dictus *Constantinus quartus*. Cadens in hæresin, quam avus suus habuit, multa mala fecit Ecclesiæ. *S. Martinum* Papam misit in exilium; ubi signis clarens migravit ad Dominum. Sub *Vitaliano* tamen hæresin abdicavit, anno illius undecimo. Gens *Bulgarorum* primo venit in *Thraciam*, contra quos *Romani* pugnantes victi sunt, & Imperator vi coactus, pacem fecit cum eis; & cui alii tributa solvere consueverunt, ipse factus est tributarius. Istitis etiam temporibus corpus *S. Benedicti* Abbatis, cum corpore *S. S. balsica*, de *Italia* translatum est in *Galliam*. Anno *Constantis* XI. cinis de cælo descendit, & secuta est pestilentia gravissima, multis visibiliter cernentibus, bonum angelum cum malo noctibus civitates circumire, præcipue *Ticinum*: & quotiens iussu boni angeli malus percussit ostium cum sagitta, tot ex eadem domo sequenti die interibant. Tunc cuidam bono homini per visionem dictum est, quod illa mortalitas non cessaret, nisi, in Vincula *S. Petri*, dedicaretur altare in honorem *S. Sebastiani* martyris; quo facto mortalitas cessavit. *OSWALDUS* sanctus Rex *Angolorum*, occiditur à *Britannis*, anno ætatis suæ XXXIII. postquam regnavit annos IX. Locus certaminis, ubi crucem fixit, dicitur *Anglicè* *Hævenvelt*, i. e. *caelestis campus*. Post cujus mortem *Sichbrecht*, vir bonus, regnum cognato relinquens, monasterium quod fecerat, intravit, pro æterno regno militaturus. Dum autem pagani terram invaderent, rogabatur exire & pugnare: & nolens, tandem invitus extractus, ad certamen educitur. Credebant enim milites trepidare minus, si Regem fortissimum secum haberent. Sicque extractus, occisus est cum illis à paganis. Cui successit Rex *Ana*, vir optimus, similiter à paganis interemtus. Tunc in civitate *Pangor* (e) *Britanniæ* tot erant monachi, ut cum in septem portiones monasterium foret divisum, nulla portio minus quam CCC. monachos haberet: qui omnes de labore manuum vivebant; sed quia vicinis paganis fidem non communicabant, Deo permittente, uno die MCC. eorum perimuntur, ut refert *Beda* in gestis *Anglorum*. Circa hoc tempus etiam *S. Iodochus*, filius Regis *Britanniæ*, regno & mundo derelictis, eremita factus, in pago *Pontino* requiescit in Christo. (*Maximus* Abbas vir sapientissimus, lingua manuque truncatur à *Constante*; qui etiam duos

Rrrrr 3

*Anasta-*

(e) Al. Bongar.



*Anastasios*, discipulos Abbatis prædicti, tradidit exilio, & multos orthodoxorum verberibus & exiliis damnavit. Ideoque factus omnibus odiosus, à seruo suo *Andra* occisus est in balneo.) *Honorius*.

645. THEODORICUS (f) Græcus, ex patre Theodoro Episcopo, sedit annos VII. m. VI. Constituit benedictionem cerei sabbatho sancto, & composuit *librum penitentialem*. *Furseus* Sanctus de Hibernia & Scotus, punitus est in purgatorio, quia rogatus à quodam usurario, cepit & portavit vestem, quam ipsi dederat propter Deum. Penitent igitur usurarii, elemosynas eorum Deo non placere.

MARTINUS I. sanctus, de civitate Tudertina provincie Tusciae, sedit annos VI. m. I. d. XXVI. obiit in exilio. Hunc, dum quidam vellet occidere in missa, excæcatus est malefactor.

EUGENIUS I. Romanus, sedit annos III. m. IX. d. XXII. Benignus fuit & omnibus amabilis. Sub hoc quidam dictus, *Deus dedit* factus est Archiepiscopus Anglorum, natus de genere Saxonum Occidentalium. Post quem venit *Damianus*, de gente Australium Saxonum oriundus. Hoc tempore *Middiengli*, i. e. mediterranei (g) Angli, fidem perceperunt, sub Principe *Penda*, ecclesias fundantes in civitate, lingua eorum *Tileborg. Beda*.

VITALIANUS provincie Campanicae, sedit annos XV. m. VI. d. III. Iste direxit *Theodorum*, virum sapientissimum, in Episcopum Anglorum, & scripsit sic Regi Anglorum: *Domino excellentissimo, filio suo Osuvino, Regi Saxonum, Vitalianus Episcopus, servus servorum Dei &c. Benedicte gens, qua talem sapientissimum & Dei cultorem meruit habere Regem Beda*. Sub isto Papa *Synodus Constantinopoli* celebratur contra *Georgium* Patriarcham, ibique confirmatum est, beatam virginem *Theotocon* appellari, de quo in Decreto XVI. Dist. *Habeo librum*. *Clodoveus* Rex Francorum, postquam (h) XVI. annos regnavit, quia corporis S. Dionysii minus religiose tractavit, versus in amentiam, obiit anno XIX. Constantis. Cui succedit filius *Clotarius* quatuor annis. Abhinc, Regibus Francorum à solita fortitudine & sapientia degenerantibus, regni potentia disponebatur per *Majores domus*, regibus solo nomine regnantibus. Hujus *Clotarii* mater fuit (i) *Ratbildis* de claro genere Saxonum, de transmarinis partibus deprædata. Quia fuit aspectu decora, prudens & pudica, facta est uxor *Clodovei*, filii *Dogoberti*. Hæc regina pestem *Simoniacam* extirpavit à Francia; *Corbeiam* antiquam Ambianensem construxit in Francia Occidentali, cum multis Ecclesiis; captivosque redemit. Tandem facta monialis in monasterio *Cala*, quod ipsa construxit in pago Parisiaco, dormivit in Domino. Spec. Histor. lib. 24. cap. 116. *Clotarius Brunildam* aviam suam, propter multa maleficia equorum caudis religatam, jussit occidi. Ipsa enim filios & nepotes veneno procuravit occidi. Frater etiam ejus *Hilpertus* (k) *Golmildam*, sororem *Brunildæ* & uxorem suam, strangulavit. *S. Audomarus* Episcopus, præ senio factus cæcus, cum corpus *S. Vedasti* transfertur, illuminatur. Quod ægre ferens, reputans secum, cæcitatem pro salute immisissam, ideo oravit Deum, & rursus excæcatur. H. Sanctus *Eligius* (l) obiit. Episcopus fuit *Novionensis*. Floruit tunc & Sanctus *Lobannes Eleemosynarius*, Episcopus Alexandrinus.

670. CONSTANTINUS quintus, dictus Theodosius junior, filius Constantis, Catholicus, Cimperat annis XVII. cum duobus filiis suis *Heraclio & Tiberio*. Hic usus sapientum consilio, pacem firmissimam fecit cum *Avaribus & Bulgaris*, nec non cum *Saracenis*: à quibus Africam liberatam, Romano imperio restituit. Pax taliter firmata est, ut *Saraceni* Romanis auri libras, tria millia virorum captivos restituerent, & equos nobiles L. solverent annuatim. Spec. Histor. lib. 24. cap. 193. Tunc & conjunx Regis Persarum, nominata *Casaria*, propter amorem Christi venit Constantinopolim baptisari, ab Augusta de sacro fonte levata. Quod vir ejus audiens, legatos Imperatori direxit, ut ei redderet uxorem. Quibus illa dixit: *Ite, renunciate Domino vestro, nisi in Christum credat, sicut ego, consortem thori me ultra non habebit*. Quod dum legati Domino retulissent, mox ille cum LX. millibus virorum pacifice venit; & cum universis baptisatus, accepta conjugè lætus in patriam suam rediit. *Honorius Anchesius*, filius B. Arnolfi, fit Dux & Major Domus Francorum; quorum tunc *Capitolium* fuit Colonia, ubi nunc est Ecclesia S. Mariæ; à qua domo *Majores domus* dicebantur. (Similiter in Treveri fuit palatium eorum, à quo *Palatini* dicebantur;) quod nomen adhuc retinet *Elector Imperii Rheni*.

675. ADEODATUS (m) Romanus, sedit annos (n) VI. menses II. dies V. Translatio corporis S. *Benedicti & S. Scholasticae*, de monte Cassino fit ad cænobium Floriacense.

680. DOMPNIUS Romanus, sedit annos II. menses V. dies X. Tunc floruit S. *Lampertus*, Episcopus Tungerensis & Trajectensis. (Iste natus ex parentibus præclaris Trajectensis urbis, literis sacris eruditus, Theodardo ejusdem Urbis Episcopo traditur amplius instituendus: quo ab impiis occiso, Lampertus voce omnium successit in Episcopatu, annuente *Hilderico* Rege. Quo & Rege interfecto, Lampertus à filiis inquietatus, à sede sua ejicitur,

(f) Theodorus C. (g) Medii Anglici C. (h) XVII. MS. C. (i) Bathildis C. (k) Golmidam C. (l) Eligius C. G. (m) Deodatus. C. G. (n) IV. Conr. V. Cruc.



ejicitur, & loco ejus quidam Faramundus substituitur; tandemque Lampertus,) quia *Pipinum* increpavit de adulterio, à Regina martyrisatur. *S. Projectus* Episcopus. *S. Leodegarius* pro Christo decollatur. *S. Edeldrud*, filia Regis Anglorum, fit (o) martyr ex regina. Tribus viris nupta, virgo permansit; cujus merita testata est caro ejus mortua, quæ post sedecim annos inventa est incorrupta. Honor. & spec. Hist. lib. 24. cap. 124. Circa illa tempora, in Angliâ Australium Saxonum, nulla pluvia cecidit in tribus annis. Supervenit *Wilfridus* Episcopus; prædicat ibi fidem, convertit Regem, (cujus nomen erat *Edelvalck*) cum uxore *Epha*, & tota terra: statimque divinitus, die, quo gens baptifatur, pluvia serena & copiosa descendit. Versus:

*Restoruit terra, rediit viridantibus arvis*  
*Annus latus &c.*

Fuerat tunc ibidem tanta fames, ut sæpius XL. vel L. homines inedia macerati, se præcipitarent in mare. Piscari ante eum nesciebant. Docuit ergo etiam Episcopus iste artem piscandi. Mutuatis ergo retibus aliunde, ceperunt divinâ gratiâ prima vice CCC. magnos pisces, quorum C. dederunt pauperibus, C. illis à quibus retia petierant, & C. alios, in usus suos habebant. Quo beneficio Antistes cor omnium in sui convertit amorem. Dedit tunc Rex Episcopo locum, ubi monasterium instituit vitæ regularis. (In tali etiam fame & peste puer quidam Monachus infirmatus, vidit in visione duos, dicentes se Petrum & Paulum, præcipientes sic: Dic Episcopo & fratribus, hac clade neminem amplius præter te transiturum, meritis *S. Oswaldi*. Puer revelavit, pestis cessavit, & ipse ad cœlestia prope-ravit.) Circa idem tempus terræ motus magnus fuit, & cometes apparuit tribus mensibus, & pestilentia in *Mesopotamia & Syria* præcipuè. (Tunc & claruit Sancta *Pham* Virgo in Francia, cujus sanctitatem imitatus frater ejus *Pharo*; ex comite Clericus, ex Clerico factus est *Meldenium* Episcopus. Spec. Hist. lib. 24. cap. 15.)

**AGATHON** Siculus, sedit annos V. m. VI. d. IV. Leprosum sanavit, LXIII. dist. Agathon. Ipse constituit, ut distinctus sit habitus virorum & mulierum in vestibus & crinibus. Decoravit locum ante Ecclesiam *S. Petri Romæ*, qui dicitur *Paradisus*. Apud Constantinopolin, *Gregorius* Patriarcha, *Macharius*, *Pyrrhus*, *Petrus & Paulus* excitaverunt hæresin, separantes in Christo divinitatem & humanitatem, propter quod Constantinus fecit congregari CL. Episcopos, inter quos erant duo legati domini Agathonis Papæ, *Iohannes Diaconus & Iohannes Portuensis* Episcopus, factoque concilio, damnaverunt hæresin. Eadem hora tantæ telæ aranearum in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur; significantes hæresin extinctam. Hæc est *sexta synodus universalis*, id est, quam mundus universus tenet.

**LEO II.** Siculus sedit menses X. dies XVII. Instituit pacem post *Agnus Dei* De Consecr. Dist. 2. *Pacem*. Eloquentissimus fuit, Græca Latinaque lingua eruditus. Constituit, ut Archiepiscopi nihil dent pro pallio. Fecit sermones multas. Ejus festum celebratur in vigilia Petri & Pauli.

**BENEDICTUS II.** Romanus, sedit menses X. d. XII. Cujus vita nomini concordavit, ut merito Benedictus nominetur. Positus est ab imperatore *Papix*. Multas Ecclesias Romæ reparavit, sepultus apud *S. Petrum*.

**JOHANNES V.** Syrus, sedit annos II. dies VII.

**CONON** Romanus, sedit menses XI. Fuit sanctæ vitæ, sepultus apud *S. Petrum*.

**IUSTINIANUS II.** five Junior, bonus, largus, filius Constantini, imperat annos X. Leges condidit. Hunc regno pepulit *Leo Leontius* sequens, eumque naso privans, in exilium *Cersonæe* relegavit. Postea tamen auxilio Regis *Bulgarorum* restitutus, (Leonem cum innumerabili multitudine fecit decollari, regnans adhuc sex annis. Sed ante eum *Tiberius*, dicitur *Abfimarus*, regnavit 7. annis.) **PIPINUS** primus, filius *ANSGHISI*, & nepos *S. Arnolphi*, cognomento *Grossus*, Dux Francorum Orientalium, & Major Domus, administrat regnum eorum XXVII. annis. Pantheon dicit, quod tempore Pipini surrexerunt 12. mortui Principes in præsentia capitis *S. Iohannis Baptistæ*. Versus:

*Fert Monachus caput hic Pipini tempore Regis,*  
*Ad loca forte venit, ubi sunt nova bella patrata:*  
*Occisi sunt namque sui proceres duodeni.*  
*Stante procul Monacho surgunt à morte necati,*  
*Et caput absconsum rapiunt dignè venerari,*  
*Clamantes magni caput esse insigne Iohannis,*  
*Qui tribuit nobis vitam de morte vocandis.*  
*Ædificant mox Ecclesiam pro nomine Christi.*

Decre-

(o) sicut mater virginum, C. G.



*Decretore Duces omnes inibi Monachari,  
Et sacrum caput hoc ibi perpetuo veneri.*

Anno Justiniani autem IIX. *Alachis* Dux Lombardorum, residens in Tridento, bellum movit contra Regem Italix. Contra quem quidam diaconus, dictus *Zeno*, sub specie Regis, regis armis indutus, cum exercitu Regis processit ad bellum: commissoque pralio *Alachis* vicit, & caput *Zenoni*, Regem eum existimans, amputavit. Capite vero galea spoliato, *Alachis* videns, se non Regem, sed solum clericum occidisse, quasi furibundus exclamans, inquit: *Heu me, nihil egimus, quando hoc pralium gessimus, ut clericum occideremus.* Tale igitur nunc votum facio, ut, si Deus mihi victoriam dederit, unum puteum implebo de testiculis clericorum. Sed pralio secundo commisso, *Alachis* occisus est (p) S. Martyres *Kilianus*, (q) *Totmanus* & (r) *Tolonatus*, Franciam Orientalem convertentes, martyrium patiuntur *Herbipoli*, à *Gheyla* uxore Ducis *Ghesberti*, clam occisi. Floruit & S. *Willibrordus*, dictus etiam *Clemens*, Frisonum Episcopus; & S. (s) *Remaclus* Episcopus *Trajectensis* obiit. (Anno etiam Justiniani VII. *Ewaldi* duo fratres Saxones Angli passi pro Christo in *Westfalia*, *Coloniae* fuit sepulti. Unus dictus erat *albus Ewaldus*, alter *niger*.)

SERGIUS I. Syrus, sedit annos XII. m. IIX. dies XXIII. Constituit ter dici ad missam: *Agnus Dei*. Invenit capsam argenteam, in qua fuit magna portio *Dominici* ligni, Domino revelante, spec. Hist. lib. 24. cap. 127. *Tedualt* Rex Occidentalium Saxonum in Anglia, postquam genti suæ duobus annis strenuissime præfuerat, relicto imperio suo, propter Deum venit Romam baptifari: sperans, quia mox baptifatus ad regna transfiret æterna. Quod, ut mente disposuerat, Dominus complevit. Die enim S. Paschæ baptifatus, dum adhuc in albis esset, sabbatho carne solutus, beatorum est regno sociatus. Cui Papa *Sergius* nomen *Petri* imposuit, dum eum baptifavit. Qui mortuus, ibidem sepultus est apud S. Petrum, ubi sic scriptum legitur: *Hic depositus est Tedwald, qui & Petrus, Rex Saxonum sub die XII. Kalendarum Majorum, Indictione II. qui vixit annis XXX, Impenente Domino Justiniano piissimo Augusto anno ejus IV. pontificante Apostolico viro Sergio Papa anno II. Hæc Beda. De hoc est Epitaphium id, Versus:*

*Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,  
Exuvias, proles, mænia, castra, lares:  
Quaque patrum virtus, & qua congesterat ipse  
Tedwald armipotens, liquit amore Dei;  
Ut Petrum, sedemque Petri Rex cerneret hospes,  
(Cujus fonte miras sumeret almus aquas.)  
Barbaricam nubiem, nomen & inde suum,  
Conversus convertit ovans; Petrumque vocari  
Sergius antistes jussit, ut ipse pater.  
Mira fides Regis, clementia maxima Christi,  
(ss) (Candidus inter oves Christi sociabilis ibat;)  
Protinus albatum vexit in arce poli.  
(Mira fides Regis, Clementia maxima Christi,  
Cujus consilium nullus adire potest.  
Sospes enim veniens suprema ex urbe Britanni  
Per varias gentes, per freta, perque vias,  
Urbem Romuleam vidit, templumque verendum  
Aspexit Petri, mystica dona gerens.  
Corpore nam tumulum, mente superna tenet.  
Committasse magis sceptrorum insignia credas,  
Quem regnum Christi promeruisse vides.)*

LEO II. dictus *Leontius*, patricius *Justinianum* regno pellens, occupavit imperium tribus annis. Post quos, *Tiberius tertius* cognominatus *Abfimarus*, eidem *Leontio*, sicut ipse *Justiniano*, nasum abscidit, & in monasterium trufit, regnans quoque tres annos. Quod idem *Leo*, fretus auxilio *Turcorum*, graviter eis solvit. *Tydericus* Rex *Francorum Orientalium*, *Clotario* patre suo mortuo, regnat in *Francia* annis XV. *Judæus* quidam imaginem *Christi*, in domo sua repertam, flagellavit, unde sanguis exivit; & conversi sunt eorum multi. Hic quidam ponunt *LEONEM tertium* Papam Romanum sedisse II. annis, mensibus XI. Sed non ponitur in *Catalogo* *Paparam*, propter introitum ejus vitiosum.

JOHANNES VI. Græcus & martyr, eruditus scientia, & eloquentia facundus, sedit annos III. m. IX. Sub quo fuit *Synodus Aquilegensis*. Tunc Imperator *Justinianus* restitutus,

(p) *Historia de Angelo bono & malo*, quæ hic in *MStis* occurrit, extat jam tum sub *Constante*, *Heraclii* Nepote. (q) *Totmanus C.* (r) *f. Colonus.* (s) *Remaclus, C.* (ss) *versus hic deest in MS. Cruc.*



tus, regnat adhuc VI. annis. *Leontium* cum Tiberio, & innumerabili eorum multitudine, fecit decollari, & quoties ei nasus distillavit, fecit unum de adversariis occidi.

JOHANNES VII. Romanus sedit annos II. m. VII. d. XVII. Sub hoc duo Reges Anglorum *Burad* & *Offa* Orientalium Saxonum, facti sunt monachi Romæ, de quibus dicitur in *Glossa*, Cap. *Auditis*, De *Prescriptionibus*. Tunc in Francia regnat *Dagobereus minor*, sed solo nomine. Nam Majores domus omnia regebant. *Egidius Sanctus*, *Casarius Abbas*, & *Albinus*, Episcopus Andegavensis, clarent.

SICINIUS Romanus, sedit menses VI. d. XX. post quem venit quidam Syrus, dictus CONSTANTINUS, sedens annos VII. dies XVII. Sub quo quidam *Philippicus Pardanius*, adulter & hæreticus, occidit *Justinianum*, & imperium occupavit per annum & menses VI. *Picturas Ecclesiarum* fecit auferri: ideoque ANASTASIUS secundus, cognomento *Artemius*, eum excæcavit, & regno privavit, imperans annis (t) IV. Erat satis bonus Christianus; cujus tempore *Hamelen* in Saxonia condita est. Versus:

*Conditur in densis Ecclesia nunc Hamelensis,  
Septingentesimo annis Domini duodenis.*

Tunc quidem ad honorem *S. Romani*, sicut *S. Bonifacius* instituit: postea vero ad honorem ejusdem Bonifacii. Versus:

*Romanus pridem, pater hinc Bonifacius idem.  
Consecrat ad votum Karoli Leo Papaque totum.  
Bernhard, Christina, fundarunt ista petrina;  
Cæli regina, tribuas his gaudia trina.  
Quondam Fuldenses fuerant, modo sunt Hamelenses  
Brunswicenses, Mindenses despicientes.*

*Karolus primus* dictus *Martellus*, *Tudites*, natus ex concubina *Pipini*, *Ammenbertæ*, fit Major domus, annis XXVII. Iste (u) natus fuit in castro imperiali *Ingelohem* prope *Magunciam*, ubi *Karolus quartus* in memoriam istius, instituit Collegium *Canonicorum Regularium*.

GREGORIUS II. Syrus, sedit annos XV. m. IIX. d. XX. Ejus tempore *S. Othmarus* fit Abbas *Monachorum* apud *S. Gallum*; mortuus est in exilio, in insula *Steyn* prope *Constantiam*. Cujus dum corpus duceretur in navi per *Rhenum* & lacum, orta valida tempestate, lumen candelæ non exinguebatur in navi.

THEODOSIUS III. humilis & benignus, vi & invitus raptus ad imperium, imperavit anno uno. Deposuit *Anastasium*, & fecit eum monachum: depositus & ipse à *Leone* sequente, factus clericus, quievit in pace.

718. LEO TERTIUS Prætor, Syrus & malus, cum filio suo CONSTANTINO, imperat annis XXIV. (x) Versus:

*Cæsaris imperium nunc fertur adesse Leonis,  
Sedecies duobus annis fert lora decoris.*

Cujus anno tertio nascitur sibi filius *Constantinus* sequens; qui cum à *S. Germano* Episcopo baptifaretur, cacavit in fontem. Unde *Germanus* dixit spiritu prophetico: *Constat, maximi mali Christianis & Ecclesia per eum efficiendi, hoc signum esse futurum.* Illo tempore *Rabodus* Dux *Frisonum*, prædicatione *Wulframi* Episcopi inductus, ut baptifaretur, cum unum pedem haberet in lavacro, interrogavit: *Ubi plures majorum suorum essent, in inferno, an in celo?* Audiens autem, quod plures in inferno; intinctum pedem extrahens: *Rectius est, inquit, ut plures, quam pauciores sequar:* & ita ludificatus à dæmone, multos annos, & multa sibi dare promittente, tertia die periit. *Honorius*. Iste *S. Wulframus* obiit anno Domini DCCXX, in monasterio suo *Fontanella* XIII. Kal. Aprilis sepultus, ut dicitur in *spec. Histor. lib. 24.* Translatio facta est *S. Augustini* de *Ypona* civitate in *Papiam* per *Luitprandum* Regem. *Hordeum* & *legumina* de celo ceciderunt quasi pluvia, in *Campania Italia*. *Pestilentia* secuta est tanta, ut *Constantinopoli* perirent ad XXX. millia hominum, & *Romæ* ad CCC. millia. Versus:

*Cæsare*

(t) III. MS. Cr. (u) Confundit *Carolus Martellus* cum *Carolo Magno*; & hanc ob causam MS. *Cruc.* addit sequentia: (Iste *Karolus*, sicut omnes sequentes Imperatores, fuerunt *Teutonici*, sicut & Reges etiam *Francorum* eos præcedentes, habitantes in *Francia orientali*, quæ nunc dicitur *Franconia*) (x) XXVI. *Corr.* XVI. *Cruc.*



*Cesare Græcorum Diadema tenente Leone,  
Plaga venit Roma, pax deperit à regione:  
Gothica nam rabies prælia dira movet.  
Roma requirit opem; Leo non venit: inde Quirites  
A modo per Francos satagunt has tollere lites.  
Teutonici veniunt, Francica signantent.*

*Sarraceni* namque tribus annis Constantinopolim obsederunt, & inde recedentes, multa bona abstulerunt. Inde *Galliam* & *Italiam* vastabant. Propter quod Papæ subsidium petierunt ab Imperatore Constantinopoli; sed nullum subsidium consequentes, vocaverunt *Francos*; quorum *Karolus* primus, & filius ejus *Pippinus* subveniendo, Sarracenorum occiderunt uno prælio (y) CCCMDCCV. & in alio prælio non multo minus Gothorum & aliorum. Versus:

*Marte prius Gotbis procul à regione remotis,  
Gens venit Hunorum, tigurum contraria votis,  
Omnibus Italicis perniciofa locis.  
Papa coartatur, Leo Cesar ad ista rogatur;  
Spes ibi nulla datur. Rex Francorum rogatur.  
Sed neque Rex venit, cum foret umbra caput.  
Childricus tunc ignavus regnasse videtur:  
Pipinus Dux Francorum tunc regna regebat,  
Regis & officium plene sub Rege regebat.*

Circa hoc tempus *S. Odilia* regebat conventum ancillarum Dei in *Hogbenberg* i. e. alto monte, ad tria milliaria ab *Argentina* civitate; quem locum pater ejus *Adelricus*, Dux ibi, fundaverat. Ad quam devenit *S. Athala*, filia ducis *Adalberti*, provincie *Alzazix*, cum duobus ejus carnalibus sororibus, scilicet *Eugenia* & *Sindelinda*. *Athala* vero, licet invita, facta est *Abbatissa* cœnobii in civitate *Argentina*, quod pater ejus construxit, XXX. *Canonicarum* & (z) IV. *Canonicorum*: quibus XX. annis præfuit, LIV. anno suæ ætatis in Christo decedens.

**GREGORIUS III.** Romanus, fedit annos X. m. VIII. d. XXIV. congregavit synodum (a) DCCCIII. *Episcoporum*, confirmando imagines SS. & earum venerationem, quas Imperator *Leo* jussit comburi. *Cometæ* dux ferme duabus septimanis, & *Eclipsis* solis quasi universalis. *Festivitas* omnium *Sanctorum* instituitur. *Venerabilis Beda*, qui XXXVI. volumina edidit, obiit anno ejus LIX. in spec. *Histor.* Cur autem dicatur *venerabilis* *Beda*, & non *Sanctus*, ratio est: Dum ex senio cæcus per terras verbum Dei prædicaret, derisorie rogatus, ut prædicaret ibi, ubi nullus hominum erat; prædicavit, credens adesse populum. *Sermone* finito, dum concluderet; *per omnia secula seculorum*: lapides, vel *Angeli* per eos, responderunt: *Amen, venerabilis pater, bene dixisti.* Item post mortem ejus, dum quidam versum de eo sic vellet formare; *Hic sunt in fossa Sancti Bedæ ossa*: nec congrueret, nec aliter anxius inveniret: reperit angelicis manibus scriptum: *Hic sunt in fossa Bedæ venerabilis ossa.* Obiit autem anno Domini DCCXXXV. (b) De quo *T. Longus* de *Eimbeke*, fecit hos versus:

*Beda Deo gratus, venerabilis atque beatus,  
Hic Saxo natus fuit, est & canonizatus;  
Sed conversatus Anglis, & ibi tumultatus.*

Fuit enim natus in diœcesi *Hildeshemensi*, in villa *Dencke* juxta castrum *Asselborch* prope *Bruna* *svyk*. Idem dicit: *Bedam* Iudæi excœcaverunt, & illudentes, duxerunt eum ad eorum cœmeterium, dicentes: *ibi babes auditores sermonis Dei.* Qui prædicat, & sermone completo, Iudæi quidam mortui surrexerunt, dicentes: *O venerabilis Beda, tu bene dixisti, sed sermo tuus non prædest nobis.* Sicque Iudæi præfentes conversi sunt, & ipse oculis reillumina- tus.

735. **ZACHARIAS** Græcus, fedit annis X. m. (c) VIII. d. XV. Sub hoc Papa *S. BONIFACIUS* fit *Archiepiscopus* *Moguntinus*, dignitate *Wormatiensis* in *Maguntiam* translata; quæ tunc facta est caput & metropolis omnium *Ecclesiarum* in *Germania*. Prius autem *Episcopi* *Maguntini* fuerunt suffraganei (d) *Archiepiscoporum* *Coloniensis* & *Wormatiensis*. Fuerunt enim XVI. *Episcopi* ante *Bonifacium* *Maguntix*, sed omnes suffraganei *Archiepiscoporum* *Coloniensis* & *Wormatiensis*. Primus fuit *S. Crescentius*, discipulus *S. Pauli*, 2. *Marinus*. 3. *Rodardus*. 4. *Suffronius*. 5. (e) *Tudbarmus*. 6. (f) *Savirius* frater *S. (g) Justitix*. 7. *Maximus*. 8. *Sidonius*.  
9. *Sigo*

(y) CCCMDCC. MS. Cruc. (z) XXIV. MS. Conr. (a) 843. MS. Cr. (b) 737. Cr. (c) II. Cr. (d) *Archiepiscopi* *Wormatiensis* G. omisso *Coloniensi*. (e) *Rudharius*. Cr. (f) *Aureus*. Conr. & Cr. (g) *Justina*. Cr.



9. Sigomundus. 10. Leugasius. 11. Beselinus. 12. Landvaldus. 13. Laboaldus. 14. Rigbertus. 15. Geroldus. 16. (h) *Culwilinus*. Hoc tempore, cum *Pipinus Nanus* (i) Romanos liberasset ab hostibus, Franci scripserunt *Zachariae Papae*, quis potius Rex esset, an qui solum nomen Regis haberet, an qui rempublicam gubernaret? Rescripsit *Papa*, illum debere regnare, qui rempubl. gubernaret. Ideo *Pipinum* istum assumerunt in regem, *Childericum* ultimum Regem Francorum transfuratum in monasterium recludentes. Istum enim Franci, sicut & multos ante eum Reges, solo nomine pro Rege tenebant. Nam tempore regalis iudicii, tauris duobus adductus in biga de villula sua, ponebatur in cathedram; ubi ornatus ut Rex, mandavit & iudicavit, quae Majores domus & Principes regni disponebant. Quo finito reversus in locum suum, contentus fuit sibi deputatis. Hunc ergo *Pipinum* S. *Bonifacius* consecravit in Regem Francorum, anno nono *Constantini* sequentis. *Pipinus* igitur cum fratre suo *Karlmanno* regnum regens, tertium fratrem *Griphonem* pepulerunt. Indeque non diu post dictus *Karlmannus* dimittens terrenum regnum fit monachus, primo *Romae* constructo monasterio in monte *Soracte*. Deinde, ut notitiam suorum evadat, in monte *Cassino* laicus ignotus coquinae deputatur. A cocis saepe laesus & molestatus, dicere solebat: *Indulgeat tibi Deus & Karlmannus*. Cum autem diu nimis molestaretur, dixit comes Regis, qui secum intraverat: *Nec parcat tibi Deus nec Karlmannus, serve nequam*; pila percutiens eundem. Unde fratres occurrentes, ipsum custodiae tradunt, ut tanta praesumptio digne puniatur. Tunc Comes ille, Deo volente, Regem manifestat; qui per amplius venerabiliter tenebatur, Deo famulando. *Karolus* etiam pater illius *Pipini*, cum sibi subjugasset inter multas partes etiam illam partem Galliae, quam *Sequana* & *Ligeris* fluvii praeterfluunt, quae prius *Lutetia* à luti fetore nominabatur, & post *Gaudina*; eam ipse à seipso *Karlingam* nominavit, & terram à suis *Francigenam*, quasi de Francis genitos. Imo usque hodie dicitur: *Vado Karlingam*; i. e. *Parisiam*. Et, *sues Karlingus*, i. e. *Parisiensis*. Locus autem *Pariseus* dicitur: vel quia *par* *Isidi*, i. e. loco ubi *Isis* colebatur; vel à *Paride* filio *Priami*, qui dicebatur *Alexander Paris*. De illa *Karlinga* scribitur in *Spec. Hist.* lib. 30. cap. 38. Idem etiam *Karolus* dedit militibus decimas Ecclesiarum in phœdum, ut Ecclesiam melius defensarent, de consensu *Papae Zachariae*: pro quo tamen post mortem graviter legitur esse punitus. Ipse reliquit tres praefatos filios, scilicet *Pippinum*, *Karlmannum*, & *Griphonem*; quorum *Pippinus* primus Rex illius stirpis regnavit in Francia annos (k) XXVII. de quo plus infra. S. *Godehardus* nascitur, & *Karolus Magnus* filius *Pippini*: & S. *Germanus* Patriarcha *Constantinopolitanus* floret. Corpora SS. *Eobani* & *Adalarii*, sociorum S. *Bonifacii*, in monasterium B. *Virginis Erfordiae* sunt honorifice locata. (l) Translatio etiam S. *Mariae Magdalene* celebrata est à S. *Gerhardo*, Comite *Burgundiae*, in *Vercelliacum*. S. etiam *Burhardus* fit *Episcopus Herbipolensis*, & S. *Wipertus* obit, & S. *Vilbertus* Abbas. Ordo *Canonicorum*, secularium dominorum, cepit in *Teutonia*. *Petrus* (m) *Damiani*, & alter *Petrus*, in *Syria* martyrisantur.

CONSTANTINVS, filius Leonis, malus, dictus *Constantinus Sextus*, imperat annis (n) XXXIV. Dicitur tot martyrisasse, quot unquam aliquis gentilis. Contra *Bulgaros* pugnaturus, navibus suis fere duobus millibus impetu *Aquilonis* contritis, pene totum amittit exercitum. Duxit uxorem filiam Regis *Avarorum*, cujus nomen *Irena*. Ipse in agone clamat: *igni traditus sum inextinguibili*. *Spec. Hist.* lib. 24. *Herveldense* monasterium initiatur à *Lullo*, (anno DCCXLII. *Karolomanni* & *Pipini* Regum anno XX. vultus Christi collatus est in civitatem *Lucam*.) *Pipinus* cum fratre *Karlmanno*, nondum Monacho, pugnat in Italia contra *Luprandum*, & ejus prolem. *Luprandus* occupat Italiam. Versus:

Tunc Rex *Luprandus* regnabat in urbe *Papia*,  
Opprimis & *Romam*, simul & *Papam Zachariam*,  
Erigitur solium, *Pipino* gloria cedit;  
Quippe sibi regnum *Francia* tota dedit.  
Ad Regem nanum cedit ubique salus,  
Corpore qui minimus, res ad meliorem redegit.

Erat enim parvus corpore: ideo ad aliorum comparationem dicebatur nanus; & hic inunctus est in Regem. (Nota: *Luitprandus* iste, Rex *Longobardorum*, multas Ecclesias construxit tam *Ticini* quam alibi. Fuit autem vir sapiens, fortis, castus, misericors, & amator pacis, in elemosynis largus. Literas non novit, & tamen sic sapiens fuit, ut Philosophis foret assimilandus. Postquam autem regnavit per annos XXXI, & menses VII, mortuus, sepultus est in Ecclesia S. *Adriani*, ubi & pater ejus est sepultus A.) *Saxoniam* impugnant *Franci* per praedictos *Pipinum* & *Karolomannum*. *Fuldense* monasterium fundatur in solitudine

(h) *Culwilidus*. Cr. (i) *Gnanus* in *MStis*. In sequentibus dicitur parvus corpore. Supra legebatur *Gnanus*. (k) XXXII. G. (l) (quod *Bonifacius* construxit ex superfluitate *Petrensium*. Cr.) (m) in *MStis* C. & G. *Damn*. in *MS*. *Cruc*. *Damasceni*. (a) XXXII. Cr.



dine Buchonia à *S. Bonifacio*. Idem sanctus passus in *Frisia* anno Domini 755, sepultus est in eodem monasterio, anno sui Episcopatus XXXVI, mense VI. Hic nota, quod omnis *Abbas Fuldensis* est *sacrista Papa*, & debet Imperatori mille milites, sub suis expensis, in Ecclesie necessitate. Hic *Karlmannus*, fit monachus, & *Pipinus* pugnat contra Saxones, in Saxonia antiqua & nova adhuc infideles, circa *Rume* & *Wesera* flumina. Inde intravit Italiam contra filium *Luprandi*. Versus:

*Luprandus moritur, Asfupbus sede levatur,  
Cujus & Ecclesia graviore furore gravatur.  
Visitat almificam Pipinus in agmine Romam,  
Nec tamen in Roma voluit gestare coronam,  
Fit modo Patricius: nomen honorque sonat.  
Inde Maguntinas patriæ removit ad aedes,  
Regia Francorum qua tunc erat inclita sedes.  
Francia braccata loca visita: illa beata,  
Et redit in patriam, pace manente rata.  
Papa prius dictus sua saxa tulit Zacharias,  
Annis vixit decem, bis quoque mense sedet.*

753. STEPHANUS II. Romanus, sedit annos V. Iste transtulit imperium Romanum à Græcis ad Germanos, de quo *Extra. de Elect. Venerabilem* in glossa Bernh. Corpus *S. Viti* transfertur à Roma in Franciam Occidentalem. Terræ motus magnus urbes subvertit: quarum aliquæ de montibus ad campestria, muris habitationibus cum habitatoribus salvis & integris, ultra miliare transmigrarunt. *Pipinus* iterum intrat Saxoniam. (*Corbinianus* Episcopus *Frisingensis*, dum pro necessitate Ecclesie suæ Romam pergeret, deveniens quidam *Lupus*, sagmarium (asinum) ejus occidit: Unde sanctus lupo præcepit res suas ei deferre; & lupus obedivit.)

PAULUS Romanus, frater Stephani Papæ, sedit annos X, mensem unum. Mitissimus erat. Invenit corpus *S. Petronellæ*, in cujus sarcophago marmoreo legebatur manu B. Petri scriptum: *Aurea sua Petronellæ, dilectissima filia. S. Otthmarus* obit, & *S. Lullus* fit Abbas *Fuldensis* post *S. Bonifacium*; (& post secundus Archiepiscopus *Moguntinus* claruit, & obiit anno Domini 785. Cui successit *Richolfus*, qui obiit anno 813. *Gangolfus* claret miraculis. Cujus uxor adultera cum Presbytero, dum famam sanctitatis ejus audiret, dixit: *Gangolfus* miracula facit, sicut anus meus. Ideo quoties tali die per vitam suam verbum dixit, toties anus ejus cantavit. Crucifixio imaginis Christi apud *Cæsaream Cappadociæ*; unde *Judæi* quidam sunt conversi.)

CONSTANTINUS II. Romanus, sedit annum unum, mensem unum. Non ponitur in Catalogo Paparum, quia ex Laico subito factus presbyter, zelo fidelium oculis privatus, scandalum erat populo.

STEPHANUS III. Siculo, sedit annos III. m. V. d. XXVIII. *Pipinus* obit, relinquens duos filios, *Karlmannum*, qui statim obiit anno regni sui III; & fratrem ejus *Karolum*, qui dictus est cognomine *Magnus*. Natus est *Bertha*, filia Regis *Ungarorum*, quæ soror fuit *Micbaelis*, Imperatoris *Constantinopolitani*. Iste *Karolus*, cum esset XVIII. annorum, successit patri in regno *Francorum*, & anno regni sui XLII. factus est Imperator. Versus:

*Pipinus moritur, consurgit Karolus acer,  
Natus in Ingelenheim, cui Berta fit Ungara mater,  
Pipinusque pater; Chronica vera patent.*

(Nota: tempore *Zachariæ* Papæ supradicti fuit *Paulus Diaconus*, Notarius Regis *Longobardorum* *Desiderii*, quem *Karolus* primus captivaverat; egregius Rhetor & historiographus, *Karolo* satis carus & familiaris. A quibusdam igitur invidis accusatus est *Karolo*, qualiter eum, propter fidelitatem Domini sui *Desiderii*, niteretur occidere. Interrogatus igitur à Rege *Karolo*, an sic esset? constanter respondit, se fidelissimum Domini sui semper fuisse, & in ea se fidelitate cum vita perseverare. Unde Rex *Karolus* iratus, præcepit eum manibus privati sui suaserunt, eum excæcari. Moxque *Karolus* in se reversus, reminiscens magnæ *Illius* scientiæ, suspirans ait: si manus absciderimus ei, aut oculos eruerimus, ubi tam elegantem scriptorem & insignem historiographum reperiemus? Et ait proceribus astantibus: Quid super hoc vobis videtur? Illi considerantes circa illum Regis benevolentiam: suaserunt, ut in exilium relegaretur, factumque est ita. Ubi, cum per tempus aliquot exul mansisset, quidam, qui ei propter Deum præbebat obsequium, illum perduxit Beneventum. Inde vadens ad locum *S. Benedicti*, factus est ibi monachus. Mulra dictavit; super regulam *S. Benedicti* utilissimam Expositionem edidit; Historiam gentis suæ vel *Longobardorum*, & nonnulla alia, eleganti stilo composuit; inter quæ versus reciprocos, elegiaco metro digestos, con-



conscript. Ad quem præfatus Karolus, qui eum fecit exiliari, audito, quod in hoc loco monachorum habitum assumpisset, plurimum ei congratulans, satis affabiles & jucundas literas, metricè compositas, misit. De quibus versus aliquot hic inferere libuit:

*Hinc celer egrediens facili mea certa volatu  
Per silvas, colles, valles quoque perpetua cursu,  
Alma Deo, caræ Benedicte tecta require.  
Est nam certa quies festis venientibus illuc,  
Hic olus hospitibus, piscis, hæc panis abundat,  
Pax pia mens humilis, pulchra & concordia fratrum,  
Laus amor, & cultus Christi simul omnibus horis.*

Paulus iste quodam tempore raucus factus, cum cereum paschalem benediceret, fecit hymnum: *Ut queant laxis &c.* de S. Johanne baptista petens vocem sibi referari, sicut & Johannes patri suo natus referavit.)

ADRIANUS primus Romanus, sedit annos XXIII, menses (p) X, d. XVIII. Iste invitavit Karolum Magnum pugnare contra (*Aregifum*, Ducem Beneventorum. Et cum Carolus perveniret Capuam, Dux reliquit Beneventum. Misit & filios *Romaldum* & *Grimaldum* cum aliis XII. obsides. Sic Carolus terræ parcens, pace facta, recessit.) Inde pugnavit contra Regem *Dofiderium*, qui tunc Italiam occupavit: quem Carolus cum filio & multis nobilibus captivavit. Ideo Papa Adrianus dedit Karolo potestatem eligendi & ordinandi sedes Episcopales, etiam Apostolicam. Saxones vastaverunt Franciam & incenderunt Hassiam, *Frizlar* incendentes; ubi tunc Ecclesia S. Bonifacii comburi non potuit. Duo enim (q) albatii apparuerunt in aëre, basilicam protegentes: unde Saxones pagani versi sunt in fugam, quorum unus mortuus inventus est juxta basilicam, genibus acclivis, stans super pedes, ignem habens cum lignis in manibus, velut ore basilicam igni tradere voluisset. Honorius. *Ornabrugga*, primitiva Ecclesia Saxoniarum, fundata est à Karolo anno 770: qui totis viribus Saxoniam petiit: castrum *Ersberg* cepit, & *Hermensil* Idolum destruxit. In hoc bello Deus miraculosè Christianis, siti & calore laborantibus, dedit aquam copiosè. Nota: castrum illud *Ersberg* nunc dicitur *mons Martis*: & dicebatur *Eresberg*, id est, mons venerationis, vel à Dea ibi culta, quæ apud eos dicebatur *Hera*, ut adhuc vulgares fatuæ dicere solent, *Domina hera*, id est Teutonice, *Fritve Here*, & corrupte *Vorhere*, quam conferre putabant rerum temporalium abundantiam. Et quia *Mars* est Deus belli, & Saxones bellicosi sunt, ideo mansit nomen *Martis*. Idolum autem appellabatur *Hermesful*, quasi *Herculis*, *Martis* & *Solis*, & Mercurii columna. Colebatur enim in (r) Idolo *Hermes*, id est, Mercurius, quem tunc Saxones, de Græcis & Macedonibus exorti, lingua eorum *Hermen* nominabant, & vulgò *Gudon*, i. e. *bonum faciens*, qui & *Stilbon*, quasi stillans bona dicitur: cujus adhuc dies apud antiquos Saxones *Godensdag* dicitur, & apud alios *Midveken*, quia Mercurius in medio septimanae colebatur.

LEO IV. dictus *Leo* (s) *Casarius*, Constantini filius, imperat Constantinopoli annos V: tunc *Carolus* synodum habuit in Saxoniam *Paderborne*. Occidentales enim Saxones fiunt Christiani, & baptisantur majores natu, præter *Wedekindum*, in *Paderbornen* anno Domini 777, *Westphalis* in deditionem acceptis circa *Lippiam*. H. Quos tunc *Westfalos* Karolus nominavit, quasi *Westen feilden*, quasi Occidentales fallunt, fidem derelinqentes. Sæpius enim fidem promissam infringentes, relapsi sunt ad idola. Versus:

*Westphalus à fallo de Feylen dicere mallo  
Westphalus est sine VE, sine PA, sine PI, sine VERE.*

Corpora Sanctorum Gordiani & Epimachi transferuntur in Almanniam. Anno Domini 780. *Wedekindo* rebellante & suis relapsis, Karolus, pugnas contra eos, fecit 4500. decollari, *Wedekindo* fugato in Almanniam. Karolus celebravit Pascha Romæ, ubi filius ejus *Pipinus* baptisatus, unctus est in Regem Italix, & *Ludovicus* in Regem Aquitanix. Multa apparuerunt prodigia, ut sanguis de cælo, signum S. Crucis in vestibus hominum. *Halverstadense* Episcopium fit in *Osternyk*. Karolus pugnat contra *Westfalos*, quorum Princeps erat *Wedekindus*, dux magnus Saxonum. Hujus prædecessor fuit Rex *Edelbart*: ideo aliquando scribuntur Reges, aliquando Duces, usque ad eorum conversionem; quia tunc nomen Regum deponentes, *Duces Saxonum* amplius dicebantur.

HIRENA uxor Leonis, cum filio *Constantino* imperat X. annis Constantinopoli: qui filius, postea matrem pellens regno, imperavit annos V. Quem ipsa contra excæcavit, regnans

Ssssss 3

(p) IV. Cr. (q) Abbates Cr. (r) in columna Mars, Hermes vel Mercurius, & Sol five Apollo. Græcè Mercurius dicitur Hermes, id est, facundus: & quia Saxones de Græcis venerunt, ideo Mercurium eorum lingua *Hermen* nominaverunt, vulgò verò *Godan*. MS. Cruc. (s) Casarius C. G.



gnans post eum tribus annis. Hoc tempore Constantinopoli aurea lamina inventa est in cuiusdam sepulchro, in qua scriptum erat: *Christus nascetur ex Maria virgine, & credo in eum. Sub Constantino & Hirenâ Imperatoribus, & sol, iterum videbis me.* Hunc dicunt Græci *Hermetem* fuisse. *S. Lullus*, secundus Archiepiscopus Maguntinus, obiit: cui *Richolphus* successit, qui etiam obiit anno Domini 813. *Wedekindus* (igitur Rex Saxonum, filius *Edelhardi* Regis eorum, cum multos interficiens (præcipuè tres magnos Principes Karoli) multos amisisset, iuventibus in hoc Karolo Saxonibus conversis, miraculosè postea conversus, baptizatur,) & de sacro fonte levatur à Karolo Magno; sicque pax fit inter Saxones & Francos, bello XXXIII. annos iterato: de quo *Henrici Roslz.* Versus:

*Karole, qui Frisones, Ligures, Italos, Aquitanos,  
Hunos, Illyricum, vicisti tempore parvo:  
In sex Saxones vix lustris perdomuisti,  
Quos tu fecisti nomen cognoscere Christi  
Non fides verbo, sed proinvento mage bello.  
Exin nimirum censeris Apostolus horum.  
Non sine pernicie seu tristi clade tuorum.*

**Insupernota:** *Wedekindus* iste Rex & Dux Saxonum paganus, dum multis annis constanter adversus Karolum pugnasset, in nocte cœnæ Domini, per naviculam in habitu & forma mendici, venit in exercitum Christianorum, sedens ad eleemosynam die parasceves & sabbatho sancto; in die Paschæ ut modum videret Christianorum, juxta se communicantium. Ubi à quodam fistulatore cognitus, ductus est ad Karolum. Qui, ut eum vidit, gavisus ait: *O Rex Wedekinde, ad quid huc venisti?* Respondit: *exercitum tuum videre, & explorare veni.* Cui Imperator: *& quid vidisti?* Respondit: *Pridie vidi vos miserè incedentes; & hodie vidi vos pulcherrimum puerum comedentes; & quasi omnes eundem puerum comedistis.* Sed quosdam intravit valde benevole: quibusdam vero renitens, ingratum se ostendit. De quo Karolus cum suis gavisus, prædicat ei fidem; & sic conversus, baptizatus est cum toto populo suo in loco, ubi fluvius *Hora* Albiam ingreditur. (In poesi de *S. Bernardo.* Iste *Wedekindus* prædictus, dictus erat magnus, quia viribus animi & quantitate corporis pene omnes excessit, & quia maxima bella cum Francis Christianis commisit. In castro *Yborg*, quod dicimus *Dryborg*, habitavit.) Istius *Wedekindi* filius *Wigbertus*, Christianæ religionis cultor devotus, habuit filium (u) *Walbertum*, qua causa orationis Romam pergens, de Roma detulit corpus *S. Alexandri*, filii *S. Felicitatis*, integrum in Saxoniam, & in locum *Wildesbusen* collocavit. *Honorius* Ecclesia *Verdenfis* fundata est in Saxoniam à Karolo anno 786. Græci victi sunt à Francis, & Dux *Bonventanus* subjugatus à Karolo. *Britannia* conversa est per Karolum, fueruntque cum Karolo Saxones conversi. *S. Borcharus* obiit IV. Nonas Februarii. Karolus consilio Saxonum construxit duos pontes in Albia, ut Slavos subjugaret. *Hæresis Felicianæ* damnatur, quam *Engelbertus* in præsentia Papæ *Adriani* abjuravit. Tunc floruerunt *S. Egidius* & magnus *Alcuinus*, natus de Britannia, magister Karoli Magni. Idem Karolus, anno regni sui septimo Saxoniam intrans, devastavit magnum castrum *Yborg*, quod nos dicimus *Dryborg*; quia, si quis hæc verba: *Vado ad ipsam Yborg*, transfert in vulgare, dicit; *Ek ga to der Yborg.* Ideo causa accelerationis subtracta est *E.* litera, & dicitur *to Dryborg.* Quasdam vice fugatus à Saxonibus, usque ad flumen *Magonum*, dum vadum nesciret, apparuit cerva, & flumen coram eo pertransiit; quam cum suis secutus, evasit. Et tunc dixisse fertur: *Melius est dicere, Karolus fugit coram inimicis; quam dicere: Karolus interfectus est ab inimicis; & ex illo transitu locus ille dictus est vulgariter ibidem Frankenvort, i. e. vadum Francorum.* Nunc est civitas imperialis. Alia vero pars dicitur *Sassenbusen*, & statio *Sassenbusen* quia Saxones ibi cœperunt habitare, quorum loquelam hodie partim servant, dicentes *Wat unde dat*, in medio Rhenensium.)

**LEO** quartus Romanus sedit annos (x) XXI. m. V. d. XVIII. Hic dum in die *S. Marci* cum letaniis iret in processione, à Romanis excœcatur, anno Domini 790. & lingua privatur. Cui tamen Deus & visum & linguam restituit. *Leo* igitur veniens in *Almaniam*, *Karolum* quæsit & invenit, & cum eo multa loca visitavit; scilicet *Herstelle*, quod nomen accepit ab exercitu illic congregato: item *Padefontane* i. e. *Paderborne*, & *Aquisgranum*, &c. factum Karolo & injuriam conquerendo. Propter quod Karolus Papam secutus est Romam, & ibidem ad gradus *S. Petri* solemniter acceptus, tam ab incolis quam à peregrinis. Ibi injuriatores Papæ secundum legem Romanam morti damnandos, pius Papa piis precibus pro eisdem intercessit, ut rigore sententiæ mitigato, exilio relegarentur. Papa coram iudicio imperiali se promisit emendare, 2. quæst. VII. *Nos; se ipsum.* Et cum nullus esset accusator, jure jurando se purgavit à criminibus objectis. Die igitur natalis Domini, dum Karolus in Ecclesia *S. Petri* devotius oraret, idem *Leo* Papa ipsum, de hoc nihil cogitantem, corona-

(u) V Wilbertum Cr. (ε) XX. Cr.



ronavit, & acclamatum est à populo: *Karolo Magno, à Deo coronato Augusto, & Imperatori Romanorum pacifico, vita & victoria.* Ille igitur magnus Karolus, Apostolus & patronus Saxonum, sicut omnis Imperator, non suæ soli terræ, sed toti mundo militaturus, statuit, ut *Francigeni* habiles ad studium, & inhabiles ad bellum, semper *Studium* habeant *Parisiis* generale, cum Rege proprio. Cæteri vero Franci Orientales *Teutonici* imperium regant Romanorum. Sol obscurabatur & luna, ita ut XVII. diebus non apparerent: quod multi dixerunt, propter excæcationem Papæ Leonis, & (y) Imperatoris Constantini, esse factum. Tunc autem Hirena rejecta, NICEFORUS imperavit Constantinopoli annos IX. post quem, quia in prælio occisus est à Bulgaris, venit MICHAEL duobus annis, (gener Nicefori, vir amabilis & bonus, qui similiter pugnans cum Bulgaris, haud prosperis successibus usus, domum reversus deposito Diademate Monachus efficitur; in cuius locum *Leo*, Bardæ Patrii filius Imperator constituitur octo annis;) quem secutus est MICHAEL secundus, IX. annis; & sic consequenter imperaverunt, usque ad OTTONEM primum. (*Crumas* Rex Bulgarorum, qui Niceforum interfecit, & Michaelem fugavit, prosperis rebus elatus, Constantinopolim accessit: quem *Leo* Imperator graviter vulneratum, turpiter redire coegit. Ex Chronica Karoli.) *Synodi quinque* fuerunt diversis locis celebratæ sub Karolo Magno. Ipse etiam divisit terram Saxoniam in Episcopatus, Ecclesias ubique protegens, fundans & augens. Septem (z) autem loca principalia elegit in Saxonia pro sedibus Episcopalibus; ut sunt *Osnabrije*, *Padeborne*, *Mimigardewort*, id est, *Münster*, *Hildensen*, *Halverstadt*, *Verden* & *Minden*. Construxit insuper cœnobita ad numerum literarum alphabeti; quibus solemniter fundatis, & in omnibus, libris, ornamentis & redditibus ditatis, dedit cuilibet loco auream literam, valentem plus, quam C. libras Turonicas; ut ex ordine literarum tempus foundationis haberetur. Ipse etiam multa millia Saxonum duxit in Franciam, & contra Francos in Saxoniam, ut perpetuo essent unus populus. (Gens Frisonum recepit fidem Christi. Ordo *Wilhelmitarum* cœpit sub Wilhelmo Duce Aquitaniam ad Regulam S. Bernardi (a) Ipse Wilhelmus familiaris erat Caroli.) Idem Karolus fundavit de novo *Aquisgranum*, & constituit caput imperii, reliquias magnas illuc transferendo. Ipse fecit pontem per Rhenum Maguntiam, qui tamen eo mortuo statim fulgure periit. Ipse S. *Piriminum* constituit Abbatem in *Auge* majori, diœcesis Constantiensis, qui eam à serpentibus emundavit; & multa cœnobita construxit in Alfatia. Circa Karolum fuerunt multi viri valde mirandi, inter quos erat filius sororis suæ *Bertha*, nominatus *ROLANDUS*, cujus imaginem ornat Saxonia in *civitatibus Imperialibus*; cujus pater erat *Milo*, Comes Cenomanensis, ambo fortissimi: *Amicus* & *Amelinus*, duo in omnibus simillimi, de quibus mira leguntur in speculo Hist. lib. XXIV. cap. 162. (Contigit, duos Scotos Monachos cum mercatoribus Britannis ad littus Galliam devenire: qui dum nihil venale habere viderentur, derisi sunt à cæteris. Cœperunt igitur clamare: si quis indiget sapientia, veniat ad nos; apud nos est venalis. Fama venit ad aures Karoli. Unde vocati, Rege sciscitante, quid peterent pro scientia? responderunt: tria, scilicet, *animas ingeniosas, locum opportunum, & necessaria vita.* Tunc Carolus gaudio repletus, unum eorum, scilicet *Clementem*, misit Parisius; alterum præfecit *Monasterio S. Augustini in Ticino*, mandans ubique, qui discere velit, illic congregetur; quibus de omnibus necessariis est provisum. Audientes hoc plurimi in scientiis famosi, quod Rex sic sapientes amaret, convenerunt; inter quos & *Rabanus*, *Alcquinus*, *Johannes Scotus* & *Claudius*. Alcquino dedit Rex Abbatiam S. Martini. Hæc in speculo Alquini.) Karolus, postquam fidei Christianæ multas terras subjugavit, labore senioque fatigatus, inductione S. Iacobi, sibi in somno apparentis, cum multorum sanguine Christianorum, & majori paganorum, convertebat & subjugabat fidei totam Hispaniam. Ibi *Milo* cum *Rolando*, & multis nobilibus, ceciderunt. Pagani namque multis ibi cautelis utebantur in bello. Equos suos larvis & longis barbis ornabant, & acriter cornibus ipsimet pulsabant. Quibus conspectis, Christianorum equi, velut amentes, fugerunt. Cautelâ contrariâ jussit obstrui aures equorum, ne sonitum tympanorum audirent, & panniculis capita tegi, ne larvas viderent; sicque irruens in hostem, vexillum eorum dejecit. Quo decidente, pagani fugerunt, & Christiani triumpharunt. Idem Karolus fecit *epitaphium* de Rolando illud:

*Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis:  
Te tenet aula nitens, nos lacrimosa dies.  
Sex qui lustra gerens, octo bonus insuper annos,  
Ereptus terræ justus ad astra redis.  
Ad paradisiacas epulas te cive reducto,  
Inde gemit mundus, gaudet honore polus.*

Et

(y) mortem Imperatoris Cr. (z) Sex, omitendo Hildesheim. MS. C. (a) Bernardus tamen fuit posterior *VWilhelmo*. An intelligendum est, eos, qui forte posterioribus temporibus nomen *VWilhelmitarum* sumserunt, Cisterciensium institutum imitatos fuisse? Vide etiam sub Sergio III.



Et adjecit Karolus : O brachium dextrum (b) corporis mei, decus galeæ (c), spata justitiæ, miles acerrime, fortium fortissime, Judæ comparatus Machabæo, Samsoni assimilatus; defensor Christianorum, murus clericorum, & baculus orphanorum. Ibi tandem Rex Hispanorum gentilis, dictus *Argolant*, cum multos perdidisset, dixit, se futurum Christianum : sicque per Karolum invitatus, statum vidit Christianorum. Cum autem tempore prandii, multis mensis solemniter præparatis, vidisset in angulo quosdam pannosos; & sciscitans, qui tales essent, audivit à Karolo, quod *servi Dei sui Christi* (quia pauperes XII. in honorem duodecim Apostolorum quotidie cibavit) *Argolant* indignatus dixit, *se cum Diis suis mansurum, eo quod Christiani Dei sui servos ita debonefarent*; & sic rebellando, tandem occisus est: & Christiani triumphantes, terram inter se diviserunt. Imperavit annis IX. Anno DCCCVIII. hiems mollissima & pestilens fuit. Tunc nunciabatur, *Godofridum* Regem Danorum in Abotritus exercitum trajecisse. Ideo Karolus filium ad Albiam cum valida Francorum & Saxonum manu misit, jubens vesano Regi resistere, si Saxonie terminos aggredi tentaret. Sed ille, expugnatis aliquot Slavorum castellis, cum magno sui detrimento reversus est in *Daciam*; & Karoli exercitus ivit in *Linones & Smeldringos*, qui *Godofridum* juverant, populatisque eorum agris, cum incolumi exercitu in Saxoniam se recepit. Rex etiam *Nordenhumborum* de Britannia, nomine *Ardulfus*, regno & patria pulsus, ad Imperatorem venit in Saxoniam, & patefacto negotio, Romam proficiscitur; sicque per legatos Papæ & Imperatoris in suum regnum reducit. Imperator etiam tunc super Albiam fecit construi duo castella contra Sclavorum incursum, & civitatem ædificavit super locum (d) *Schivere* fluminis, vocabulo *Afesfelt*, positus ibi Francicis & Saxonicis præfidiis, anno Domini 809. (Cum Carolus Romæ coronatus venisset Spoletum, 5. Kal. Maji hora noctis secunda, factus est terræ motus maximus, quo tota Italia graviter est percussa, urbes montesque ruerunt. Sic in Gallia & Germania circa Rhenum loca tremuerunt. Item 803. terræ motus factus est, & mortalitas secuta.)

**K**AROLUS etiam inter cætera bona mensibus & ventis imposuit nomina, juxta patriam suam loquelam. Unde Januarium vocavit *Wintermaen*, Februarium (e) *Horninck*, Martium *Lenze* vel *Meymaen*, Aprilem *Ostermaen*, Majum *Wunnenmaen* vel *Rosenmaen*, Junium *Bracmaen*, Julium *Haumaen*, Augustum *Ernemaen*, Septembrem *Ovetmaen*, Octobrem *Wienmaen*, Novembrem *Hervefmaen*, Decembrem *Hilgenmaen*. Ventos etiam sic nominavit, *Ostervynt*, *Südvynt*, *Nordvynt* & *Westenvynt*. Tandem Karolus, febri & pleuresi correptus, anno 72. ætatis suæ, regni 42. imperii vero 13, multis Principibus & nobilibus præsentibus, secularibus & spiritualibus, suum condendo testamentum, omnem substantiam suam, quam tunc habuit in rebus mobilibus, trina divisione partitus est; sic, quod duas illarum divisit in XXI. partes, quia tot erant tunc Ecclesiæ metropolitanæ in regno Romano; Ut nomine eleemosynæ unusquisque Archiepiscopus haberet unam de XXI. partibus, & illam divideret sic cum suis suffraganeis, ut tertia pars foret suæ Ecclesiæ, duæ vero partes inter suffraganeos dividerentur. Voluit & tertiam partem principalem sub dividi in tres partes: primam dando pueris & nepotibus suis; secundam familiaribus suis, ad quam etiam partem adjunxit omnia ex ære, ferro, vestibus & aliis utensilibus, præter aurum, argentum & lapides pretiosos: Tertiam vero partem assignavit pauperibus, librisque suis, quorum magnam copiam habebat, venditis, precium illud pauperibus superaddidit. Inter cæteros thesauros habuit *tres mensas argenteas, & unam auream*, miræ magnitudinis & ponderis, quam cum una argentea reliquit hæredibus; aliam dedit Ecclesiæ B. Petri Romæ, & tertiam Ravennæ. Quibus omnibus bene dispositis, successorem imperii designavit Aquisgrani *Lodovicum*, quem prius Regem fecerat Aquitanie. Hæc omnia completa sunt Aquisgrani; in Ecclesia B. Virginis, quam fundavit, in Christo sepultus. Karolus scribitur tam fortis fuisse, ut militem armatum cum equo, uno scinderet ictu. Quatuor ferraturas equorum simul faciliter extendebat. Filios suos artibus liberalibus; filias etiam & neptes lanificio, colo, fusæque operam dare præcepit. Hæc & plura scribit *Turpinus* Archiepiscopus Ravennensis, addens, quod multi Christianorum, nempe XXM. in exercitu nostro perierunt. Causa est, quia fornicati fuerunt. Nulli enim licet mulierem in exercitum ducere. Darius & Antonius cum uxoribus perrexerunt ad bellum, & ambo cum suis corruerunt: Darius ab Alexandro, Antonius ab Augusto. Hæc ille. Anno Domini 818. *Lodovicus* Pius Aquisgrani consilium provinciale cum Archiepiscopis & Episcopis celebrans, regulam Canonicarum secularium institui ordinat; ut filiarum Nobilium conspectibus petulantium subtractæ, & procacium blanditiis obseratæ, in fide & moribus Christianis plenius instructæ, in lege Dei meditentur monastica sub tutela, donec, si forte liberet eas maritari, (ut olim virgines, quæ cum beata virgine Maria in templo Domini dedicatæ leguntur) nuptias fortiri possent opportunas, & sic viros suos & filios in fide Christi dulcius confortare valerent. Aut si forsan eas propterea delectaret casti-

(b) dextri mei C, dextrum mei, G. (c) Gallie Cruc. (d) f. Slix fluminis, nempe in Holfatia. (e) Hornung Cr.



tas, Dōmīno possent jugiter castum exhibere famulatum. Quibus S. *Meinulfus* Canonicus Regularis Padebornensis Ecclesie, & Decanus ibidem, à Sancto Karolo Magno levatus à sacro fonte, locum instruit in *Doliolo* i. e. parvo dolio, & *Bodeken*. (f) Hunc S. Karolus nominavit *Meinulfus*, quasi *Meyn*, id est, *meus Ulfus*: ut sicut S. *Ulfus* à S. Marco mundatus à lepra & baptisatus, patrocinium & adjutorium maximum fuit conversionis terræ Aquilejensis, ut legitur in *Vita S. Hermachora*, primi post S. Marcum Episcopi Aquilejensis: sic ille sit, sicut & fuit, patrocinium conversionis Westphaliæ in *Bodelen*. Hoc anno Mauri de Hispania maxima classe egressi, primo *Sardiniam*, deinde *Corficam* appulerunt, insulamque pene totam subegerunt. Interea *Pipinus* filius Karoli, & Rex Italiæ, perfidia Ducem Veneticorum incitatus, *Venetiam* bello terra marique jusfit appetere: subjēctaque Venetia, eandem classē ad Dalmatiæ vastanda littora misit. Tunc filia Imperatoris natu major obiit. Imperator contra Regem Danorum expeditionem meditans, nuncium accepit Aquisgrani, classē CC. navium de Nortmannia Frisiam appulisse, totaque Frisia quasi vastata, Danos victores tributum victis imposuisse C. libras argenti; (& revera ita erat) *Godefridum* quoque cum Imperatore congregari velle. Quibus auditis, mittens circumquaque, exercitum congregavit. Cumque veniret in *Lippediam*, elephas, quem *Aaron* Rex Saracenorum Imperatori miserat, subita morte periit. Congregatis igitur copiis in loco, ubi *Alam* fluvius *Wesera* jungitur, nunciatum est, classē domum esse reversam, & *Godefridum* à quodam suo satellite interfectum, & *Pipinum* filium ejus obisse. Disposita igitur Saxoniā, revertitur Imperator Aquisgranum. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, ut pene nullus tanto exercitui superesset: nec solum ibi, sed per omnes Imperatori subjēctas provincias, illius generis animalium mortalitas grassabatur. Imperator Aquas veniens, Legatos de Constantinopoli & de Corduba recepit, de pace faciēda cum *Niceforo* Imperatore, quod & factum est. Nam *Niceforo* Venetiam reddidit. *Disso* Rege Danorum mortuo, *Hemmingus* (g) filius fratris succedens, pacem cum Imperatore fecit anno DCCCXI. *Karolus*, filius Karoli natu major obit, & anno sequente *Hemmingus* Rex Danorum obit; cui, cum *Sigefridus* nepos *Godefridi*, & (h) *Anulo* nepos *Hemmingi*, succedere vellent, commisso prælio moriuntur ambo. Pars tamen *Anulonis* victoriam adeptā, fratres ejus (i) *Haroldum* & *Reginfridum* Reges constituit. In eo prælio X. millia & (k) DCCCXLVIII. cecidisse narrantur. Reges isti pacem ab Imperatore petentes acceperunt. Ex *Chronico Karoli*. Eclipsis magna. Sol enim & Luna bis defecerunt. Terræ motus magnus, quem mortalitas secuta est in Gallia & Germania.

MULIER (l) papatum tenuit annos V. Nominavit se *Iobannem Anglicum*. Non reputatur inter Papas. Concepit & peperit filium in processione. Tunc dæmon in aëre dixit: *Papa pater patrum, Papisse pandito partum*. S. *Ludgerus* (m) obiit. Translatio S. *Bartholomei* in Bonventum. *Richolphus* Archiepiscopus Maguntinus obiit; successit *Haisolphus*, & obiit DCCCXXVI. (Infirmi quidam, numero XL, Alemanniā Romam ituri, obvium habuerunt in via solennem personam, dicentem eis: ite *Papiam*, & per S. Augustinum sanabimini. Iverunt, & omnes sanati sunt.) *Michaël* Imperator Constantinopolitanus, gener *Nicefori*, vir orthodoxus & amabilis omnibus, relicto imperio *Leoni*, *Bardæ* patricii filio, fit monachus.

814. **L**ODEWICUS primus, dictus PIUS, imperat annis XXV. Anno imperii sui terti oordinavit clericis regulam Canonicorum secularium. Idem ordinavit, ut clerus cum Prælati vestes superfluas & ornatum, juxta regulam præfatam, penitus deponerent. Ipse fecit in Saxonia Ecclesiam *Hamburgensem* Metropolin, subjiciens ei omnes gentes Boreales. Legati *Michaëlis* Imperatoris Constantinopolis, cum cæteris muneribus, detulerunt ei libros B. *Dionysii*, translatos de Græco in Latinum: quibus cum gaudio receptis, cum reliquiis ejusdem & aliorum Sanctorum, statim XIX. infirmi curati sunt. Ipse habuit tres filios; *Lotharium*, quem fecit Cæsarem, *Pipinum* Regem Aquitaniæ, & *Lodewicum* Regem Germaniæ. Post uxorem primam, *Ermengard* nomine, duxit *Iuditham*, filiam *Welfi* Ducis Saxonum, quam *Pipinus* filius ejus violenter auferens, trahit in monasterium velatam. Quam tamen tandem Imperator recuperans pacem fecit cum filiis. *Theodolfus* Aurelianensis Episcopus falsè accusatus Imperatori, custodiæ deputatus *Andegavis*; cum die Palmarum processio cleri, præsentē Cæsare, transiret juxta locum carceris, cœpit Episcopus altè cantare versus, quos composuit: *Gloria, Laus & honor, tibi sit Rex*. Quibus Cæsar delectatus, statim eum absolvit, & in sedem Episcopalem restituit. Quinque concilia ejus jussu, super statu Ecclesiarum corrigendo,

(f) *Glossa marg.* & *Bodeken* ditissimum est monasterium Regularium, in quo plures in sacris sunt constituti: Laici tamen centenarium excedunt numerum. (g) *Hennignus* C. (h) *Anulo*: sed paulo post *Anulo*. C. (i) *Heroldum* C. (k) DCCCXL. viii. C. (l) (Hoc tempore dicitur *Joannes Anglicus* Papa tui præfuisse aliquot annis, quæ fuit mulier, & peperit filium in processione. MS. Crue. (m) S. *Ludgerus*, patronus Frisonum & Saxonum MS. Cr.



do, celebrata sunt : unum *Maguntia*, secundum *Remis*, tertium *Turonis*, quartum *Cabillione* & quintum *Arelati*. Ex *Chronica Karoli*.

STEPHANUS quartus, Romanus, fedit menses (n) VII. Tunc *Heroldus* Rex Danorum cum uxore & filiis, & populo multo baptisatur *Maguntia*, quem Imperator *Lodewicus* levavit de fonte, & regina reginam. Lacus quidam in Saxoniam dictus *Arneze*, (o) intumuit una nocte spatio leuca. In *Thuringia* cespes longitudine L pedum, & latitudine XIV, altitudine VI. sine manibus de terra sublatus est ultra pedes XXV. Corpus *S. Ceciliae*, *Tiburtii* & *Valeriani* & aliorum, invenitur Romae, *S. Cecilia* revelante.

PASCALIS Romanus, in ordine centesimus, fedit annos VII. dies XVIII. Expurgavit se jure jurando coram Imperatore & Romanis, de crimine proditoris objecta. *Hildesheimense* Episcopium cepit, quod *Lodewicus* proposuit posuisse in *Aulica* sua, quae nunc villa, dicitur *Else*: sed (p) ostenso miraculo in oratorio *S. Mariae Hildensem*, Apostolus cessit virgini gloriosae. H. *Corbeia nova* cepit in Saxoniam prope *Huxariam* à *Lodewico*; qui & audivit vocem sibi dicentem: *Lodewice, venenum Ecclesiis addidisti*: quia nimis Ecclesias divitiis exaltravit, ex 5. libro *Illustrium Virorum Cister.* Ord. C. X, & fuerunt monachi primi in Saxoniam. Versus:

*Octingentenus dum vicenusque secundus  
Annus erat Christi, claustrum fundum dedit isti  
Filius iste pius Magni Caroli Lodewicus,  
Uxor Juditha bene votum praestat ad ista.*

EUGENIUS II. fedit annos III. menses II. martyr & sanctus. Ipse dedit corpus *S. Sebastiani Eldevino* Abbati, quod transtulit à *Roma* in *Suessonam* civitatem, ubi tot signa Deus operatur, quot nec verbis narrari, nec numero possunt comprehendi. H. *Rabanus* Doctor, sophista & Poeta magnus, fit Abbas *Fuldensis*, & postea Archiepiscopus *Maguntinus*. (Prius erat Monachus in *Corbeia nova*, sub cujus sede corvus nidificans, pullos eduxit in cella sua: ideo dictus est *Ravanus*; quia *niven* Saxonice, corvus est Latine.) Multa scripsit, & praecipue de laude *S. Crucis*. *Haisolfus* Archiepiscopus *Maguntinus*, 21. annis praesidens, obiit, cui successit *Orbgarius*; qui corpora *SS. Severi*, uxoris & filiae, transtulit à *Ravenna Erfordiam*.

VALENTINUS Romanus, fedit unum mensem, dies decem.

830. GREGORIUS quartus, Romanus, fedit annos (q) XV. Constituit octavam Assumptionis beatae Virginis celebrari, & Festum omnium Sanctorum in Gallia & Germania, quod Romani ex instituto *Bonifacii* jam celebrabant. Spec. Hist. lib. 25. cap. 24. Nix magna à Kalendis Octobris usque Idus Aprilis. Secuta est pestilentia hominum & bestiarum, grando & glacies maxima. In provincia Saxoniae *Vrisasse* nominata, cremantur XXIII. villae igne caelesti. Puella quaedam fere XII. annorum, abstinuit ab omni cibo X. mensibus in territorio (r) *Tollenfi*. Quidam Romani scelerati miserunt ad *Soldanum* *Babyloniae*, ut veniens *Romam* obtineret. Venientes igitur *Sarraceni*, *Romam* & totam *Tusciam* vastaverunt. Rogavit igitur *Gregorius* Papa *Lodewicum* Imperatorem, ut Ecclesiae succurreret. Venit Imperator, & territi *Sarraceni* fugerunt, & multi sunt submersi. *Cosmodr. Lodewicus* iste primus construxit in *Hildensem* Ecclesiam *B. Virginis Mariae*. Unde *Theodorus Eimbecensis* IN POESI DUCUM BRUNSVIGENSIVM:

*Floruit ut ficus Rex nomine qui Lodewicus,  
Tunc in honore pie fundaverunt ipse Mariae  
Hildensem diem funditus Ecclesiam,  
Hic Caroli natus sit cum genitore beatus.*

*Vitus* sanctus transfertur in Saxoniam in *Novam Corbeiam*. Ab ipso tempore gloria *Francorum* translata est in Saxoniam. Versus ibidem scripti:

*Felix Saxoniam, gaude, per pignora sacra  
Viti ditata, quae dat tibi Francia gratia.  
Abbas Warinus regali stemmate primus,  
Francorum natus, Viti venerabile corpus  
Transfert à Francis Corbeiam, ceu patet istis.  
Romano fretus pius imperio Lodewicus  
Hoc, Hildewyne, donat te, patre favente,  
Quando Dionysii rexisti limina claustris;*

Quo

(n) IV. Cr. (o) Arnse MS. Cr. *Glossa marg.* Arnsee. locus iste in Marchia Brandenburgensi est monasterium monialium ordinis *S. Benedicti*. (p) MSC. Cr. ita: ostenso miraculo de reliquiis suis perditis & in arbore repertis, fundavit in loco, nunc *Hildensem* nominato, *S. Petro* *Virgini Mariae* cedente, ut legitur in ejus fundatione. *Honorius*. (q) XVI. Cr. (r) *Tollenfi* Cr. *Tolose* C.



*Quo tam præclaro gaudebas ante patrono.  
Ex tunc translatum fuit à te Francia sacrum  
Imperium, divi quo nunc gaudent Alemanni.  
Care puer vite, duc nos ad pascua vita.*

Nota: *Corbeia* dicitur, quasi *cor beans*. Corpora SS. Marcellini & Petri de Roma transferuntur in Germaniam, & S. Liborius de Gallia transfertur in Saxoniam in civitatem Paderborne. Hic dum portaretur per Turonum, Turonenses cum capsâ S. Martini, pro reverentia S. Liborii, processionaliter occurrunt. Tunc quidam leprosus S. Martinum invocavit, ut curaretur. Martinus: *pro medietate curatus es; fratrem meum Liborium roga pro alia: hospites namque bonomndi sunt.* Rogavit, & plene mundatus est. In Anglia *Athelwulfus* Episcopus Wintoniensis, hæredibus deficientibus, compulsus est regnare, factus Rex West Saxonum. *Beda.*

84<sup>o</sup>. **L**OTHARIUS, primus filius *Lodewici*, imperat annis XV. cui fratres bellum moventes, tantam stragem egerunt, ut nulla ætas meminerit, tantam fuisse in regno Francorum. Propter quod *Saraceni* imperium invaserunt, *Italiam* & *Romam* destruentes: & *Gallia* ab una parte à *Northmannis*, ab alia parte à *Saxonibus*, ferro & igne devastata. Tandem concordati, pacem fecerunt, sic, quod Lotharius cum regno Romanorum *Galliam Belgicam*, quæ nunc ab eo dicitur *Lotharingia*, possideret: *Pipinus Aquitaniam*, *Karolus Calvus Italiam* & aliam partem Franciæ cum *Britannia*; *Lodewicus* autem *Germaniam* gubernaret. Inceperunt igitur Italici regnare; imo pene singulæ provinciæ sibi Reges elegerunt. Tunc & in *Constantinopoli* *Theophilo* mortuo, imperavit filius ejus *Michaël*; qui pacem cum Lothario firmavit, quam *Karolus primus* cum Græcis inchoavit, sic, quod alter alterius frater nominetur, & ab altero semper juvetur. Græcus Imperator Orientem, Romanorum autem Romam cum Occidente, habeat in ævum. Versus:

*Unus apud Francos Lotharius orbe resedit,  
Karolus est alter, cui Secana Gallia cedit;  
Climam Bavaris sic Lodewicus habet.*

Iste Lotharius, regnum (t) relinquens fratri suo *Lodewico*, cum filiis suis factus est monachus in monasterio *Prumiensi*, diœcesis *Treverensis*.

**SERGIUS** secundus Romanus, sedit annos III. menses II. Vocabatur prius *Os porci*; ideo in antea nomen Papæ mutatur.

**LEO V.** Romanus & sanctus, sedit annos IIX, dies VI. Iste partem urbis, quæ à suo nomine *Leonina* dicitur, muro cinxit. De quo fecit istam collectam: *Deus, qui B. Petro collatis clavibus.* Idem pro Christianis pugnantibus in mari contra *Sarracenos*, fecit istam collectam: *Deus, cujus dextera B. Petrum.* Ipse fuit multæ patientiæ & humilitatis, divinarum scripturarum ferventissimus perscrutator. *S. Helena* transfertur à Roma in Franciam. Monasterium *B. Virginis Erfordia* construitur. *Othgarius* *Moguntinensis* Episcopus obiit: successit *Rabanus*.

**BENEDICTUS III.** sedit annos II. menses V. dies X. Romanus fuit. **PAULUS** sedit annum unum; quem secutus est **STEPHANUS** quintus, etiam annum unum. (*Strabus* discipulus *Rabani* floruit.) *Franci* gravi prælio vincuntur à *Bohemis*: cui prælio se præfuisse spiritus malignus per os arreptitii publice protestatus est, & per se & suos socios, scilicet spiritum superbiæ & discordiæ, procurasse, ut *Franci* terga verterent. *H. Rabanus* *Maguntinus* obiit, cui *Karolus* succedit, (qui & obiit anno Domini 862, cui successit *Lutbertus*, qui obiit anno Domini 881.)

**L**ODEWICUS II. filius *Lotharii*, imperat annis XX. Isti apparuit genitor ejus *Lodewicus* primus in somno, adjurans eum per nomen S. Trinitatis, ut eum eripiat à tormentis. Ob quod, ad diversa loca datis elemosynis, filius patri succurrebat. Unde datur intelligi, quod, licet idem plura bona fecit; quia tamen multa mala permisit, nec correxit in regno, prout potuit, hæc passus fuerit. *H.* Iste *Lodewicus* univit Ecclesiam *Hamburgensem*, tunc à *Danis* everfam, cum Ecclesia *Bremensi*: sic, quod Ecclesia *Bremensis*, quæ prius erat sub *Coloniensi*, fit *Archiepiscopatus*. Cui tunc præfecit *S. ANSCHARIUM*, monachum *Corbeiensem*, *Gregorio* quarto & *Nicolao I.* Papis confirmantibus. Subjecit etiam tunc Ecclesiæ *Bremensi* terras *Danorum*, *Suecorum* & *Slavorum*, mittens eundem *Anscharium* cum *XIV.* insignibus monachis dictæ *Corbeix*, ad prædicandum *Slavis*, *Suecis* & cæteris populis borealibus: qui Deo auxiliante multos ibi converterunt; & in terra *Rugianorum* solemne funda-

(t) *Lotharii* Imperatoris filius *Ludovicus* in Italia nomen Imperatoris gessit. Alter filius *Lotharius* sub Regis nomine ditiones, inter Regnum *Caroli Calvi* & *Ludovici Germanici* sitas, possedit; tertius *Carolus* brevi tempore in Provincia regnavit.



fundabatur oratorium in honorem *S. Viti*, eorum patroni. Sed Slavi monachis recedentibus ad vomitum reversi, religionem verterunt in superstitionem, Sanctumque *Vitum* cum suis Diis pro Deo venerantes, *Suantepit* Slavicè nominabant. Circa illud tempus *Dani*, *Northmanni*, & ceteri, de (u) inferiori Scythia egressi, multas terras, præcipue *Angliam*, *Franciam* & *Lotharingiam* pervagantes vastaverunt, præcipue *Thungrim*, *Leodium*, *Trajectum*, *Coloniam*, *Treberim*, *Methim*, *Turonum*, *Gandavum*, & *Parisiis* incendentes. Palatium quoque *Aquisgranæ* stabulum equorum fecerunt. Ad ultimum terram possederunt, quæ adhuc ab eis dicitur *Northmannia*. Spec. Hist. lib. XXV. c. 36. Cum istis erant *Gotbi*, *Slavi*, *Wandali* & *Saxones*, quorum Reges erant *Rollo* & *Sigefrid*. *Rollo* tandem pacem fecit cum *Karolo* sequenti, cujus filiam duxit *Gyslav*, accipiens terram *Frisonum* in dotem, & baptisatus dictus est *Geofridus*. Versus:

*Tunc Rex Danorum baptismum cepit Heroldus,  
Filius ipsius, cum matre, puer Manigoldus;  
Et reliqui populi christina tulere sui.*

Rex etiam *Bulgarorum* sive *Hunnorum* cum gente sua baptisatur, & renuncians seculo fit monachus, relinquens filio suo regnum. Cum autem filius ad gentilitatis ritum rediret, pater cum adhærentium potentia, filium comprehendens incarcerat; & altero filio in regnum locato, habitum sacrum resumit, in quo feliciter perseveravit. *Honorius*. Anno *Lodewici* XV. fuit magna inundatio aquarum, & fames maxima per Germaniam & Galliam, ut multi carnibus caninis, equinis & humanis vescerentur: & in (y) Gallia tribus diebus apud *Brixiam* sanguis de cælo pluit. Item in Galliis locustæ præcesserunt famem & pestem. Translatio *S. Marini*, cujus etiam templum prædicti infideles incendebant. *Johannes Scotus*, discipulus *S. Rabani*, transtulit *Hierarchiam S. Dionysii* de Græco in Latinum, ad preces illius *Lodewici*; & idem eruditissimus jussu *Karoli* sequentis scripsit super eandem *Hierarchiam*. ipse tandem à suis scholaribus stilis confossus interiit. *Lotbarius*, filius Imperatoris, dimissa uxore legitima superduxit aliam; propter quod vocatus à *Papa Nicolao*, & non comparens, excommunicatur. Postmodum veniens reconciliatus, dum de Italia rediret, pene suos amisit in pestilentia viâ. Et ob idem plures Episcopi Regi adhærentes, præcipue *Treverenensis* & *Coloniensis*, per Papam sunt privati honoribus & destituti. (Iste enim *Papa* deposuit *Treverensem* & *Coloniensem* Archiepiscopos. XI. q. 2. c. *Regnaldus*, & q. 2. c. *Deus* & seqq. d.) Porro

*NICOLAUS* primus, Romanus, sanctus, sedit annis IIX. m. II. d. XX. Iste concessit *Sequentias* in missa cantari, quas primò fecerunt Monachi *S. Galli*, diœcesis *Constantiensis*. *Karolus* Archiepiscopus *Maguntinus* obit, cui *Lutbertus* succedit. Corpus *S. Clementis* mari ficcato Romam deportatur, à *S. Cyrillo* Slavorum Apostolo. In provincia *Maguntina* spiritus malignus, domos quasi malleis pulsans, homines multipliciter infestabat in tantum, ut quamcunque domum tangeret, urebatur. Presbyteris autem letaniam agentibus, & aquam benedictam spargentibus, inimicus ille lapides jactabat, & multos vulnerabat. Tandem conquiescens confessus est, se sub cappa talis sacerdotis, sibi familiaris, latuisse, quando spargeretur aqua, accusans eum, quod cum filia procuratoris lapsus esset in peccatum. *Honorius*. *S. Meigenhardus* Heremita occiditur, cujus interfectores produntur à corvis, quos nutrit, sepultus ad Heremum (z) *B. Virginis* diœceseos *Constantiensis*.

*ADRIANUS* II. Græcus, sedit annos V. ex patre *Calario* Episcopo. Instituit, ut Imperator se non intromittat de electione *Papæ*. De hoc LXIII. Dist. cum *Adrianus* & XI. quæst. 3. Theog. Circa hoc tempus *S. Etmundus* Rex Anglorum, occiditur à Rege Danorum.

*JOHANNES* VIII. sedit annos X. m. II. cui dicitur præcessisse *ADRIANUS* *Papa* III. annis duobus, mensibus duobus.

875. **K**AROLUS CALVUS, septimus Karolorum, & secundus Rex, succedens patruo suo *Lodewico*, imperat annis (a) XII. Ipse cepit duos filios fratris sui *Pipini*, & attonfos trufit in monasterium. Iste *Karolus* multas Ecclesias construxit & destructas à *Northmannis*, reparavit. Historias composuit multas. *Cives Apostolorum*, Responsorium idem composuit. Fratres sui contra eum diu pugnantes, tandem secum concordantes, regnum dividerunt in quatuor tetrarchias, tempore patris sui inchoatas: ita quod unus in *Italia*, alter in *Gallia*, tertius in *Aquitanea*, & quartus regnaret in *Germania*. Sol eclipsatur, ut hora diei nona stellæ viderentur; & secuta est inundatio tanta, ut etiam Ecclesiæ absorberentur, ubi etiam prius nulla fuit aqua: factaque est taliter locusta gravissima, habens fenas alas, sex pedes, & duos dentes, lapide duriores. Quam secuta est tanta fames in *Germania* & *Gallia*, ut pene tertia pars hominum interiret. H. Anno Domini 880. *Northmanni* urbem *Treberorum* usque ad solum demoliti sunt, omnesque, quos ibi reperierunt, gladiis occiderunt, ipsamque urbem & monasteria omnia igni succenderunt. In *Chronica Treberorum*.

*Lutber-*

(u) interiori. (y) Italia Cr. (z) prope Beatam Virginem ad Heremum (Kinsidelen) (a) X. Cr.



*Lutbertus* Maguntinus Episcopus obiit, cui (b) *Dorolfus* successit. Quo statim occiso, *Hatto* successit anno Domini 914.

MARTINUS II. sedit annum unum, menses V. Corpus S. Kalixti ducitur in Franciam. *Sarraceni* multa mala fecerunt Christianis. *Karolus* (c) Imperator, cum inconsulte vellet experiri cujusdam militis fortitudinem, & solus esset cum eo congressus, milite ignorante, quis alter esset; peremptus est Imperator, & succedit

KAROLUS dictus *Grossus*. Imperavit annos III. Iste quia *Normannis* resistere non potuit, concessit eis (d) partem ultra *Secanam* fluvium, quæ adhuc nomen *Northmannia* ab ipsis fortitur. Iste *Karolus* videns visionem de pœna patris & aliorum parentum, cognatorum & Pontificum suorum, imperio relicto, vitam privatam duxit. Quem secutus est fratruelis ejus sequens. H.

888. ARNOLFUS, filius *Karlmanni*, imperat in Almania annos XII. *Hugo* vero per Italiam. Iste *Arnolfus* bello cœlitus administrato, *Northmannos* & *Danos* abegit, qui jam XL. annis Galliam vastaverant; quorum etiam centum millia prostravit, & nullus Christianorum repertus est cecidisse. Verum quia de hoc superbiens. Deo gloriam non dedit, nec Ecclesias, quas patres ejus construxerant, fovit; & quia *Ungaros*, gentem immundissimam, carne cruda pro cibo, & sanguine humano utentem pro potu, eduxit, & eorum auxilio dictam stragem fecit; ideo miserrime periit, confusus à pediculis. Cujus sepulchrum monstratur *Ratisponæ*. Tunc enim primitus *Ungari*, egressi de *Scytia*, *Pannoniam* cœperunt inhabitare, *Avaris* rejectis. Differunt autem in hoc *Ungari* à *Frisionibus* & *Britonibus*, quod illi missilibus, isti vero sagittis occidunt. Tunc etiam *Ungari* *Saxoniam* vastaverunt. *Danorum* Rex inter alia deltruxit civitatem *Slavorum* nobilissimam, nomine (e) *Minea*, (in finibus *Slaviæ*, Teutonice *Wenland*, prope *Mekelenborg*, ubi nunc *Saxones* sunt stagnales.) Hæc civitas nihil non habuit jucundi ac rari. Maxima fuit civitatum Europæ, cujus hospitalitate moribusque nulla gens honestior aut benignior poterat inveniri. Ibi fuit templum plurium Deorum, quorum idolum principale dicebatur *Redegast*. Istorum terram nunc possident *Saxones*, *Slavis* in villis adhuc manentibus. Et terra quondam *Balsamia*, nunc dicitur *Marckmania*, & portio ejus *Pomerania*; alia (f) *Rujania*, *Wandalia*, &c. Dux *Bohemorum* *Borzvi* baptisatur cum *S. Ludmilla* uxore ejus, de quibus natus est *Vraislagus*, pater *S. Wenceslai*.

ADRIANUS (g) tertius, sedit annum unum, menses III. Quem secutus est *Formosus* annis V. m. VI; qui post mortem extractus à sepulchro, degradatusque usque ad statum laicalem, projectus est in *Tyberim*. De quo dicitur, quod à piscatoribus inventus, dum ad *Basilicam S. Petri* portaretur, imagines Sanctorum se inclinantes, ipsum salutaverunt. H.

BONIFACIUS VI. *Tuscanus*, sedit annos VI. d. XV, quem præcessit *Sergius* intrusus, non ponendus in *Catalogo* *Paparam*, qui & *femina* dicitur fuisse.

STEPHANUS Sextus Romanus, sedit annum unum, menses III. dies XXII; post quem venit *Theodorus* secundus, sedens dies XXVII, qui *Formosum* cum factis suis reconciliavit Ecclesiæ. Inde venit *Papa Romanus*, natione Romanus, mens. III. d. XXII.

LODEVICUS III. filius *Arnolfi*, dictus *Infans*, ultimus *Karolorum*, imperavit in Almania annos III. (h) Quo mortuo, videntes *Teutonici*, quod *Italici* regnare cepissent, scientesque, quod dignitas Imperii esset eis assignata in persona *Karoli I.* & à *Papâ* confirmata; elegerunt Ducem *Francorum*, nomine *Cunradum*. De quo infra. Versus:

Iste puer pietate valens, tribus impemt annis,  
Ultimus est iste *Karolorum* germine sanguis;  
Attamen à latere germina *Karlus* habet.

Hic enim *Ludewicus* duxit uxorem *Mechildam*, sororem *Otonis* primi, Ducis *Saxonum*, filiam *Ludolfi*, de stirpe *Magni Wedekindi*. Iste autem *Ludolfus* Dux *Saxonum* Romam causa devotionis profectus, reliquias SS. *Præfulum Anastasii* & *Innocentii*, impetratas à *Papa Sergio III.* de quo infra, detulit in *Saxoniam*: in quorum honorem primò cœnobium *Sanctimonialium* in *Brantesbusen*; postea verò quarto anno construxit aliud solennius in *Gandersen*, hæreditate sua illic attributa, & filia sua *Hadamoda* prima *Abbatissa* *Dominarum* secularium constituta. Ecclesiam illam dotavit XI. millibus mansis, juxta numerum XI. millium SS. virginum. Iste *Ludolfus* genuit dictam *Mechildam*, quam duxit uxorem ultimus *Ludewicus*

Tttttt 3

prædi.

(b) *Gundorolfus* MS. Cr. (c) obtigit hoc *Caroli Calvi* filio, sed qui non regnavit. (d) partes, quas inhabitabant, & hodie nomen habent ab eis. Hæc MSC. Cruc. sub *Carolo Calvo*. (e) *Vineta*. (f) *Rujania*. Cr. (g) *Adrianum* hunc omittit MSC. Cruc. Post *Formosum* ibi ponitur: *Stephanus V. sedit annos quinque*. Sed hic *Stephanus V.* ab alio *Formoso* præmittitur. (h) XI. Cruc.



prædictus. Idem *Ludolfus* (i) genuit tres filios, quorum primus, nomine *Bruno*, pugnaturus contra Danos, inundatione repentina periit (k) sine prole : à quo *Brunswick* civitas nomen habet ; quæ tamen & ab alio fratre *Tancwordo* scribitur in multis antiquis literis *Tancworde voërde*. Tertius autem filius *Ludolfi* erat *Otto* primus, non Imperator, sed Dux Saxonie, vocatus pater patriæ ; quem, *Ludovico* Imperatore mortuo, omnis populus Francorum & Saxonum quærebat assumere in Cæsarem : sed ipse, quia jam ætate gravior, recusavit imperium. Ejus tamen consilio electus est *Conradus* primus, infra sequens. De isto *Ludolfo* & suis scribit T. E. in poësi Ducum B. sic :

*Tancwardus, Bruno, fratres animo simul uno,  
Isti fundabant Brunewick & situabant. (l)  
Ludolf Ecbertum genuit, virtute refertum.  
Ecclesiam sancto construxerunt hic Cyriaco.  
Post hæc Assiborch ; idem construxit Olesborch.*

Unde *Henricus Rosla* :

*Nomen Brunonis, qui fundator fuit urbis ;  
Contra Danos bellum movit non alite dextro.  
Cujus & Ottonis fratris, qui primus ad arcem  
Eligitur regni, licet illud spreverit ipse ;  
Cujus emt natus Henricus, Saxonicus Rex.*

BENEDICTUS IV. Romanus, sedit an. l. m. II. Inde LEO V. dies XL. CHRISTOPHORUS primus, sedit menses VII ; qui de papatu ejectus, factus est monachus, quia papam *Leonem* prius incarceravit.

SERGIUS tertius, Romanus, sedit annos VI. menses IV. dies XVIII. Iste *Formosum* Papam degradavit. Iste est, qui *LUDOLFO*, Duci Saxonum, reliquias donavit. *Ungari* per *Karolum* ultimum, ut dictum est, in terram Christianitatis educti, multa mala Christianis intulerunt. Nam *Bavariam* intrantes, cum ex eis *Lodewicus* Imperator plus quam mille interfecisset, reputans se triumphasse ; *Ungari* callidi, positis insidiis, fugam simulabant ; quos Regis milites, doli ignari, insequentes, interimuntur. Inde (m) *Bavariam* ; *Sueviam*, *Franciamque* percurrunt, omnia vastantes anno Domini 900. Inde fines *Saxonie* vastantes, multos occiderunt. Mulierum quoque ingentem turbam, nobilium, liberarum & ancillarum, per crines veluti loris connexatam, nudam & mamillis perforatam, secum cum puerulis duxere captivam. Post hæc *Bavari* contra *Ungaros* pugnantes, victi sunt & prostrati. *Saxonia* denique & *Thuringia* pene vastatis, *Alemaniam* pecunt, *Basileam* destruentes ; *Alsatiamque* & *Lothringiam* impugnantes, totam fere Christianitatem tributariam fecerunt. Illos autem viros & mulieres, eductos de *Saxonia*, collocaverunt in finibus *Ungariæ* juxta *Thraciam* : unde usque hodie in illis locis linguis utuntur *Teutonicis*, & ab *Ungaris* *Saxones Transilvani* nuncupantur. *Cosmodr.* & *Honorius*. *Gunderoldus*, Episcopus *Maguntinus*, occiditur à paganis ; pro quo *Hatto* constituitur. Iste nobilem *Adelbertum*, cognatum *Ottonis* primi, tradidit *Lodewico* Imperatori. Cum enim Imperator dictum *Adelbertum* vincere non posset, dixit *Hatto* : *Ego providebo, ut ad te veniat ; tu curato, ne recedat.* Venit ergo *Hatto* *Bambergam*, ubi morabatur *Adelbertus*, quasi ei consulturus, ut gratiam Regis acquireret : jurans, si secum iret, sanum & salvum eum reduceret. Rogatus autem Episcopus, antequam exirent, prandere, callide renuens, postquam in campum venit, ait : *O quam sæpe petiit, qui oblata spernit. Tædet me longioris viæ & tardioris hora ; Jejuni non possumus toto die ambulare.* *Adelbertus* de hoc gavissus, revertitur in castrum cum Episcopo ; sicque tradidit eum *Ludowico*, putans se satisfecisse juramento, quia cum eo rediit in castrum. Iste *Hatto* devoratus est à muribus in *Rheno* ; tum, quia jurare consuevit : *Si non dico verum, mures me devorent* ; tum, quia multitudinem pauperum tempore magnæ famis cremari fecit in horreo ; tum quia nobilem istum tradidit Imperatori, ut dictum est, qui fecit eum decollari. Idem *Hatto* visus est mortem à dæmonibus in puteum *Æthna* præcipitari, dæmone in aëre clamante :

(i) quatuor reliquit filios Cr. (k) verba: sine prole, omittuntur in MSC. Cruc. leguntur autem ibi sequentia : secundus *Egbertus*, tertius *Tancwardus*, quartus fuit *Otto*, vel, ut antiqui scripserunt, *Oildo*. *Tancward* construxit civitatem, quam à se nominavit *Tancwardwerd* : *Bruno* complexit eandem, vocans nomine suo *Brunswick*. MSC. Cruc. (l) Post hunc versum in MSC. Cruc. leguntur sequentes :

*Quartus erat Otto, fratrum qui primus ad arcem  
Eligitur regni, licet illud spreverit ipse.  
Cujus erat natus Henricus, Saxonicus Rex.  
Hic Ludolfe pater fueras, Egbertique frater ;  
Ecclesiam Sancto construxerat &c.*

(m) *Bavarorum*, *Suevorum*, *Francorumque* regna. Cruc.



mante : *Sic peccata lues, sicque ruendo ruas.* Ordo CLUNIACENSIS cœpit sub Odone Abbate; cujus monasterium fundavit *Wylhelmus* Princeps, factus monachus ibidem : (de quo mira leguntur, & ejus socio *Reynewarti* in gestis Marchionis ejusdem.)

**B**ERENGARIUS (n) primus, prudens & bonus, imperat in Italia annos VI. Post quem venit *Berengarius secundus*, regnans in Italia annos IIX. Tunc etiam Constantinopoli quidam, nomine *Romanus*, Imperator Græcorum, constituit filios suos, *Stephanum & Constantinum* Imperatores, qui tamen tonsis capitibus trufi sunt in monasterium. De quibus in *Spec. Hist.* lib. 25. c. 62. Inde *Berengarius tertius* regnavit in Italia annos VII; & tunc *Lotharius II.* in Italia. Post quem *Berengarius IV.* cum filio suo *Adelberto* annis XI. & sic eorum regnum duravit usque ad *Ottonem primum.*

**C**ONRADUS I. Dux Francorum, filius *Conradi*, quem occidit Comes *Adelbertus*, nepos *Ottonis* (scilicet Ducis Saxonie per matrem *Babam*) regnavit in Almania annos VII, *Ottonem* cedente imperio & decedente mundo. Cui filius *Hinricus* natus est, mundo necessarius; cui pater moriens totius Saxonie ducatum reliquit. Versus:

*Semine Karlorum jam deficiente virorum,  
Surgit Conradus lateris cognatus eorum.  
Conrado primo natus non extitit heres.*

Iste consilio *Hattonis* misit exercitum validum contra prædictum *Henricum* Ducem Saxonie; ubi Saxones tanta cæde bacchati sunt in *Hattonem* & exercitum Regis, ut à mimis declamaretur: *Ubinam esset tantus infernus, qui tantam casorum multitudinem capere possit.* Ungari vastaverunt Franciam Occidentalem anno DCCCCX; & anno VI. post hoc vastaverunt *Thuringiam & Franciam Orientalem.*

*Hic Rex Conradus fortis fuit, ut leopardus.  
Hartesborch iste construxerit, & tibi Chrifte  
Ecclesiamque pio postea Valerio. T. E.*

Fundavit (o) autem Ecclesiam istam *Canonicorum secularium* in castro *Hartesborch* anno imperii sui quinto, in honorem S. *Valerii*; quod monasterium transtulit *Henricus III.* Imperator postea in *Goslar*, ubi fundavit Ecclesiam, quam per beatissimum Papam *Leonem* (p), cooperantibus sibi 73, *Episcopis &c.* fecit consecrari in honorem B. *Virginis & SS. Simonis & Judæ*: ut scribitur in *Chronico Goslaricnsi.* (*Conradus* anno regni sui septimo, cum ægrotare cœpisset, Principes regni convocans, excepto *Henrico* Duce Saxonum, dixit: Tempus vocationis meæ agnosco; proinde pacem concordiamque sectari vos, ipse rogito. Me hominem exuente, nulla vos regnandi inflammet ambitio. *Henricum* Saxonum *Thuringorumque* Ducem prudentissimum, Regem eligit Dominumque constituite. Is enim & sapientia polens est, & justæ severitatis censura abundans. Quibus in hæc verba consentientibus, vocat fratrem suum *Eberhardum*, sicque alloquitur illum: Sentio, frater, me diutius vitam istam tenere non posse. Idcirco considerationem tui habeto, meo, fratris tui, intendendo consilio. Sunt nobis copiarum exercitus, sunt urbes & arma cum Regalibus insigniis, & omne, quod decus imperii deposcit, præter fortunam & mores. Fortuna *Henrico* Duci cedit; rerum publicarum summa apud Saxones est. Sumtis ergo his insigniis, *armillis scilicet aureis cum eblamyde, & veterum gladio Regum ac diademate*, ito ad *Henricum*, pacemque facito cum eo, ut eum fœderatum possis habere in perpetuum. Quid enim necesse est, ut cadat populus Francorum tecum coram eo. Ipse enim verus Rex erit & Imperator populorum. His dictis lacrymans frater se dixit consentire. Post hoc Rex moritur, omnium virtutum insignibus clarus, sepeliturque in civitate sua *Wilinaborch* cum lacrymis Francorum. Ut ergo Rex imperavit, *Eberhardus* *Henricum* adiit, seque cum omnibus thesauris illi tradens, pacem cum eo fecit amicitiamque promeruit, quam fideliter familiariterque usque in finem obtinuit. Hæc in *Chronica Monachorum de Amelungsborn.*)

**ANASTASIUS III.** Romanus sedit a. II. m. II. *Hatto* Maguntinus obit, cui *Herigerus* succedit anno Domini 927, & illi succedit *Hilbertus*, qui obiit anno Domini 937. DANDO Romanus sedit menses V; post quem venit *IOHANNES X.* Romanus, filius *Sergii* Papæ. Sedit a. IV. m. II. d. III. Strangulatus est à Romanis.

**H**ENRICVS primus, filius *Ottonis* Ducis Saxonum, imperat annis XVIII. Hic inventus in aucupio, dum assumeretur ad imperium, dictus est AUCEPS. Noluit coronari, dicens: *Satis est mihi, ut præ majoribus meis Rex dicar: penes nobiliores sint unctio & diadema. Tanto honore*

(n) Berengarii regnaverunt in Italia. Primus *Cruc.* (o) Imò *Conradus II.* Pater *Henrici III.* (p) *Leonem IX.*



nore nos arbitramur indignos. Iste sermo placuit omnibus. Ipse duxit filiam *Tyderici* de genere Magni *Wedekindi* uxorem, nomine *Mechildam*, quæ religiosissima, multa bona fecit. Fundavit cœnobia, Sanctimonialium (q) in *Northusen*, quod tamen jam mutatum est in Canonicos seculares; item, monasterium Ordinis (r) Præmonstratensium in *Poilde* prope *Herzberg*, quod sic dicitur, quia in palude fundabatur; (tertium in *Caufungen*. Versus:

*Henricus primus rex, pietatis amicus,  
Goslare fundator civitatis eratque parator.  
Huic Contobialis Mechildis erat specialis,  
Præmonstratenses in Polde dedit sapientes,  
Northuse pulchras statuit, Caufungque puellas.  
Virtutum plena Quedelingburg est sub arena.*

Ibi enim sepulta est ipsa & Henricus.) Henricus iste, in factis armorum strenuissimus, totius religionis amator, operibus misericordissimus, inter cætera bona fundavit in Almania ultra XX. (s) Ecclesias, quas & abundanter dotavit, pro dominabus secularibus; quæ *Canonice* nominantur. Utentes habitu *Canonicorum regularium Ordinis S. Augustini*, nullam tamen profitentes religionem, nubunt in domino, quando volunt. Inventæ sunt autem pro sustentatione nobilium, pro fide Christi ab infidelibus occisorum, ne talium filia cogentur mendicare, sed in illis monasteriis sustentatæ, cum ad statum nubilem provenissent, vitam eligerent, quam vellent. Possunt enim ibidem profiteri & perpetuè manere; vel recedendo maritari. Quibus inter cætera voluit *Quedelinburch*, prudentium virginum intitulum, sicut & avus ejus *Gandershem*, fore principale. H. Ungaros (t) tunc iterum Alsatiam, Franciam, Saxoniamque vastantes, humiliavit. Tunc enim Romani Principes tributis suberant. Vngarorum: ipse autem, Principum consilio congregato, quæsit, quid opus esset in hoc facto? Cumque singulariter diceretur: non esset tutum, tributum non præstare; ipse solus contradixit, dicens: *Injustum esse, Christianos canibus subesse*. Tandem omnes Principes consentientes, fideles se ei promittebant; sicque legatis Vngarorum canem brevem & spissum, auribus & cauda decurtatum (u) præsentans, Vngarorum Regi transmisit, dicens: *aliud se à Christianis non habituros tributum*. Quibus perceptis Vngari commoti, Christianos in duobus locis exeuntes invadunt; pars eorum una, per terras Bavarie & Franconie venit in Thuringiam usque in castrum, inde nominatum (x) *Gicheborg* prope *Northusen*, illud obsidendo: alii vero per *Pruciam* Saxoniam intrabant cum L. millibus armatis. Quibus Imperator occurrit cum XII. millibus; quorum tamen, hostibus perceptis, vix quatuor millia secum permanserunt. Imperator autem dixit: *Memineritis fratres, quod non in multitudine populi, sed de supernis est victoria. State viriliter pro cultu divino, pro uxoribus & filiis vestris: & quia (y) Deus est in causa, ipse erit merces operis*. Promisit etiam pro adipiscenda victoria, se simoniam à regno penitus eradicaturum. Sic ergo suis confortatis, Deo disponente, nebula mane divinitus immissa est tanta, ut inimicos accederet invisus; quos incautos perterritus atque attrivit, & persequens fugientes, quasi pene delevit: sicque jugum Vngarorum cessavit. (Nota: in *Chronica Monasterii S. Michaelis Hildens.* habetur: Ungari tantam cædem in Saxonia fecerunt, ut ultimam desolationem minarentur. Contigit igitur, quendam ex Principibus Vngarorum capi; quem ipsi in tantum dilexerunt, ut innumera auri & argenti pro eo pondera offerrent. Rex autem Henricus, spernens aurum, nihil aliud admisit, nisi pacem vel inducias novem annorum; in quibus, ex agrariis semper nonum eligens, in urbe fecit habitare: præcipiens, ut suis octo confamiliaribus habitacula construeret, frugum omnium tertiam partem ab illis reciperet & servaret; Octo vero seminant & metent, frugesque nono præsentarent, suis locis recondendas; ut in pace discerent, quid contra hostes in necessitate facere deberent. Vilia vero & nullius pretii extra urbes manere permittit. Tali igitur lege & industria cum cives asvesceret, repente irrut super Slavos, qui dicuntur (z) *Hevelli*, ac ferro fameque cepit urbem *Brandenborch*. Cum qua omni regione eorum potitus, signa vertit in *Daleminciam*, & obsidens urbem *Grane*, cepit eam 20. die. Prædâ igitur urbis militibus traditâ, puberes omnes interfecti, pueri & puellæ servati sunt captivati. Posthæc adiit *Pragam* Bohemorum: urbem ducemque accepit in deditionem, qui pater erat *Bolezlai*; qui quamdiu vixit, fidelis & utilis Regi fuit. Bohemiâ igitur facta tributariâ, Rex reversus est in Saxoniam. Convocato consilio, taliter eos est affatus: Olim ex omni parte confusum à gravibus periculis imperium nostrum, quo modo

(q) Dominarum secularium. Cruc. (r) Nondum tunc noscebantur Præmonstratenses, à *Norberto* demum orti. (s) Cœnobia Cr. (t) MSC. Crucianum ita: Ungari Legatos Imperatori miserunt pro tributo, quod à præcedentibus consueverunt habere. Imperator igitur, consilio convocato, quæsit, quid esset agendum? Cumque dicerent, tributum non negandum, cum Ungaris resistere non possent; Respondit Imperator: injustum est Christianos &c. (u) decurtatis MSCta. (x) *Jecheburg*. Cr. (y) s. quia Dei est causa, (z) ad *Havelam* sita.



modo fit liberum, vos ipsi scitis. Nunc propitiâ nobis summa divinitate, nostro labore vestraque virtute est pacatum; barbaros cernitis superatos & servituti subiectos. Quid superest? necesse habemus, ut contra omnes hostes avaros pariter confurgamus, ne thesaurum, divinis officiis sanctificatum, dare cogamur Dei inimicis pro nostra redemptione. Ad hoc omnis populus levavit voces in cœlum, inquiring, se à Deo vivo redimi summè desiderare, operam suam promittens. Ungari igitur intrantes Thuringorum fines, *Merzeborch* castrum in confinio Saxonum destruunt. Bellum incipitur; ex parte Christianorum *Kyrie eleison* dicitur: ex parte aliorum, turpis & diabolica vox: *biu, biu, biu* auditur: Inito certamine, Dei nutu 934. Ungari cœduntur & fugantur; Rex & sui victoria decorantur. Rex igitur, ut dignum erat, gratiarum actiones honori divino exsolvens, tributum, quod hosti huc usque consuevit solvi, divino cultui mancipavit, ac in usus pauperum distribuit. Post hæc Rex ab omnibus *pater patriæ* est appellatus. Hoc in *Chronica* supra adducta. Multa deinde loca, per Ungaros vastata, reparavit; præcipuè *Basileam*, quæ dicta est *Augusta Magna*; cujus Ecclesiam cathedralem muneribus cumulavit. Regem etiam Danorum, nominatum *Worm*, quia tyrannus crudelis erat, adeo perterritus, ut pacem suppliciter posceret & impetraret. *Bobemos* & *Sclavos* ita prælio percussit, ut ceteri, qui perpauci remanserant, & Regi tributum, & Christo fidem, ultro promitterent. (Anno 915. multi mortui vivis apparuerunt; veniam & gratiam desiderantes in loco *Walleleve*, forsan interfecti in conflictu *Conradi* Cæsaris & *Henrici* primi propter malitiam *Hattonis*, de quo supra in *Conradus Primus*.) Idem *Henricus* impetravit à *Rudolfo* Rege Burgundorum precibus & minis lanceam Domini; per quam de hostibus sæpe triumphavit, eamque cum aliis reliquiis & clenodiis imperialibus *Ottoni* filio suo reliquit, ut semper in Imperatorum tutela permanerent. Ipse *Mersborg* civitatem, ab Ungaris vastatam, muro cinxit & reparavit; & *Misenam* civitatem, quam à rivo ibi surgente sic nominavit, construxit, & *Goslariam*, & *Quedelingborch* cum aliis. Unde legitur in *Chronico Amelungsbornensi*: Locum illum, qui nunc *Goslar* dicitur, *Henricus* Imperator adire frequenter venandi gratia consueverat. Nam nemorosus erat, & urforum, cervorum, caprearumque venatu insignis. Erat eo tempore in isto loco homo quidam pauper, nomine *Gundelkarl*, parvum ibi habens tugurium, in quo Rex post venationem venire solebat. Cui idem, spe majoris mercedis, focum præparare, cibos coquere, ipsosque mensæ Regis, à venatu venientis, consuevit inferre. Quod cum crebrius fecisset, atque suam substantiam expendisset, Regem, ut servitii sui memor esset, admonuit. Cui tandem Rex optionem à se petendi dedit, quod vellet. Ille optione sibi data, nihil aliud petiit, quam ut mons contiguus, qui *Ramesberg* nunc dicitur, sibi traderetur. Rex, ut erat liberalissimus, concessit, dicens, *se velle, quod utiliori sibi petiisset*. Nec mora, homo iste non ignorans, quantum utilitatis mons haberet, *Franconiam* adiit (erat enim *Franco*) & plures gentis suæ viros socios secum sumens, locum ædificare cœpit; venas metallorum, cupri, plumbi & argenti reperit, ditatus ultra modum; sicque plures accurrentes civitatem ædificant. Sic locum illum alienigenæ fundantes, Saxoniam cesserunt. Unde adhuc montem ibidem quendam *Franckenberg* nominant. Unde Poëta *T. Emb. Longus*:

*Sylvæ scrutator, cervorum concomitor  
Ramme fuit dictus, ramorum pertulit istus;  
Est mox tantillo Rammesberg dictus ab illo.  
Uxor hujus Goza: nunc est ex hac aqua Goza.*

*Henrico* Imperatori *Karolus* Rex Francorum manum misit *S. Dionysii*, cum aliis reliquiis preciosis, auro gemmisque inclusis, dicens: *Hoc habeto pignus fœderis perpetui & amoris vicarii, partem hanc scilicet unci solatii Francorum.* Postquam enim nos *S. VITUS* ad nostram perniciem deseruit, & ad vestram perpetuam pacem Saxoniam visitavit, à nobis nec civilia, nec externa cessaverunt bella. Iste *Henricus* cum anno vitæ suæ LX, regni vero XIX, causa devotionis Romam pergeret, gentibus circumquaque perdomitis, plenus dierum feliciter obdormivit in Domino in (a) *Remelle*: cujus corpus à suis translatum est *Quedelenborg*, in Basilicam *S. Petri*, quam fundavit, cum lacrymis plurimorum. Dereliquit autem filios, quorum unus dictus est *Bruno*, postea factus Episcopus Colonienfis; Secundus *Otto Magnus*, de quo infra; tertius *Henricus Probus*: & filias, quarum (b) unam fecit Abbatissam in *Quedelinborg*; aliam, dictam *Gerborech*, tradidit in uxorem *Gyselberto* Duci Gallix; quo mortuo, eadem nupsit *Lodewico* Regi Franciæ. Versus:

*Henricus Dux Saxonicus regnare vocatur,  
Noluit imperium sumere, rite datum.  
Invenere Ducem, veterano more sedentem,*

*Aucupis*

(a) Memeleve. (b) primam. Cr.

Uuuuuu



*Aucupis officio sua retia perficientem,  
 Ille modicas caperet insidiantes aves.  
 Et quia simpliciter fuit his presentibus auceps,  
 A modo perpetuo cognomine dicitur Auceps;  
 Cum tamen egregium mundus haberet eum.  
 Cogitur in Regem tandem reverenter inungi,  
 Nulla tamen capiti missa corona fuit.  
 Ex hoc Henrico Rex primus nascitur Otto,  
 Cujus & egregia nunc gesta referre peropto.*

(Hoc tempore regnavit in Anglia post Edwardum *Eghelstanus* vel *Edgarus* annis XV: quo nascente audita est vox dicentis: *pax Anglia, quamdiu puer ille regnaverit & Dunstanus vixerit.* Is nullum fere annum regnavit, quo non novum Monasterium fundavit, aut antiquum ædificiis, ornamentis, libris & prædiis decoravit. Subjecit sibi multa regna. Volens autem non solum malos homines, sed & feras, sanguinis avidas, exterminare, indixit Regi *Walensium*, ut sibi omni anno tributum solveret pro regno suo CCC. luporum. Quod cum tribus annis fecisset, quarto destitit, nullum se ulterius invenire posse lupum professus. In *Spec. Hist. lib. 25. cap. 83.*)

STEPHANUS VII. annos II. mens. I. dies XVI. Hoc tempore martyrio coronatur *S. Wenceslaus*, à fratre suo Duce Bohemorum interfectus: (cujus mortem Otto sequens graviter vindicavit, *Boleslaum*, qui fratrem *S. Wenceslaum* interfecit, captivando, Bohemiamque vastando. Quibus tamen reconciliatis, Episcopium fundavit *Pragense.*)

JOHANNES XI. sedit annos IV. mensem I. dies XV. Tunc in civitate *Jannensi* fons sanguinis largissime fluxit, forte præterdens illius cladem; quia statim Sarraceni eam hominibus & thesauris evacuarunt. H. Terra motus etiam & ventus vehemens. Sol factus sicut sanguis, & cædes facta hominum in multis partibus horrenda.

LEO VI. Romanus, annis tribus, mens. VI. dies XV. Tunc in regione Vasconia annonam de cælo, quasi pluviam, descendisse ferunt, de qua Imperatori allatum est *Aquisgranum*. STEPHANUS IIX. sedit annos III. menses IV. Germanus fuit natione, sed à Romanis mutilatus.

OTTO I. dictus *Magnus*, pius, & amor mundi; filius *Henrici I.* imperat annis (c) XXXVII. Fuit octogesimus quartus ab Augusto, coronatus ab Archiepiscopo Moguntino *Hildeberto*, qui decessit anno Domini 937. & ei successit *Fridericus*, filius sororis *Otonis*, qui obiit anno 955. Otto iste justissimus fuit; ideo bipennis ejus cotidie pependit coram eo, in signum ulciscendi vindictam malorum: cujus jurare fuit, *Per barbam Otonis.* Iste in principio regni sui gravissimos habuit adversarios. Inimicabatur enim ei frater suus carnalis *Henricus Probus*, Dux Bavarix; filius suus *Ludolfus*, Dux Sueviæ; & *Arnoldus* Dux Noricorum, cujus sororem idem *Henricus* habuit uxorem; *Gisbertus* Dux Lotharingiæ, qui Gherbertam sororem habuit *Otonis*, quæ postea nupsit *Lodovico* Regi Francorum: De quo venerunt *Fridericus* Archiepiscopus Maguntinus (d) & *Lotharius* Rex Francorum. Hos omnes passus intestinos adversarios tandem superavit, sicut *David* inimicos suos. Alia soror *Otonis*, nomine *Hadwich*, nupsit *Hugoni* Comiti Parisiorum, quorum filius fuit *Hugo*, qui postea regnavit in *Francia.* Adversitates autem istæ creduntur ex hoc evenisse, quod matrem suam sanctam *Mechildem* ad quorundam instinctum dotalitiis privavit: quam postmodum reconciliatam, honestissime tractavit & dilexit. Occasio etiam discordiæ ex hoc videbatur fore justa. *Gisbertus* prædictus & *Eberhardus* Comes Palatii suaserunt *Henrico*, fratri *Otonis*, imperium appetere, quia potius sibi, in regno nato, competeret, quam *Otoni*, ante regnum nato; Ideoque juxta *Rhenum* milites *Otonis* graviter offendebantur. Imperatore vero ab alia parte *Rheni* coram lancea Domini in oratione prostrato, victi terga verterunt. *Otto* duxit filiam *Ethmundi* Regis Angliæ, nomine *Edith*, quæ peperit ei *Ludolphum*, & fundavit *Parthenopolin*, Teutonice *Meydeborg*, Augusto tunc in Italia perseverante. Qua feliciter mortua & in *Meydeborg* sepulta, duxit *Albeydam*, relictam (e) *Rodolphi* Ducis Burgundiæ, quæ sepulta est in (f) *Zelze* Diocesis Argentinensis in *Alfatia*; ubi dictus *Otto* duo venerabilia monasteria, unum monachorum, aliud monialium ordinis *S. Benedicti*, de novo fundavit & suo more, opulenter dotavit. Utraque istarum uxorum reputatur Sancta in locis, ubi requiescunt. Ista *Albeid* fuit relictæ *Lotharii* Regis Italiæ, captivata à *Berengario* quarto, qui tunc Romam & Italiam occupaverat. Quem *Otto* debellavit, & illam, de carcere liberatam, duxit uxorem; cujus de primo viro filius fuit *Ernestus*, qui leonem adduxit. (De *Ottone* primo sic legitur in quodam Chronica; erat huic sanctitas domi, in armis fortitudo, & utrobique prudentia. Is Ungaros, Slavos, Bohemos & cæteras nationes, imperio rebelles, multis præliis edomuit; Burgundiones & Longobardos cum Regibus

(c) 35. Cr.

(d) error.

(e) filiam Rudolphi Regis Burgundiæ.

(f) Zelze Cruc.



ipforum in suam potestatem accepit; Græcos in Calabria & Apulia superavit, & multis modis imperii terminos dilatavit. (Sequitur fabula) Eo tempore fuit nobilissimus Bavariæ Dux *Ernestus*, cujus mater *Adelheid* Ducissa. Is in pueritia Latinam, (g) Francigenam & Æolicam linguas didicit, diversarumque scientiarum & virtutum semitas attigit. Mater ejus prædicta, viduitatem amans, honestissime se gessit, nec vir inveniebatur, qui ejus generositati & divitiarum immensitati competeret. Defuncta autem prima uxore Ottonis S. Edithæ gentis Anglorum, præfatam Ernesti matrem Adelheid in uxorem duxit. Unde juvenis ille Ernestus summe ab Imperatore & suis dilectus est. Quod specialiter *Henricus Patavinus*, Comes Rhæni, consanguineus Ottonis invidens, Augusto suggestit, qualiter Ernestus niteretur eum regno cum vita privare, & regnare pro eo. En, inquit, Proceres universi eum miro colunt affectu, & cunctos, quos potest, sibi allicit, donaria dans. Quare consulo: honori & vestræ dignitati videte, quid expediat. Adhæc Imperator: si alius præter te hoc mihi suggereret de tam carissimo, putarem, eum ex invidia hoc facere. Sed de te cognato & fidelissimo meo, non est hoc fas opinari. Unde satis hic dolendum, illic præcavendum mihi video. Mater ejus mihi prædulcissima uxor est, & ipsum præ cunctis mortalibus dilexi & fovi; nam & fidelem eum mihi in omnibus esse probavi; de quo etiam animo sedit, si hæres mihi non foret, ipsum imperii & totius honoris mei hæredem destinare. Sic ergo falso accusatus Imperatori, his perceptis, recessit à curia, visitans cum suis sepulchrum Domini; marique periclitatus, & cunctis suis amissis, solus ipse cum leone reversus est in *Brunsvic*, post mortem illius Ottonis. (h) De mirabilibus, quæ sibi contigisse referuntur in via, plurimæ pinguntur Ecclesiæ Saxonum. De qua Adelheide etiam Otto genuit *Wilhelmum* & *Ottonem* secundum, ducens secum dictum Berengarium, cum filio suo Adelberto & multis captivis, *Babenbergam*, ubi exilio perierunt. (Otto dum rediret ab Urbe, corpus S. Innocentii Martyris secum duxit *Magdeburgum*, cum aliis reliquiis Sanctorum. In via tunc cepit *Papiam* & *Mediolanum*, quæ Regē recedente, monetam ejus respuerunt. Quare Rex regressus, coëgit Mediolanenses de corio incidere nummos, quos ab illis recipi mandavit: constituens per Italiâ denarios, qui ab eo usque hodie *Ottolini* vocantur. Hæc Pantheon. Tunc quædam mulier conquesta est Ottoni, quod quidam eam oppressisset violenter instanter petens vindictam. Cui Rex dixit: *Dum reversus fuero, faciam justitiam.* Et ait mulier: *Domine, forsitan tunc non eris memor hujus injuriæ?* Respondit Rex, digito demonstrata Ecclesia propinqua: *Ecce, inquit, ecclesia sit mihi & tibi in signum memoria.* Reversus ergo de Italia, videns Ecclesiam istam, fecit vocari mulierem. Quæ dixit: *Domine, vir ille jam est meus legitimus, & peperit de eo.* Et ait Rex in vulgari suo: *By Otten Barde, he moit Barden schmecken;* & fecit eum decollari. *Cosmodrom.* Otto item reperit venas auri & argenti *Goslaria*; unde duas Ecclesias collegiatis & nobile palatium imperiale fundavit ibidem. In immensum vero per talem aurifodinam ditatus, tam *Roma* quam alibi, Ecclesias cum Cœnobiis construxit. Ipse *Parthenopolim*, Archidiaconatum Halverstadtensem, fecit Archiepiscopatum, præficiens ei *Adelbertum*, & subjiciens eidem Episcopatus *Citzensem*, *Misnensem*, *Mersborgensem*, *Brandenborgensem* & *Havelbergensem*, cum terra Sclavorum. Ipse Ducem *Boleslaum* Bohemiæ, qui fratrem occiderat *S. Wenceslaum*, captivavit, & *Bobemiam* subjugavit: quibus reconciliatis, Episcopatum *Pragensem* fundavit. *Vngaros* Augustam obsidentes, ad requiritionem *S. Adolrici* Episcopi *Otto* adveniens ita humiliavit, ut vix septem de multis millibus dicantur evasisse. Eo tempore (i) *Lotharius* Rex Francorum, à suis captus, incarceration: unde rogavit Ottonem succurrere. Quod audiens *Otto*, cum XXVII. legionibus ad eum liberandum Franciam aggreditur Occidentalem. Sed fama percepta, metu Cæsaris statim relaxatur. Ipse castrum *Brisack* circa *Basileam* obsedit, in quo *Everhardus* Comes supra dictus habitans, rapinis & incendiis terram vastabat. Erat tunc cum *Ottone* *Fredericus* Archiepiscopus *Maguntinus*, quem *Otto* fidelem reputavit: ipse vero contra, magnates induxit Ottonem deserere inter adversarios. Sicque multis recedentibus, *Otto* cum paucis, confusus in Domino, castrum cepit, *Everhardum* occidit, & *Giselbertum* Ducem *Gallia*, cum multis similiter averfis, interfecit. Deinde *Maguntiam* veniens, illam obsedit, *Fredericum* cepit & in monasterio *Fuldensi* monachari mandavit, *Wilhelmum* filium suum Archiepiscopatu *Maguntino* præficiendo. Similiter *Rotbardum* Episcopum *Argentinensem* sibi suspectum deposuit, & ad Monasterium *Corbejense* detrulit. Ipse etiam fratrem suum fecit Archiepiscopum *Coloniensem* *Brunonem*, cui non est similis repertus in devotione & bono regimine Ecclesiæ *Colonensis*: qui & plurima venerabilia loca in partibus illis fundavit & dotavit: Fecit & *Tidericum* consobrinum suum Episcopum *Metensem*. Iste *Otto* cum *Roma* moraretur, quidam ejus familiaris, arreptus à Dæmone, ductus est ad Papam *Johannem*, ut catena *S. Petri* collo ejus circumdaretur; cumque à fallacibus clericis semel & bis alia catena furenti adhiberetur, nec quicquam remedii proveniret, ubi nihil erat virtutis:

tan-

(g) Francionaru C. Gr.

(h) Iste est Dux Brunsvicensis, qui leonem adduxit. MSC. Contr.

(i) Eodevigne



tandem verâ furenti circumdatâ, Diabolus spumans recessit. Quam catenam Tidericus Episcopus Metensis arreptam, cum diceret, se non nisi manu abscissa dimissurum, quantum manu comprehendit, obtinuit, & voluit. Ipse dedit filio suo *Ottoni* filiam Imperatoris Græcorum *Theophaniam* uxorem; sicque tribus illa affinitate Græcis est conjuncta. Filiam autem suam, nomine *Ricke*, dedit uxorem nobili *Rudolfo* de Bavaria, fratri patris *Savili Conradi*, Episcopi Constantiensis. De eadem *Ricke* venerunt *Welfones*. Idem Otto construxit *Schleswick*, & *Ottensund* nominavit. Uxor ejus supra dicta *Edith*, multum misericors pauperibus, dum multa cotidie tribueret, quodam tempore à Rege prohibita, per eundem tentabatur. Nam ipse pauperis in specie, cum cateris pauperibus expectabat *Edith* venientem; quam & manica apprehendens, petiit sui misereri. Cumque diceret, *se nec audere, nec aliquid habere*: ille subjunxit, *se adventitium, nunc primum ab ea petentem, in tanto festo vacuum relinqui nec debere, nec decere*. Illa dicente, *se præter vestes in promptu nihil habere*: ipse respondit: *vestis particula se bene posse juvari*. Illa miserta, manicam, quam manu tenuit, abruptere permisit; quam pauper putatus abscondit, & illa veste truncata processit. Ad mensam igitur veniens, aliâ veste induta, audivit à Rege: *Cur in festo non indueretur pretiosiori?* & tandem compulsâ tristis, sed in domino confisa, truncatam induit, & integra videbatur. Quo viso Rex, partem abruptam ostendens, coramque omnibus factum suum enarrans, licentiam plene concessit, quæcunque vellet, erogandi. (Otto quodam tempore veniens ad solitarium, vidit eum celebrare missam. Quam audiens, consideravit personam & despexit, dicens in corde: O Deus, cur tam dignissimum officium permittis à tam despecto tractari? Missa finita, dixit frater ille ad Imperatorem: Me, sicut de fecit Deus. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Quod audiens Imperator, territus, quia cogitationem ejus sciret, fecit eum Episcopum; qui & optime rexit.) Honorius idem Otto pius quodam festo Paschæ, dum puer quidam nobilis more puerili ferculum quoddam de mensa projiceret, & ob hoc à Dapifero percuteretur, pædagogus pueri Dapiferum occidit. Otto surrexit commotus, occisorem puniturus: sed ille fortior, Ottonem ad terram projectum, barba pilisque nudavit. Accurrentibus igitur aliis, dixit Otto: *plus ego, quam ille, peccavi, qui honorem festo non detuli. Ideo non ipse me vicit, sed Deus ipsi me tradidit*; sicque absolvit eundem de quo *Pantbeon*:

*Otto coronatus paschalia festa peregit,  
Fercula qua decuit, regia mensa vebit.  
Dux puer accedens, magni Ducis unicus hæres  
Accipit, ut comedat, cor puerile gerens.  
More suo dapifer, vitio variabilis ira  
Non timuit puerum fuste graviore ferire.  
Miles adest, puero custos datus atque magister,  
Vindicat egregie. Dominus quem percussit ille.  
Miles ait, discerne prius, quid juris habetur;  
Est quia pascha Dei, Rex miserere mei.  
Cumque rogata negat; miles rapit illico Regem;  
Rex prostratus humi justa negasse luit.  
Dum tenet Ottonem barbam trahit atque granonem,  
Guttur & ora premens, gravior feriente leonem (k)  
Ni foret auxilio, mortuus Otto fores.  
Barba pilis caruit, guttur dolet excoriatum.  
Turba dolens stat ante fores, cupit hunc cruciari;  
Otto reum defendit, eum iussitque vocari.  
Vir stetit & siluit; incipit Otto loqui:  
Judicio sisti legum statione petisti;  
Dum tibi non licuit, tetigit me dextera Christi,  
Non tua, sed Domini verbera digna lui.  
Digna lui; quia pascha fuit, cum parcere possem,  
Me libuit, quod non licuit; dedit ultio nosse.  
Parcius ista tamen punire tibi potuisses,  
Quam sine rasore barbam manibus rupuisses.  
Sic datur incolumis miles abire foras.*

Idem miles postea (l) salvavit Ottonem, dum solus de balneo inermis veniens, terreret hostes, Ottonem occidere volentes, ut ait *Pantbeon*:

*Vir sedet in lavacro, balnea rite gerens.  
Rege soporato, cito profilit hostis ab urbe;*

(k) quam qui ferit leonem. (l) Iste miles alio tempore, dum Otto in exercitu cunctis dormientibus infestaretur ab adversariis, salvavit eundem. MSC. Cönr.



*Ut perimat Regem, cursum latitando perurget.*

*Solus eos miles qui lavat, ille videt.*

*Ex lavacro saliens, clypeum rapit atque mucronem,*

*Prævenit hostiles Ottone jacente furores.*

*Miles, ut insequitur, nudus fere fore videtur,*

*Miratur Cæsar, nudum præcedere fortes:*

*Nam solum nudum cernit superare cohortes.*

*Laus equitis nudi grandis ubique fuit.*

*Surgit inamplexus equitis mirabilis Otto,*

*Dicit eis: gaudere meis te rebus adopto.*

*Regia facta geris, semper amicus eris.*

Is igitur pius Otto, vitæ termino propinquante, vidit in somnis, sibi feminam mirabilem astare: quam quæsit, qua esset, & ad quod venisset. Respondit: *Effluxio ventris mihi nomen est, & veni ventrem tuum ad tempus inhabitare; postmodum in visceribus septem Principum recon- denda.* Prædicto ergo modo res exitum habuit. Nam primum in ipso Rege, deinde in cæteris, uno post alium, dysenteria vitæ lumen extinxit, sicque anno regni sui XXXVIII. Magdeburg sepelitur. Honorius. Cujus vitam Wedekindus Monachus Corbejenfis descripsit; qui & Historiam Saxonum usque ad hunc annum composuit T. E.

*Otto post Otto, regnavit Tertius Otto.*

*Sed primus Magnus dictus, qui vixit ut agnus.*

*Quas bene perduxit, pius ecclesias cito struxit:*

*Magdeburgensem fundavit & Suerinensem.*

*Mira Dei gessit, Magdeborch & requiescit.*

*Inque fori parte, qua circumfunditur arte,*

*Sub turri sculpta stat imago sua bene fulta.*

*Filius ipsius, Rex fuit Otto pius.*

(Corpus S. Mauritii cum aliis Sanctorum portionibus Otto Imperator cum maximo honore Parthenopolin transmissit.)

MARTINUS tertius sedit annos III. menses VI. dies XVI. Synodus fuit in *Bunna*. AGAPETUS sedit annos VIII. menses VI. d. X. Synodus fuit in *Ingelheim*. JOHANNES XII. sedit annos VIII. menses X. d. V. Prius fuit dictus *Octavianus*, filius (eo) *Alberti* Principis Romanorum, à quo fuit Otto coronatus. Hic Papa, quia lubricus & incorrigibilis erat, communi omnium voto deponitur, & LEO VIII. ab Imperatore substituitur; cui dedit Otto civitatem in urbe, quæ inde dicitur *Leonina*. Hic sedens annum unum, menses IV, statuit ob malitiam Romanorum, qui suos intrudebant: *Ut nullus Papa fieret, nisi de consensu Imperatoris.* Iste Leo concessit indulgentias à pœna & à culpa B. Virgini ad Heremitas Constantiensis diœcesis, sub dato anno Domini 964. Idem Leo, à Romanis rejectus, ab Ottone repositus est in Papatum, & contra eum intrusus, nominatus *Benedictus* quintus, post annos duos, menses II. dies V. dejectus, missus est in exilium in *Hamborch*, diœcesis *Bremen*sis.

JOHANNES XIII. sedit annos V. menses XI. dies XVI, *Narniensis*, à Romanis pulsus, ab Ottone restitutus, pœna condigna reis inflicta. Cruces apparuerunt in vestibus hominum miraculosè. *Wilhelmus* Maguntinensis præful obiit (anno Domini 968, & venit alter *Hatto*, qui obiit 979. Obiit etiam *S. Wipertus*.) BENEDICTUS VI. sedit annum unum, menses VI. strangulatus in Castro S. Angeli. DOMPNUS II. sedit annum I. menses VI. quem secutus est BONIFACIUS VII. sedens annum I. mensem I. dies XII. Is deprædavit Ecclesiam S. Petri Romæ, & fugit Constantinopolim. Inde rediens cum magna pecunia, subito fuit extinctus (n). *S. Adelicus* (o) Episcopus Augustensis, obiit anno Domini 970, Episcopatus sui LIV. ætatis vero LXXXIII. (Anno Domini 966. *Mescho* Princeps Polonorum baptizatus, ab Ottone I. coronatus est in Regem ac Imperii feudalem. Nota: Episcopi & Sacerdotes Poloniæ fuerunt uxorti usque ad annum Domini 1148.)

973. OTTO Secundus, dictus *Ruffus* & *Sanguinarius*, ac *pallida mors* (p) *Sarracenorum*, propter interfecionem paganorum, imperavit annos X. Cum *Theophania*, filia Imperatoris Græcorum, acquisivit imperio regnum *Trinacriæ*, *Calabriam*, *Siciliam* & *Apuliam*. Ipse bellum transferens in *Calabriam*, à Sarracenis sepe victus: victor sapius, tot eorum interfecit, ut, mirabile dictu, mare proprium mutasse diceretur colorem. Ipse tandem solus, miraculosè evadens, pervenit ad suos. Hunc Ottonem fecit Otto pater ejus coronari die natali Domini in Urbe à Papa Leone, & Augustum vocari. Ipse *Lotarium* Regem Frantorum,

Uuuuuu 3

Lotha

(m) Alberici Cr. (n) à Romanis. MSC. Cruc. (o) Sanctus *Odelricus* anno Episcopatus 53, ætatis vero 83, migravit ad Dominum, Nonis Julii. MSC. Cruc. (p) vox: *Sarracenorum* abest à MSs C. & G.



Lotharingiam vastantem, cum inestimabili exercitu profecutus, condicto die, scilicet Kalendis Octobris, Franciam Occidentalem intravit; quam usque Kalendas Decembres pervagatus, fines Remensium, Laudunensium, Sæffionensium & Parisiensium diversa cæde vastavit; Ecclesiis tamen omni immunitate concessa, Spec. Hist. lib. 25. cap. 50. Ipse Bonventum expugnans, S. Apostolum Bartholomæum de Bonvento Romam duxit, proponens eum secum ducere in Saxoniam. Sed infirmitate præventus, mansit uterque Romæ. Unde legitur (q) apud Sanctum Bartholomæum: *In nomine sanctæ atque individue Trinitatis FREDERICUS, divina favente clementia Romanorum Imperator &c. Nos pro inquirenda veritate annales prædecessorum nostrorum, catholicorum Imperatorum, revolvimus, & in ipsorum sexto libro invenimus, qualiter Imperator Otto II. venerandum corpus sanctissimi Apostoli Bartholomæi, à Bonvento Romam detulit, & in insula Lycaonia in tumba porphyretica gloriosissime collocavit. Idem Otto, pacem suam, quam mundo statuerat, violantes, interfecit in urbe. Unde Pantheon:*

*Otto secundus adest Romæ, diademate functus,  
Latus Apostolicis manibus discessit inunctus;  
Is dedit Italicis undique pace frui.  
Rex ubi discessit, gens Itala bella capessit;  
Terra perit, gens pressa gemit, nimis atque gravatur.  
Rex venit iratus, concurrat ab urbe senatus:  
Suscipit imperii regia Roma caput.  
Imperii vocat Otto Duces Comitesque potentes,  
Pontifices simul Ecclesiæ recipit venientes,  
Et queritur populos pace carere suos.  
Iudicis officio numerat, quos culpa notavit,  
Pœnaque præcipitur Ducibus condigna parari;  
Ultio terribilis diu flagella parit.  
Ante gradus Roma mensas jubet Otto parari,  
Multaque circuitu jubet & tunc scamna locari,  
Et loca Principibus undique more dari.  
Dum cibus adducitur, dum potus & esca pantur,  
Dum proceres comedunt, dum latior homo putatur,  
Otto per armatos cinxit utrinque latus.  
Præco jubet taceant, & ne quis abhinc moveatur:  
Qui loquitur, qui se moveat, gladio feriat,  
Turba timet Procerum, terror ubique datur.  
Crimina scripta Ducum, quæ jusserat ante notari,  
Ante suas mensas jubet Otto sic recitari,  
Damnat & obertos crimine lege pari.  
Qui meruit, damnatur ibi pœna capitali,  
Sanguine nobilium jam mensa potest maculari;  
Otto sibi capita quia vult quasi fercula dari.  
Humani capitis dum mensa cruore madescit,  
Non minus ante datis Rex jubet undique vesci,  
Mittit & ingratis fercula cocta satis.  
Taliter alludit sceleri; sic corpora fudit.  
Sic scelus excludit, sic pacis commoda cudit.  
Sic sua pax viguit, sic reus acta luit.  
Filius Ottonis Rex fuit Otto pius.  
Vita privatus telo fuit ipse necatus.  
In Festo Thoma, tumulatus erat citò Roma.*

Iste idem Otto moriens testamentum suum condidit, thesaurum suum in quatuor partes distribuens; unam partem dedit Ecclesiis, alteram pauperibus, tertiam militibus & ministris, & quartam forori suæ Mechilde, Abbatisæ in *Quedelinborg*: sicque obiit in Domino, in orientali porticu Basilicæ S. Petri Romæ sepelitur, anno 982. (In secundo libro de *Apibus* cap. 52. legitur, qualiter Otto Imperator mirabilibus suffragiis liberatus est à purgatorio; sed nescio, quis istorum fuerit. Anno Domini 977. S. Adelbertus, primus Archiepiscopus Magdeburgensis, migravit, cui successit *Sikilbardus*.) Gentes circa *Albiam*, semper indomitæ, noviter nunc ad fidem conversæ, iterumque relapsæ, multa mala fecerunt; opidum *Havelberg* ceperunt, sedemque Episcopalem ibi destruxerunt. Brandenburgensem Episcopatum invasere, ipsumque Ecclesiæ pastorem fugere compulerunt; clerum autem omnem ceperunt, aliaque multa horrenda fecerunt. Eodem tempore *Cizensis* Episcopatus à *Bobemis* destruitur.

Tunc

(q) Romæ in Ecclesia S. Bartholomæi. Cruc.



Tunc & *Slavi* urbem, quæ *Calve* dicitur, delevere, sanctarumque monialium congregationem ibidem fugam inire compulere. Inde urbem (r) *Hammaburg*, ubi tunc sedes Episcopalis erat, iidem incenderunt & vastaverunt. In *Chronica Amelungsbornensi*.

BENEDICTUS VII. Romanus, sedit annis IX. m. V. Iste favore Imperatoris fecit capi multos Romanos. Gelu magnum à Kalendis Novembris usque ad Æquinoctium veniale. Ignæ acies visæ sunt in cælo. Cometæ apparuerunt, portendentes famem magnam, quæ secuta est. (Ignitus lapis miræ magnitudinis cecidit in tonitru de cælo. Templâ plurima ceciderunt, & Sacerdotes ictu fulminis interierunt.) JOHANNES XIV. sedit menses III. moritur fame in Castro S. Angeli. JOHANNES XV. sedit etiam menses III; quem secutus est JOHANNES XVI. Romanus, sedens annos IIX. menses VII. Sanctus *Conradus* Episcopus Constantiensis obiit sexto Kalendis Decembris, cui *Gbehardus S.* successit, ibidem sepultus. (Anno Domini 979. obiit *Hatto* (s) Moguntinus, cui *Wikigifus* succedit, & obit anno Domini 1005. In Vasconia quædam mulier habuit duo capita & duo pectora: uno comedente aliud non comedit. Diu vixit.)

983. OTTO tertius, dictus *mirabilia mundi*, puer XIII. annorum cepit imperare cum matre, annis XVIII. Cujus provisor erat *Wilhelmus* Maguntinus Archiepiscopus, patruus ejus, qui de tributo *Lumbardia* fecit ei crucem DC. librarum auri purissimi, hunc titulum habentem: *Auri sexcentas hæc crux habet aurea libras.* (T. E.

*Tertius Otto venit, qui mortuus à muliere.  
Sanctus Berwardus Pedagogus erat sibi clarus.  
Ipse Tiberinos populos, vicique marinos,  
Imperio fultus: Aquis est ipse sepultus.)*

Ipse, dum pugnaret in Calabria & aliis partibus, duxit uxorem, filiam Regis *Armagonum*, quæ quendam nobilem Comitem, stuprum (t) ejus recusantem, accusavit Ottoni; qui nimis credulus occidit eundem. De quo *Pantheon*:

*Est juxta Mutinam Comitum domus, Amula dicta,  
Imperii tunc obsequiis jussisque relicta,  
Qua vacat hospitium crebrius Otto suis.  
Corpore glorificum Comitem vultuque decorum,  
Dum regina videt, stimulis urgetur amoris,  
Et cupit, hunc Regis clam violare thorum.  
In vitium regina virum dum flectere credit,  
Veste trahit Comitem, tractus sine veste recedit;  
Spreta dolens mulier, vota nefanda dedit.  
Protinus accito queritur regina marito;  
Suggestit, ut comitis caput amputet ense petito.  
Crimine mentito credidit Otto cito.  
Iam dolus astruitur, cito mors indigna paratur.  
Nec locus insonti, pandere vena, datur.  
Indicat uxori propria Comes æta pudoris,  
Dicens malle mori, quam Regis obesse decori:  
Se mihi prostituit femina, digna mori.  
Tu mihi post mortem conscia testis eris;  
Iudicio candentis eos ferri superabis.  
Iudicii causas dum præcipit Otto parari;  
Imperat & viduas celebri præcone vocari,  
Hisque piis studiis jura cupita dari.  
Asticit, occisum plorans Comitissa maritum,  
Dicit ei: dic, pæna reis quæ, jure parato,  
Si rupta quandoque fide vir fraude necatur?  
Retulit Otto: caput perdere jure datur.  
Intulit hæc: tua te Casar sententia damnat.  
Fraude meum jugulasse virum te, Casar ô, pandam,  
Si vis jura coli, te decet inde mori.  
Hæc tacuit; Rex obstupuit, dicens mulieri:  
Nescio quid queris, nec vera tulisse videris;  
Hujus enim sceleris quis tibi testis erit?  
Ecce caput Comitis, dixit Comitissa, paratum;*

*Frau.*

(r) Hamelburg. Cruc. (s) Hatto secundus obiit 969, Rupertus 977. Villigifus 1001. (t) secum Cr.



*Fraude tua periit, proprium cognosce reatum;  
 Suscipe iudicium te perhibente datum.  
 Rex ait: iste Comes meruit pro crimine mortem.  
 Illa negat, cupiens ignitam sumere sortem.  
 Rex parat ignita, femina vincit ita.  
 Dum laqueo juris se conspiciit Otto ligari,  
 Mira viri bonitas, ratione potens superari,  
 Femineis nutibus se finit ipse dari.  
 Dum Regem Comitissa tenet, dat Regis honestas,  
 Ut capitis sit plena sibi collata potestas,  
 Cogitat illa modum, quo Regem perdere possit;  
 Inducias modicas populus pro tempore poscit.  
 Femina victa prece distulit illa necem.  
 Nec tamen illa dedit, nisi Rex promitteret illi,  
 Quod prius ignitis pereat regina favillis.  
 Pro tribus induciis tribuit tria castra monarchut,  
 Nec fuit in reliquis concedere plurima parcus.*

(Dum igitur Imperator more consueto iudicium omnium pauperum celebraret, affuit & illa Comitissa, dicens: quæ pœna debetur homicidæ? Dixit Rex: simile patiar. Et illa: tu meum virum innocenter interfecisti, ut iudicio ferri probabo; ideo simile patieris. Ipsa ferum ignitum illæsa portavit: & Otto se reum confessus, in gratiam ejus tribuit se. Factæ sunt induciæ primò X. dierum, post VIII, ultimo VII, ut mulier aliud peteret, quam caput Ottonis: quia non est simile de Comite & Imperatore. Tandem illa Regi pepercit, dummodo Regina dignè licat; quæ combusta est: & data sunt Comitissæ tria castra; & ista castra) juxta inducias, primo decem, postea septem, & tertio octo dierum, adhuc vocantur ibidem, (\*) scribit *Pantheon*. Eo tempore S. (u) *Adalbertus*, Episcopus Pragensis primus, obiit, occisus à Prutenis. Ad cujus honorem dictus Otto disposuit septem Episcopia in *Sclavia*, & *S. Gaudentium*, fratrem S. Adalberti, fecit Episcopum Pragensem, per quem convertit Slavoniam. Idem Otto dum *Aquisgrani* admirationis causa ossa S. Karoli Magni (x) videret, audivit ab eodem in visu noctis, quod immatura morte vitam finiret sine prole: quod sic contigit. Nam *Rome* degens, cum jura regni & Ecclesiæ reformare cogitaret, Romani subito contra eum conspirantes, aliquos de suis occiderunt; unde Rex recessit. Cui tunc *Crescentii* relicta misit chirotecas & annulum, quasi memoriale singularis amoris. Cæsar autem nesciens, illam esse veneficam, quamprimum illis attractis, morte præventus est. Ipse enim dictum *Crescentium* fecit suspendi in Castro S. Angeli, & filium ejus *Placentium*, qui dictus *Johannes XVII*. Papa, contra Gregorium erat intrusus, oculis privavit; & omnes fautores ejus interfecit, Gregorium honorificè restituendo. Ob hoc dicta mulier, quasi sub amoris specie, Cæsarem veneficat: cujus corpus *Augustæ*, reliquum vero intestinorum *Aquisgrani*, juxta S. Karolum sepelitur, ex cujus linea mater ejus originem duxit, ut scribit *Magister Tibericus de Nyem in Chronica sua*. Cortisanus maximus in modernis. Inundatio aquarum frequens & diuturna, & post ætas ferventissima; & secuta est fames magna. Ferunt & annonam pluisse de cælo & pisciculos. A. *Hatto* Maguntinus Episcopus obiit, cui succedit *Wikegifu*.

GREGORIUS V. qui & BRUNO, Saxo, fuit filius *Ottonis* Ducis *Karinthiæ*, dictus *pater pauperum*; sedit primò annos II. m. VI. Contra quem *Crescentius* præmissus, tunc Urbis Præfectus, ordinavit quendam Græcum, nomine *Placentium*, qui se nominavit *Johannem XVII*; cujus vindictam fecit *Otto*, ut dictum est, (*Dunstanus* obiit in Anglia. Hic die Ascensionis Domini, dum solus esset in Ecclesia, vidit; & ecce, innumera candidatorum turba eum hoc modo salutavit, dicens: Salve *Dunstane* noster, salve. Mandat tibi, quem pie desideras, Filius Dei, quatenus, si paratus es, venias, & diem hunc nobiscum celebres. Ad quos ille imperterritus ait: qui sint? Cherubim, inquit, & Seraphim sumus; responde, quid velis. Tunc ille: hodie dies solennissimus est, & incumbit mihi pane verbi Dei plebem reficere, & ostendere illi, quomodo ad hoc gaudium possit pervenire. Et quia multi convenient, non debeo eos decipere; ideo hodie venire non possum. Cui dixerunt: eia, paratus esto, ut die Sabbathi præsto sis nobiscum coram Summo Pontifice *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, æternaliter canere. Annuit ipse, & illi recedunt, & postea hoc tempore dato discessit. Spec. Hist. lib. 25. cap. 94.) *Hugo* Comes *Parisiensis* fit Rex *Francorum*, regnans IX. annis; natus ex *Hadewida* sorore *Ottonis* (y) præcedentis. *S. Berwardus* fit Episcopus *Hildesheimensis*. Ipse fuit pædagogus & amicus *Ottonis* tertii, quem idem *Otto* dilexit in vita, promovit, & consilium ejus secutus, in omnibus ei obedivit. Is solemne monasterium ibi

constru-

(\*) nomina ejusmodi locis in Italia à miliaribus passim dantur. cisset effodi, dixit ei S. Karolus, Cruc. (y) primi. G.

(u) Albertus MSC. Gerh.

(x) fe-



construxit (Ordinis S. Benedicti, ad S. Michaellem vel ad Angelos nominando, cum multis aliis bonis, quæ fecit ibidem, & fere per totum mundum cum Ottone.) S. Edwardus Rex Angliæ occiditur. S. Gunterus, nobilis de Thuringia, in Bohemico saltu XXXVII. annis religiosè vivens, obiit in Domino & ante Pragam sepultus est in Brunonia: & circa idem tempus Archiepiscopus Magdeburgensis Udo decollatur in Ecclesia, divino iudicio damnatus; cui B. Virgo, sæpius eum præmonendo, dixerat; *Cessa de ludo, quia lusisti satis Udo.*

SILVESTER secundus, qui & Gerbertus, Gallicus, sedit annos IV. mens. I. dies IIX. Monachus fuit Floriacensis, factusque apostata, fecit homagium diabolo, ut sibi prospera succederent ad votum. Quem diabolus in tantum jovit & docuit, ut multorum magnorum magister esset; habens inter ceteros discipulos *Ottone* illum tertium, & *Robertum*, filium Hugonis Regis Franciæ, qui regnavit in Francia annis XXXIV. Is (Rex) fecit Sequentiam: S. Spiritus assiste nobis gratia; & Responsorium: *Judaa & Jerusalem.* Ex promotione igitur tantorum, Gerbertus primò factus est Archiepiscopus Remensis: sed postea à Papa degradatus, & per *Ottone* restitutus, factus est Episcopus Ravennensis, & ultimo Papa Silvester. De quo factus est versus: *Transit ab R. Gerbertus ad R. post Papa vigens R.* Iste sic Papæ factus, contulit *Otto* Cæsar civitates in Marchia Anconitana, dicens: *Ignominiosum fore, quod ipse omnia possideret, & magister suus in fastigio populi egeret.* Et istæ civitates adhuc hodie vocantur ibidem *Patrimonium Ecclesiæ.* Idem Papa diabolum quæsit, *quam diu vivere posset?* Respondit: *quam diu vellet, dummodo in Jerusalem non celebraret.* Gavilus, quasi longe à morte sua; sicut longæ voluntatis erat ultra mare visitare terram Jerusalem. Dum autem quandoque in Quadragesima Romæ celebraret in Ecclesia, quæ dicitur *Jerusalem*: sentiens strepitum dæmonum, ingemuit, peccatum coram omnibus revelans; iussitque se membratum incidi, & truncum ejus mortuum super bigam poni, & ubi histerent animalia, sepeliri. Quod factum est, & sepultus est in Episcopio Lateranensi Romæ, in figuum misericordiæ consecutæ. Hic Papa à quibusdam excluditur ab ordine Pontificum, quia non per ostium, sed nigromanticè arguitur intrasse. Sed quia in fine penituisse refertur, ideo stet inter Papas. Hoc tempore instituta est memoria omnium Sanctorum animarum purgandarum, castino omnium Sanctorum agenda. Tunc enim multorum animæ subsidium requirebant à vivis. (Anno 992. mulier quædam uno partu 5. filios enixa est.) Tunc & vox audita est: *Sicut dies vivis, sic nox concessa defunctis.* (\*) Mortuo igitur *Ottone* tertio sine prole, institutum est, & per Papam Gregorium confirmatum, quod officiales imperii per amplius debeant eligere Imperatorem; & quo tantæ potestatis fastigium non sanguini, sed virtuti committatur, & dignissimus eligatur ad dignitatem imperii gubernandam. Ad hoc autem constituti sunt tres clerici Archiepiscopi imperii: videlicet, Archiepiscopus *Coloniensis* per Italiam, *Treverensis* per Galliam, & *Maguntinus* per Almanniam vel Germaniam. Et tres Electores Laici, scilicet *Marchio Brandenburgensis*, Præpositus Camerae Imperatoris sive Camerarius: *Dux Saxonie* ensifer, & *Comes Rheni* sive Palatinus, Dapifer. Quibus discordantibus in partes æquales, superadditus est *Dux*, nunc Rex, *Bohemie*, *Pincerna Regis*, ut dicit *Innocent.* de Elect. Cap. *Venerabilem*; & recitat *Caldrinus* in aureo Repertorio suo. Quæritur autem, quare de sola Almannia sint Electores assumti? Respondetur ideo primò, quia Principes Almanniæ liberaverunt sæpe Ecclesiam de servitute Longobardorum, Gothorum, & aliorum impiorum. Secunda causa fuit devotio populi Almanniæ ad Ecclesias BB. Petri & Pauli, Romæ, qui præ omni populo semper illuc currebat, & adhuc currit continuè. Anno Domini Millesimo, quinta tuba tonat apertionem putei abyssi, primum vix mundo, Apoc. XIII. Tunc terræ motus permaximus factus est. Tunc Imperator *Otto* ad debellandum Crescentem Patricium Romanorum Romam proficiscitur: quem & bello captum, ubique jumento aversè impositum per urbem circumductum, & paulatim membris truncatum, ad ultimum fecit suspendi. Eodem anno venerabilis *Arnulfus* Episcopus Halberstadenfis de castro *Ilseburg*, quod ei *Otto* tertius Imperator contulerat, fecit locum monachorum de cænobio *Fuldensi*. In Chronica *Amelungsbornensi*.

1011. HENRICUS II. filius *Henrici* ducis *Bavariæ*, & nepos *Otonis* primi, fuit enim filius filii fratris carnalis *Otonis*. Hic igitur *Henricus* Dux *Noricorum* & *Bavariæ*, vocatus *Pius* & *Claudus*, imperavit annos XXII. menses V. Dum enim in Ecclesia *Ratisbonensi* devotius oraret, audivit vocem dicentem sibi: *Post sex.* Quod ipse interpretatus, post sex dies; deinde post sex septimanas, inde sex menses, & demum sex annos se moriturum. Deo autem providente, post sex annos electus est in Augustum. Cujus uxor, Diabolo procurante, de adulterio accusata, per XV. vomeres ignotos (pedibus nudis transiens illæsa, se purgavit. Cumque tunc diceret: sicut ab omni ævo, etiam *Henrico* sum incognita, sic sum ab igne illæsa; cum dicere debuisset, excepto *Henrico*: ipse propter hoc eam percutiens, percussus est in calculo, à quo à nullo medico sanari potuit, donec ad S. Benedictum veniens, sana.

(\*) ut lux est vivis, sic nox concessa sepultis.



sanatus est. Ideo in ejus honorem cœnobîa plurima struxit, ut *Bambergam*, quam de novo fundavit, cum Episcopatu exempto.) Hæc est sancta *Kunegundis*. Ipse etiam *Gislam* sororem suam dedit uxorem Ungarorum Regi, per quam cum toto regno conversus ad Christum, vocatus est in baptismo *Stephanus*; qui & convertit terram Polonorum, & est *Praga* sepultus: de quorum etiam genealogia multi nobiles devenerunt, quos Ungari pro sanctis venerantur. De quibus etiam venit *S. Elisabeth* Landgravia *Hassæ*, & *Margareta*, & cæteri. Maximum enim incrementum recepit fides Christi de domo dictorum *Ottonum*, ut scribit *idem T. N.* quorum etiam tempore fides in tantum crevit, ut nec angulum esset in *Scavia*, qui non urbibus & monasteriis abundaret. H. Iste *Henricus* vir magnæ devotionis, habuit *Concilium* in *Tremonia*, anno regni sui quarto, ubi fuerunt præsentibus *Magdeburgensis*, *Colonienfis* & *Bremenfis* Archiepiscopi; *Monasteriensis*, *Osnabruggensis*, *Padebornensis*, *Metensis*, *Wormatiensis*, *Leodiensis*, *Trajectensis*, *Verdentis*, *Hildensemensis* & *Mersburgensis* Episcopi, cum aliis multis nobilibus: in quo Concilio ordinatum fuit inter cætera, quod post obitum cujuslibet Principis seu Episcopi, quilibet Episcopus superstes, ibidem existens, per XXX. diès qualibet die missam pro defunctis diceret, vel per se vel per alium, & CCC. pasceret pauperes, & totidem denarios pauperibus aliis erogaret, totidemque lumina accenderet: Rex autem & regina pauperes pascerent MD. & totidem denarios pauperibus aliis erogarent; Alii vero inferiores similiter facerent secundum suas facultates. *Cosmodrom.* Sequenti anno fuit statutum etiam in Concilio, ut corpus *Dominicum* ad sinistram, & calix ad dextram sacerdotis poneretur in missa. Cum igitur istud in Concilio sit statutum, non licet sacerdotibus singularibus immutare. Idem *Henricus* dum in extremis ageret, dedit *Ecclesiæ Mersburgensi* calicem, XX. libras auri ponderantem; cumque natalem *Dominî Babenbergæ*, Pascha *Parthenopoli*, *Pentecosten* vero *Goslariæ* celebrasset, venit in castrum suum *Grone*; ubi languore correptus, III. Idus *Julii* anno vitæ suæ LII. decessit in Christo. *Bambergam* translatus, sepultus est in *Ecclesiâ S. Petri*, quam de novo fundavit anno *Dominî MXII.* anno regni sui, ut alii scribunt, decimo; (cujus vitam *Adelboldus Trajectensis* Episcopus scripsit.) De eodem legitur, quod dum in extremis ageret, solitarius quidam audivit turbam; & quærens, qui essent, audivit, quod legio dæmonum, ad tollendam animam *Imperatoris festinantes.* Et ille dæmonem adjuravit, ut ad se rediret, quid de anima fieret, relaturus. Dæmon rediit, dicens: *Dum bona opera Casaris & peccata sua ponderanda ponebantur in statera, venit adustus Laurentius, imponens calicem, qui præponderavit omnibus peccatis suis, & sic anima ejus defraudati sumus: Quod dum ego vidi, commotus, abstuli de calice auriculam unam.* Et compertum est, Imperatorem illo die decessisse, & auriculam calici deesse; qui inter cætera ornamenta, quæ idem Imperator *Ecclesiæ Mersburgensi* contulit, usque in præsens ostenditur. *Cosmodr.* *Bambergense* Episcopium cœpit, cui *Eberhardus* præficitur ab *Henrico*, & *Hungaria* convertitur. (Sanctus *Bruno* de *Quernvorde* patitur.) *Sclavi* iterum à fide aversi, Christianis magnam stragem intulerunt. Nam tanti martyrizati sunt in *Saxonia*, ut vix possint libro comprehendi: inter quos fuerunt *Johannes* Episcopus *Magnipolensis*, *Oppo* *Presbyter*, super altari immolatus, & *Godescalcus* in urbe *Leontio*, Teutonice (z) *Lenzin.* H. Imperator igitur *Henricus*, curiam celebrans in *Werben* juxta *Albiam*, illos convertit ad pacem anno *MXV.* *Egbertus* Marchio *Saxonix*, fundator *Ecclesiæ S. Cyriaci* in *Brunswick*, obiit. De *Henrico* vero præmissis T. E.

Hic est *Henricus*, qui Christi rexit amicus.  
Vixit hic mundè cum conjuge tunc *Kunigunde*.  
Hi fuerant tanti, quod facti postea sancti:  
*Mersburg* fundabant, *Bavenberg* & situabant.  
*Bavenberg* sancti (a) restant ambo tumulati.  
Qui vixit mundus *Conradus*, eratque secundus  
Nominis illius, Rex fuit ipse pius,  
Struxit *Goslaria* pius *Ecclesiamque Maria.*

**JOHANNES XIX.** sedit menses (b) X; quem secutus est **JOHANNES XIX.** qui sedit menses VII. *Chorea* in antiqua *Saxonia* duravit per annum. Rustici enim numero XV. cum tribus mulierculis, nocte *Natalis* *Dominî* inter divinum officium, quia frigus erat, chorifabant, ut calefierent. Quos *Robertus* presbyter rogavit cessare, ne divinum turbarent officium; & dum non proficeret, dixit: placeat Deo & S. Magno patrono nostro, ut ita per annum chorifatur. Verba pondus habuerunt; sic enim toto anno cantantes, chorifabant, quos nec frigus, nec calor, nec sitis, nec fames, nec lassitudo affecit, nec pluvia tetigit, nec vestimenta vel calceamenta sunt attrita. Ibi quidam *Johannes*, sororem suam trahere nitens de *chorea*, brachium (c) avulsit à corpore, gutta sanguinis non sequente. Evoluta igitur anno, dum quasi ad femora demersi fuissent in terram, *Egbertus* Archiepiscopus *Colonienfis*

eos

(z) Lentyn. Cr.

(a) modo sunt Cr.

(b) IX. Cruz.

(c) amisit. Contr.



eos absolvit; & sic cessantes, quidam statim obierunt; alii diutius viventes, valde pœnituerunt. Hæc scripto reliquit *Rupertus* unus ex ipsis, anno Domini MXII. Iste præful Colonienfis obiit anno Domini MXIX. quando & *Erkenhardus* præful Maguntinus obiit; quem præcessit *Wikhifus*, & successit *Peregrinus*. Hoc tempore *Poppo* Treverorum Archiepiscopus, *Sanctum Simeonem* secum duxit de monte Sina, qui Treveris inclusus, beato fine quievit, à Papa Benedicto canonisatus 1009. Tunc & Monasterium Maguntiacense honorificum, à *Willegiso* Archiepiscopo constructum, 3. Kal. Sept. igne conflagravit. Idem *Willegisus* obiit (d) MXI. cui *Erkinboldus* Fuldenfis Abbas successit, & obiit anno 1018. Anno MXIII. principale templum Hildesheimenfis Ecclesiæ igne succensum est, sed miserante Deo extinctum: in quo magna periit copia *librorum*. A. (Monasterium *Sancti Michaelis* in Luneburg fundatur.)

1000. SERGIUS IV. sedit annos III. m. IX. Cometa mirabilis in modum crucis & trabis magnæ, per quatuor menses apparuit, & terræ motus factus est magnus. Luna versa est in sanguinem, & fames & pestis tanta per totum pene orbem, ut sepelientium tædio, vivi obruerentur cum mortuis. In *Spec. Hist.* lib. 24. c. 9. *Tietmarus* Merseburgenfis Episcopus claret, qui de iis, quæ in Saxonia gesta sunt & alibi, satis honestum edidit librum.

BENEDICTUS VIII. Tusculanus, sedit (e) annos XII. m. IX. d. XXI. Tunc obiit *Benno*, Dux Saxonix, vir strenuus, defensor Ecclesiarum & omni probitate conspicuus: cui successit filius *Bernhardus*. *Ernestus* Almannorum Dux, & *Wernerus* Comes, cum multis perimuntur.

JOHANNES XX. Tusculanus, sedit annis IX. menses V. Tunc etiam obiit *S. Berwardus* Episcopus Hildesheimenfis, cui successit *Godehardus*, per *Henricum* promotus, prius Abbas Hersfeldenfis. Is primo anno ordinationis suæ inchoavit ædificare Ecclesiam *S. Crucis* in Hildesheim, quam & quarto anno consecravit. Idem *Godehardus* in parte occidentali montem incolens, titulo *S. Mauriti* dicavit: ad orientem quoque locum, qui *Zulsa* (\*) dicitur, rudibus & (f) frutectis obsitum, emundavit. (Nota: *S. Godehardus*, Episcopus Hildesheimenfis, litigavit in iudicio contra *Aribonem* Archiepiscopum Moguntinum super territorio Gandersem, & obtinuit in Synodo Generali Frankenforde præfidente Imperatore *Henrico II.* & Episcopis XXII. Et hoc fuit anno Domini 1027. Idem *Godehardus* fratrum utilitatem in præbenda & vestitura clementer ampliavit. In curse sua Hildesheim pulchrum monasterium in honorem *Ascensionis Christi* construxit: in quo clericos plures, in diverso studio scripturæ & picturæ rationabiliter utiles, congregavit, quibus victus & vestibus necessaria sufficienter providit. In *Chronica S. Michaelis*.) Hic cum quadam vice in villa *Lürzingworde* celebrans, in sermone diceret: *Præcipio omnibus excommunicatis foras exire*; surrexerunt tres mortui, Ecclesiam exeuntes. Quibus visis, populus tunc (g) excommunicatus, gratiam ejus humiliter (h) impetravit. *S. Heimradus* obiit, in *Hafungen* sepultus. (Nota: anno Domini 1018. *Erkinboldo* Moguntino, Præfuli successit *Aribo* capellanus Regius, qui construxit Monasterium in *Hafungen*, ubi jacet *S. Heymeradus*.) De *Henrico II.* præmissio sic scribit Pantheon:

*Bavaricus fluvius, vulgo Radiantia dictus,  
Norica rura fovens, varièque vagando relictus,  
Montis Pavonis urbis amena colit.  
Nimine vulgato mons (i) hic Bambergæ vocatur.  
In crucis iste modum posuit sibi pavo (k) colonum;  
Stat medius Petrus, Stephanus sibi dexter habetur,  
Vertice stat Iacobus, læva Michael retinetur,  
Fertque secus fluvium Virgo Maria, decus.  
Cæsaris Henrici sancti, cognomine Claudi  
Hæc, & majora sunt sua multa bona.  
Cujus & ossa bona sunt admiracula prona.  
Henrici Claudi meritum solemniter audi:  
Conjuge virginea virgo permansit & ille;  
Catholicas (l) dedit Ecclesias numero quasi mille:  
Pauperibus, viduis, spes, via, vita fuit.*

CONRADUS secundus *Salicus & Spirensis*, quia Spiram fundavit & valde dilexit, imperavit annis XV; prius dictus erat *Cuno* de *Webelingen* in Suevia de genere *Ottonum*. Condidit multas leges, & fecit generalem pacem in Almania, sub edicto, ut quicumque infringeret, capite plecteretur. Cujus statuti transgressor accusatur Comes *Lippoldus*: qui fugiens à facie Regis, (m) heremitorium sibi construens in vasta solitudine, vixit ibidem cum suis & uxore.

Con-

(d) 1005. Cr.

(e) annos 12. dies 21.

(f) fruticetis.

(\*) Sulza.

(g) excommunicatis G.

(h) expevit Cr.

(i) hic Baveberga,

(k) Bavo G.

(l) Catholicus MSC.

(m) domunculam Cr.



Contigit igitur, Casarem in venatu ibidem nocte permanere, qua & Lippoldi conjux peperit. Et audivit Casar vocem, ter dicentem: *Accipe, accipe, accipe.* Et Rex tremefactus audivit secundario: *Redde, redde, redde.* Et tertia vice; *Fuge, fuge, fuge.* Et adjunctum erat: *Conrade, hic puer erit gener tuus.* Recedens ergo Casar, mandavit puerum occidi, & cor sibi presentari. Videntes autem puerum elegantem, qui missi fuerunt, misericordia moti, dimiserunt vivum, cor leporis pro corde pueri presentantes. Inde casu *Henricus* Dux Saxonum iter agens, puerum pulchrum reperiens, in filium adoptavit, *Henricum* à se nominando. Crevit puer, prudens & pulcher, & petitur à Casare Conrado. Cui cum summe serviret, & omnibus placeret, cepit Rex cogitare de priori visione, timens, illum esse filium Eremitæ. Cum ergo tunc esset in Italia, scripsit literas reginæ per eundem, (n) ut statim occideretur. Contigit autem, juvenem in via apud quendam presbyterum hospitari: qui sciens, cum ab Imperatore venisse, curiosius nova diligens, literam regis aperuit; & nefas, quod invenit, horrens, cum juvenem pulchrum & morigeratum cerneret, diligentius (o) radendo, ubi scriptum erat: *Juvenis occidatur;* rescripsit: *Filia mea ei traditur.* Regina hoc legens, & juvenem elegantem videns, de suorum consilio, juxta Regis scriptum tradidit ei filiam in uxorem. Quod Rex Conradus percipiens, ait: *contra Domini voluntatem nihil possumus.* Matrimonium ergo approbans, generum suum successorum imperii declaravit, cum filio careret. In eodem loco eremi paterni construxit idem *Henricus* monasterium, *Herze* nominatum, dominarum secularium in diœcesi Padebornensi. Idem Conradus fratrem habuit *Henricum* Ducem Sueviæ; qui ipsi diu rebellans, tandem venit ad *Stefanum* Regem Ungariæ. Qui, dum factum audiret, jussit ei diē parasceves carnes apponi: & nefas horrenti, dixit: *Savire in fratrem, & bodie carnes assumere, eque tibi licitum est.* Sic leviter castigatus remeans, gratiam fratris impetravit. Idem Conradus liberavit terram Lusitorum à Sclavis, quorum Rex *Misacho* innumerabilem multitudinem virorum ac mulierum trucidarat in Saxonia Orientali. Nunc autem coronam cum regalibus Imperatori transmisit, ac se subditum fore promisit. Quem Rex clementius, quam existimaverat, *Mersborg* suscepit, eique cum ejus patruæ regnum dimisit. *Werben* enim castellum obtinuit, multis ibi Christianis occisis, quos Imperator tunc subjugavit. Eclipsis solis facta est hora sexta, & tonitru tantum, quod (p) LX. viros de exercitu Regis, cum equorum armentorumque magna multitudine peremit, Rege Conrado existente in campo Mediolanensi: & sequenti die similiter eadem hora multos prostravit. Tunc *Bruno* Episcopus, familiaris Imperatoris, missam ibi celebrans, vidit S. Ambrosium Imperatori minantem, nisi civitati parceret: sicque parcens, ab Italia recessit, Spira sepultus. Versus:

*Dux erat in villa, quam rite vocant Guebelinga,  
Inclita nobilitas Regum generatur ab illa.  
Magna Ducis gesta fuerant, sed major honestas.  
Conradus pro pace Duces deponit honore,  
Et pacis sancita facit constare favore.  
Unus erat Comitum pacem violasse notatus,  
Cui domus in latebris nemorum clam parva paratur.  
Ille locus nemorum, quo tunc fuit ille creatus,  
Nobilis Ecclesia nobis Hertzanga vocatur:  
Magna Creatori nunc ibi pompa datur.*

Circa hoc tempus obiit *Bernhardus* Dux Saxonum, relinquens duos filios, *Henricum* & *Ordolfum*, qui duxit filiam Regis Danorum, de qua genuit *Magnum*. (Rodolphus Rex Burgundiæ moriens, diadema suum Conrado Imperatori misit anno Domini 1033.)

1030. BENEDICTUS IX. Tusculanus, sedit annis XII. ter rejectus, semper reassumtus. Post mortem apparuit in effigie monstrosa, cum cauda asinina & capite urfino, dicens: *Sicut vixi, sic apparui.* (Monasterium S. Michaelis dedicatur in Hildenshemper S. Godehardum, & anno sequente vigilia Pentecostes fulmine crematur. In Chronico ejusdem Monasterii.) *Aribo* Episcopus Maguntinus obiit anno 1032. cui *Bardo* prius Monachus Fuldenfis successit. Hoc tempore regnat in Anglia *Knuto* vel *Kanutus* annos XX. Is dixit mari: *Impero tibi, ne terram meam ascendas, cum mea sis ditionis;* statimque intumescens nimis mare, vestes & crura Regis madefecit. Tunc Rex ait: *Sciant omnes, vanam esse Regum potentiam, nec aliquem dignum nomine Regis, nisi eum, cui mare & terra obediunt:* nec unquam postea capiti coronam imposuit. *Hardeknut* filius ejus succedit, cujus sororem duxit *Henricus* Imperator sequens; quæ accusata de adulterio, monomachiæ certamine defendebatur per puerum, quem secum duxit ab Anglia, contra quendam gigantæ molis. Inde eadem *Ghimilda*, (sic enim vocabatur) viro suo *Henrico* repudium faciens, habitum suscepit monialis. *Spec. bist.*

(n) ut quantocyus traderetur igni. Cr. (o) parum radens rescripsit *Agne* pro igni. Imperatrix igitur legens: *quantocyus tradatur Agne*, convocato concilio, Cr. (p) XL, C.



bis. lib. 26. c. 16. *Königundis* sancta obiit, & *S. Godehardus* anno vitæ ejus Cl. anno Domini 1038. (Tunc & *S. Stephanus* Rex Ungarorum migravit. Anno etiam 1039. lis terminatur inter *Abbatissam Gandersem* & *Thietmarum* Episcopum *Hildensemensem*.)

**HENRICUS III.** dictus *pius*, & *niger cum barba*, imperat annos (q) XVII. Fuit filius *Lippoldi* Comitis prædicti, & gener *Conradi* Imperatoris: cujus & dictus est filius, saltem adoptivus. Unde T. E.

*Conradi natus, Henricus nempe beatus,  
Rexit non frustra tribus annis & tria lustra.  
Hic in honore Dei, sic Simonis atque Tadei,  
Quam cito perduxit, pius ecclesiam sibi struxit;  
Hinc Rex, o Christe, placeat tibi tertius iste,  
Summum Pontificem Casar perduxerat idem,  
Pontifices multos & ob hoc, atatis adultos,  
Goslere cantarent, & ut aram sanctificarent,  
Hanc ita dilexit, dum Casar, & omnia rexit.  
Partim Spirensi, sic partim Goslariensi,  
Terris humatus, jacet Ecclesius tumulatus.*

(Monasterium instituit ibidem secundum Regulam *S. Augustini*.) Uxor ejus castissima *Agnes*, filia *Wilhelmi* *Pictaviensis* Ducis. Is *Casar* *Henricus* ita se exterius agebat ad populum, ut sui non oblivisceretur interius. Considerans enim tanti nominis majestatem longe suis præcellere meritis, nunquam insignia regalia sibi præsumsit imponere, nisi confessionis ac pœnitentiæ, verberum etiam satisfactione, licentiam à Sacerdote suppliciter mereretur. Quadam igitur festivitate, supplex ac pœnitens cœpit adire antistitem *Colonienfis* Ecclesiæ, *Annonem* nomine. Mox sacer antistes, sicut parcere solitus erat inopi & pauperi, sic misericors absque misericordia favire cœpit in Principem, vehementissimis illum invadens correptionibus; illumque durissimis verberum plagis afflictum, non aliter eâ die coronatum incedere concessit, quam prius manibus suis XXXIII. libras argenti in pauperes expendisset. Nec abnuvit Imperator, sed cuncta passus est & fecit. Sicque demum more suo processit indutus. Miranda sane constantia Præfulis, nec minus laudanda humilitas Principis. Porro in utroque timoris Dei imitanda perfectio. Imperator iste synodum habuit anno 1042. *Goslaria*, ubi *Petrus* Rex Ungarorum cum aliis præfens erat; (qui, à suis expulsus, per Imperatorem restituitur. Postmodum à suo cliente, cujus nomen *Andreas*, excacatur, eodem *Andrea* pro eo regnante.) Sequenti anno in natali Domini, *Treveris* concilium celebravit. (*Henricus* iste *Casar* sororem habuit *Monialem*, quæ nocte quadam scriptorem (notarium) Regis admittens; mane, dum nix omnia operuisset, timens, amasium vestigiis deprehendi, ipsum dorso detulit ad Ecclesiam. Quod videns Imperator, vocans Clericum, dedit ei Episcopatum, dicens: accipe hunc Episcopatum, & cave sub pœna capitis, ne unquam plus inequites mulierem. Similiter dixit germanæ; esto *Abbatissa*, & ultra non patiaris clericum equitem. Sicque pius Rex occultè peccantes, secretè punivit, & illorum sui que propriam confusionem vitavit; & isti consuli, à flagitio destiterunt. Idem *Henricus* habuit quendam Clericum satis literatum, bene canorum, sed lubricum. Quem deprehendens quadam nocte peccasse, mane, dissimulata scientia, mandat ei *Casar*, ut Evangelium legat; erat enim *Diaconus*. Abnuvit ille, male sibi conscius. Urget Imperator, ut probet ejus constantiam, dicens: omnino oportet te legere, quia tua delector melodia. Ad extremum parere renuentem, jubet exulare, nisi legeret: qui continuo recessit. Mittitur post eum, & fistitur Imperatori. Tunc *Casar* latè lubricus: probè, inquit, fecisti, & ego congratulor tuæ probitati, quod Dei timorem pluris pendis, quam patriam, plus iram Dei, quam meam. Quapropter habeto Episcopatum; sed tantummodo renunties amorì indecenti. Item *Henricus* in pueritia à quodam Clerico argenteam fistulam tulit, qua pueri ludentes aquam jaculantur, pactus ei, si fieret Imperator, Episcopatum. Jam repetenti, quod pollicitus erat, impigrè dedit. Non multò post morbo correptus decubuit, & triduo mutus jacuit. Episcopi cum Clericis præfentes, triduo indicto jejunio, pro vita Regis Domino supplicabant. Convalescens igitur, accersitum Episcopum, quem pro fistula fecerat, deposuit, confessus, toto illo triduo flammam in se per fistulam Dæmones jaculatos, & flammam adeo pertinacem, ut noster ignis respectu illius jocus putetur. Hæc omnia in speculo.) Fuit quoque hoc tempore schisma magnum in Ecclesia Dei, de quo legitur *Dist. XXIII. In nomine Domini*. Erant enim tres contententes de Papatu. Tunc *Eremita* quidam, confessor Regis, scripsit ei eleganter in hæc verba: *Imperator Henrice, omnipotentis vice. Vna Sunamitis, nupsit tribus maritis. Dissolve connubium*

Xxxxxx 3

bium



*bium, & triforme dubium* Rex itaque, sicut erat homo discretus, collecto exercitu Constantiam venit; ubi synodo Principum pacem generalem, hactenus inauditam, statuit, & per edictum, sicut Conradus præcedens inceperat, confirmavit. Ibi *bisfrionum collegium*, quod, ut assolet, affluerat, vacuum abire permisit, pauperibus ea, quæ membris diaboli subtraxerat, largiendo. Meretricum etiam ad II. millia vel plura fugari iussit ab exercitu. Cæsar tunc cordetenus dolore compunctus multis malis, quæ tunc facta sunt Christianis, tam cæde Letphanorum (Lithuanorum) in Christianos, quam discordia & fame diversarum provinciarum; ab omnibus, quibus potuit, veniam petiit; cunctis quoque, qui contra eum vel regnum commiserant, relaxavit. H. inde pergens ad Italiam anno Domini 1046. uno Paparum occurrente in Lombardia, altero in *Bardenberge*, tertio in Tuscia; quemvis eorum statim, ut advenit, debita veneratus humilitate, pariter in urbem ductos, & concilio generali convocato, synodaliter degradatos, in exilium relegavit. (In hoc etiam Concilio Romano conclusum est, quia omnes Romani, exemplo miseri capitis eorum, præcipuè fornicationis & Simonix peste languerent, nullus eorum dignus esset tanto Sacerdotio populi. Ideo totalis electio data est in manum Imperatoris. Nomina autem istorum trium contententium sunt:) Johannes Sabinensis, nominatus *Silvester* tertius, *Damasus* tertius, prius dictus *Poppo*, Episcopus Brixienfis, & *Gregorius* sextus, prius *Gratianus*, qui sedit annos III. (Iste, quia armata manu raptoribus, peregrinos spoliantibus, se opposuit iudicatus est à Cardinalibus indignus sepultura. Dixit igitur moriturus: cum mortuus fuero, corpus meum ante fores Ecclesiæ sistatur, januis ecclesiæ feris & vectibus firmatis. Si voluntate Domini portæ fuerint apertæ, corpus inferatur, alias non. Sicque factum est; Turbo enim veniens, portas Ecclesiæ non solum aperuit, sed & magno fragore usque ad parietem deportavit.) Istis igitur tribus depositis substitutus est Episcopus Bambergensis *Clemens* secundus, prius dictus *Swedegherus*, à quo coronatus est Henricus cum uxore. Iste *Clemens*, vix sedens duobus annis, sepultus est Bambergæ; (quem secutus est *Bruno* Tullensis Episcopus, consobrinus *Conradi* Imperatoris præcedentis, natus in dulcis Alfatix finibus; patre *Hugone* sicut & matre in patria Latinaque lingua eruditissimis. Is apud urbem Vangionum volente Imperatore à cunctis est electus & nominatus.) Idem Henricus tempore, quo schisma sedavit, compulit Romanos jurare, quod sine consensu Imperatoris nullus assumatur in Papam; eo quod tantum schisma fecerunt. Idem dum festum Pentecostes Maguntix celebraret, ortum est iurgium in Ecclesia infra missam inter cubicularios Archiepiscopi Maguntini & Abbatis Fuldensis, quis eorum Dominus prior sederet Imperatori; cum Abbas ex antiquo privilegio habeat ad dextram ejus jus residere, eo quod ipsi 6000. (\*) armatorum præbet in hostem. Ventum est igitur ad pugnam, & pavementum inundatur sanguine. Sed statim pace statuta, templum purgatur & missa reinchoatur. Sequentiâ tunc cantata, vox ab aëre lapsa est: *Hunc diem bellicosum ego feci*; sic ait diabolus. Imperator autem ait: *tu omnis malitia inventor & incensor, diem bellicosum & luctuosum fecisti; at nos per Dei gratiam, qui ipsum gloriosum fecit, pauperibus reddemus gratiosum.* Et reincipiens sequentiam solenni ploratu, Sancti Spiritus gratiam invocabat: finitâ quoque missâ, dapes omnes, quæ Cæsari & curialibus parabantur, egenis per præcones conclamatis, distribuebantur. *Vincent. in spec. lib. XXV. cap. XIX.* Idem Imperator subegit(s) Vindelicos populos, Suevis contiguos, qui Vindelici usque hodie dicuntur fortunam adorare, ut olim Ægyptios & omnes pene orientales affirmat super Esaiam Hieronymus fecisse. Hos fecit tributarios, ita, ut diebus suæ coronationis quatuor (t) Reges eorum lebetem, quo carnes condiebantur, in humeris suis vectibus inductis ad coquinam vectitarent. *Ibidem, cap. XVIII.* (Tempore hujus Henrici III. inventum est corpus gigantis incorruptum cum lucerna, ardente sub terra, cum his versibus:

*Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni  
Militis occidit, more suo jacet hic.*

De hoc supra in *Abdon.*) Idem Henricus scholarem quendam satis industrium, sed fuscum, nomine *Hildebrandum*, fecit filio suo Henrico sequenti pædagogum. Iste dum puer erat, filius carpentarii, hastulas ludendo composuit, in hæc verba: *Dominabor à mari usque ad mare.* Quod presbyter superveniens legit, & patri ejus consuluit, ut applicaretur scholæ. Quod contigit, & factus adultus, factus est pædagogus præsens, de quo plus in *Gregorio.* Quadam ergo nocte Cæsar vidit in somno filium suum ad mensam solemnem sedere, cum eodem scholare fusco; cui tunc duo cornua crescebant, ad cælum sublimia, quibus filium suum dejecit in lutum. Visionem narravit uxori, & ipsa resolvit in hunc modum: *Scholaris iste Papa futurus, destituet filium tuum ab imperio.* Quo audito, præcepit Rex scholarem in carceratum in *Hammerstein* fame perire. Expleto autem anni circulo, regina cum Principibus intercessit pro scholari, magnum Romanorum Imperatori pudorem impingens, cum somnia

(\*) supra 1000.

(s) Veneticos.

(t) supremi eorum Cr.



omnia sepe fallant, si quisquam ab illo hac de causa periret. Taliter iste absolutus ivit ad studium, & habitu mutato factus est monachus; & gradatim ascendens, factus est Papa Gregorius sequens. Versus:

*Henricum dixere nigrum barba nigricante,  
Romuleum tulit imperium, Papâ mediante,  
Prospexit populis cum probitate suis.  
Teutonicus dictus tunc Papa fuit Benedictus,  
Et Leo Teutonicus Papa recepit onus.  
Inde Leo moritur, qui Bambergæ tumulatur.*

(Bardo Præful Moguntinus, qui sanctitate claruit, obiit; cui *Liutpoldus* succedit, qui Præpositus fuerat Bambergæ, & obiit anno Domini 1058. Spec. Hist. lib. XXV. cap. XXVII. *Edwardus* Rex Angliæ canonizatur. *S. Theobaldus* obiit & *S. Procopius* Bohemus, Abbas. In *Apulia* erat statua marmorea, hunc habens titulum: Kalendis Maji caput aureum habebat. Quod quidam considerans, & in Kalendis Maji umbram ejus observans, ibi fodit, & magnum thesaurum invenit. *Godfridus* Dux Lotharingorum, Regi Henrico rebellis, ad dedicationem coactus, in castro *Geveckenstein* usque ad dignam satisfactionem custodiæ mandatur. Chron. Amelungsborn. In Spec. Hist. lib. 26. cap. 89. extat horrenda materia, qualiter mortuus quidam apparuit socio vivo, dicens, se damnatum æternaliter; ostenditque litteram *Luciferi*, missam Prælati Ecclesiæ, suis amicis. Inde vivens factus est Monachus apud *S. Melaniam*, habuitque signum, scilicet tria foramina in temporibus & fronte per vitam.) Henricus vero iste tertius moriturus, quia semper corde erat *Goslaria*; ut viscera sua ibi recondiderentur, petiit: reliquum autem corpus locaretur *Spira*, cujus extitit fundator. Qui celerem affectus effectum consecutus est, ipso præsentem vitam in Domino finiente III. Non. Octob. H.

LEO IX. prius dictus *Bruno*, Conradi Imperatoris consobrinus, Episcopus Tullensis, sedit annos V. m. II. d. VI. (Is (u) licet invitatus, tamen videns, se nullo modo posse imperiale præceptum effugere, coactus suscepit injunctum officium, præsentibus Legatis Romanorum; eâ tamen conditione, si audiret totius cleri ac populi Romani consensum & sine dissidio assensum. In humilitate magna, contra omnium Apostolicorum morem, suscepto peregrino habitu, Romanum iter arripuit. Veniens autem apud *Augustam*, audivit Angelicam vocem, harmoniacam melodiam resonare: *Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis. Invocabitis me, & ego exaudiam vos.* Qua consolatione animatus, cœptum iter perficere studuit: quem infinita multitudo undequaque supervenientium comitabatur. Cumque Romam appropinquaret, tota urbs cum hymnidico concentu obviam venit. Ipse vero pedes longinquo itinere, nudis plantis, incessit, dixitque Romanis, se gratanti animo in patriam rediturum, nisi fiat electio communi omnium assensu: ostendens, se coactum ad tam grave onus suscipiendum venisse. Cum autem videret unanimem omnium acclamationem, cunctorum expetit orationem atque absolutionem. Hic igitur beatissimus Leo, mores & vitam *Magni Leonis* imitatus, imò Leonis de tribu Juda pro posse secutus, omnibus exemplum bene vivendi fiebat.) Adeptus dignitatem, vidit in visu *B. Petrum* Apostolum coram summo altari, offerentem sibi quinque claves, sedem ejus quinque annis designantes. Iste Leo leprosum, ante fores domus suæ repertum, fotum & curatum diligenter, in lecto suo collocavit. Quem de matutinis rediens, cum non invenisset, in paupere se Christum suscepisse obstupuit. Iste Leo consecravit Ecclesiam *Goslariæ*. Erat egregius musicus. Composuit historias multorum-sanctorum, ut *Gregorii, Cyriaci, Hippolyti, &c.* (Cum igitur fama viri divulgaretur per populos, nomen Papæ Leonis quocunque terrarum reboabat ore consono. Nec mirandum hoc de hominibus, cum etiam irrationabilia animalia, mirum dictu! nomen illius prædicarent. Nam apud *Beneventum* gallus frequenti voce nomen ejus repetebat, & naturalem emissurus sonum, cunctis mirantibus, *Papa Leo* resonabat. Rex *Dalmatiæ* misit ei psittacum avem, quæ nullo docente toto itinere, dum ad Præfulem deferretur, *ad Papam vado*, recinebat. Et mox, ut ei præsentata fuit, voce dulcifona: *salva Papa Leo*, inclamabat. Iste Leo celebravit concilium Moguntinum Imperatore Henrico præsentem; ubi jejunium banni (x) dicitur institutum. Spec. Histor. lib. 25. cap. 27. In hoc, festo Pentecostes, creditur Moguntia factum, quod & *Goslaria* tempore *Henrici V.* dicitur auditum à Diabolo: *Hunc diem bellicosum ego feci. &c.* Obiit Leo ætatis suæ 50, Episcopatus prius 28, Papatûs autem sexto, anno Domini 1052, cujus hoc est Epitaphium:

*Vitrix*

(u) In MSto Conring. hæc tantum habentur verba: Iste gratiâ devotionis Romam tendens; præcedenti nocte, cum mane urbem esset ingressurus, audivit voces Angelorum, in sublimi canentium: *Dicit Dominus; ego cogito &c.* (x) Jejunium banni, banno seu edicto publico indictum, quod ad Dei bannum seu poenam avertendo suscipiebatur ab iis, qui se banæ diviæ dignos agnoscebant. Serrarius lib. I. rer. Mogunt.



*Vidrix Roma dole nono viduata Leone,  
Ex multis talem vix habitura patrem.)*

1057. **H**ENRICUS IV. imperavit annos L. Admodum puer, quinque annorum, assumptus est, matre regente quasi X. annis imperium. Quæ tandem consideratis malis imperii, quibus resistere non valuit, Bavarorum ducatu, sibi in dotem dato, derelicto, causa devotionis Romam ivit; (veniensque ad locum *Sublacus* S. Benedicti, quasi per medium annum ibi morando; prout augustalem dignitatem decuit, obtulit dona magna fratribus ibidem. Ipsa enim velut altera Regina de Saba de ultimis finibus terræ venit, videre & audire sapientiam veri Salomonis in suis sanctis. Inde rediens Romam, vitam finivit ibidem in Domino, juxta S. Petronillam sepulta.) Hæc est *Agnes*, uxor Henrici tertii. Puer ergo iste Henricus IV. cepit venatui, lusibus, aliisque plus, quam justitiis faciendis, operam dare. Inde cepit discordia Principum contra eum succrescere. Irritabat enim multos nobiles, & singulariter Saxones, eo quod *Ottonem* Ducem Saxonie sive de *Brunswick*, ducatu Bavarie privavit, & *Welfoni* Suevo contulit. Iste Otto construxit monasterium S. Basilii in *Northem*, cujus filii *Sigfridus*, Henricus & *Cono*, non Duces, sed Comites in (y) *Homburg*, amplius dicebantur. Istius Sigfridi filius, æque *Sifridus*, fundator est monasterii in *Amelungsborn*; & iste ultimus Sigfridus obiit sine liberis, in *Northem* in capella S. Nicolai cum suis patribus in Christo sepultus. Henricus, etiam filius istius Ottonis, occisus est à militibus Episcopi Trajectensis; & *Cono* frater ejus, à funestis hominibus nocte quadam interemptus est, & hoc anno 1103. A. Iste Henricus construxit contra Saxones castrum firmissimum *Hartesborg*, unde sæpius Saxones impugnavit. Sed isti conglobati castrum diruerunt; & ex hoc multiplex prælium exortum est. Otto enim Dux Saxonum cum Saxonibus magnam cædem fecit contra Regem juxta *Efchenwegen*, anno Domini 1069: sed pax, facta inter eos juxta *Parthenopolin*, non diu duravit. Eodem enim anno Saxones Regem fugabant, & castrum *Hartesborg* destruentes, claustrum Canonicorum, quod ibi erat, penitus destruxerunt; & quod dictu nefas est, innocentis filii Regis ibidem sepulti, ossa in contumeliam patris de sepulchro ejicientes, dispergunt. Imperator ergo valida manu Saxones petit plurimis præliis. Anno enim Domini (z) MLXXIII. fuit expeditio prima Regis in Saxoniam (a), quæ tamen statim pacificata est. Secunda expeditio (b) bello commissa est juxta flumen *Unstrot*, ubi inter multos nobiles cecidit *Gebehardus*, pater Lotharii Imperatoris sequentis; & Episcopus *Lozannæ* cum aliis occisus est. Tertia expeditio eodem anno in autumno facta est, ubi diu ad invicem pugnantibus, *Rodolfus* Dux Suevorum & Burgundie, vir bonus & amator pacis, utrique parti consulens, apud Saxones obtinuit, ut pacem cum Rege facientes, sine molestia remearent ad propria. Quod dum placeret, & confirmatum est. Die Dominica, cum treugæ starent ad illum diem, *Cæsariensis* super Saxones, inermes & nihil mali suspicantes, irruentes, multos occiderunt, & Principes eorum captos, arctæ custodie manciparunt. Contristatus est valde *Rodolfus*, eo quod promissa non servarentur. Post paucos igitur dies, præter voluntatem Regis & scitum, Principes Saxonum liberati, ad propria redierunt. Tunc Principes Saxonie cum amicis contra Regem conjurant, multos sibi attrahentes, videlicet *Sigfridum* Maguntinum & *Gevehardum* (c) *Zalsburgensem*, Archiepiscopos; *Adelbertum* *Wormatiensem* & *Alberonem* *Wortzeburgensem*; quibus & *Cono* *Coloniensis* Archiepiscopus, imo & *Papa Alexander*, consensum dicitur præbuisse. Quibus Rex territus, Saxoniam discessit, & collecto exercitu, quartam fecit expeditionem, sed frustra. (De isto *Sigfrido* legitur in *Chronica Amelungsbornensi*: Longum est Præfulis Moguntini machinamenta contra Regis fideles enarrare, seditiones describere; civitates aliquas suis sedibus per has pestes orbatas, castella quamplurima invicem destructa, regiones præda flammaque vastatas, congressiones & cædes mutuas factas, oppressiones pauperum & peregrinorum captivitates, more barbarico à Christianis in Christianos excitatas; multaque talia literis tradere. Nam neque pax, neque cætera sancita, neque firmata pacta, custodiuntur.) Tunc autem Principes Saxonum contra Regem colloquium habuerunt in *Oppenheim*, & legatis missis omnia Papæ detulerunt. *Cono* *Coloniensis* ergo, & *Harmannus* *Bambergensis* Episcopi, ad curiam missi, Regem literis Apostolicis vocaverunt ad satisfaciendum de iis, quæ Romæ sunt audita. Rex primam & secundam vocationem non advertens, tertia vice vocatus, de suorum concilio Papæ comparuit, recipiens in mandato, integro anno, humili veste, pedester limina Sanctorum Romæ visitare. Quod dum humiliter implere satageret, consilio Maguntini Archiepiscopi & quorundam aliorum, Regis æmulorum, Apostolicus misit auream coronam dicto *Rodolfo*, sic insignitam: *Petrus dedit Petro, Petrus diadema Rodolfo*; præcepitque Electoribus, ut statuerent eum Regem. Sed *Rodolfus* non consensit, dicens, se Regi jurasse, nec posse fidem violare. Sed tandem prece victus istorum & mandato Papæ, consensit. Porro *Cæsar* Romæ consistebat, ignarus malorum,

(y) in MSC. Cruc. legitur de *Bomborg*. (Quidam volunt *Bemelburg*) in MS. C. margini ad *Homborg* ascribitur. *Dassel* & *Gierstein*. (z) 1069. MS. Cr. (a) juxta *Efchenwege* MSC, Cr. (b) anno Domini 1073. (c) *Salzburgensem*.



lorum, quæ adversus eum agebantur. Surrexit ergo Straceburgensis Episcopus, Regis amicissimus, & velociter pergens Romam, invenit Regem inter memorias martyrum conversantem, nunciatus ei, novum Principem adversus se electum, opusque esse quantocius Alemanniam revisere. Cumque Rex diceret, *nequaquam sine licentia Papæ abeundum*; Ille respondit: *Noveris certe, omne hoc conspirationis malum de fonte Romana perfidia manasse.* Egressus ergo Rex, venit in Almanniam, & lætati sunt sui, præcipue civitates Rheni; congregavitque exercitum grandem, & fuit cum eo, qui postmodum terram sanctam recuperavit, ille *Gotfridus* famosissimus, pugnaveruntque Reges mutuo; & victa est pars Rodolfi, vulneratusque manum dextram, dixit suis: *Videtis manum meam vulneratam. Hac ego juravi Domino meo Henrico non nocere, nec ejus gloria insidiari. Sed jussio Apostolici petitione Principum, me fecit juramenti transgressorem.* Et hæc dicens, juxta fluvium *Elstar*, ubi tertia fuit expeditio, *Mersborg* delatus, in brevi deficiens, ibidem cum honore sepultus est. Hunc autem inunxit *Syfridus* Archiepiscopus Maguntinus in *Vorchem* in Regem. Anno igitur Domini *MLXXXIX*, expeditio Regis *Hinrici* quarta facta est contra Saxones juxta fluvium *Necar*. Tunc etiam Saxones (d) obsederunt *Wörtzburg*; & anno (e) sequenti expeditio quinta facta est in Orientali Francia, & utrinque multi ceciderunt. Sexta autem facta est in *Hassia*, ubi *Fritzlar* combusta cum monasterio *S. Bonifacii*. Septima vero facta iterum prope *Unstrot*, VI. Kal. Febr. cum magno utrorumque casu. Anno igitur Domini *MLXXXIV*, Saxones cum suis *Wortzburg* obsidentes, cum Rex civitati succurreret, ipse fugatus & exercitus ejus contritus est, & civitas capta. Tunc *Syfridus* Archiepiscopus Maguntinus obiit, & (f) *Verselo* succedit, (& obiit anno Domini 1088. Egregius prædicator erat; cui successit *Ruthardus*, decedens anno Domini 1109. *S. Benno* (B. Bernardus) Episcopus *Osnabrugensis* obiit anno Domini 1088, quo tempore fuit expeditio *Henrici IV.* in *Thuringia*, ubi plures interierunt.) Anno Domini *MLXXXV*, duæ (g) expeditiones Imperatoris, contra Saxones factæ, non nocuerunt. Tandem Imperator pacem faciens cum Saxonibus, Romam ivit: cui Græcorum Legati magna munera obtulerunt in auro & argento & vasis pretiosis. Tunc *Henricus* Imperator cepit *Campaniam* & *Apuliam* & omnes Romanos in deditonem, & cum magna gloria Romam intravit: ubi Romani compulsi, XX. obsides ex nobilibus Regi præsentarent. Sed die statuto Papa fugiens, *Salerniam* secessit. Imperator ergo *Wigbertum* *Ravennatensem* Episcopum *Clementem* appellando, Papam constituit; à quo ipse cum *Berta* regina coronatur. Inde *Augustam*, ab hostibus invasam, liberavit; & *Maguntiam* veniens, grandi collecto Episcoporum concilio, *Gregorium VII.* tanquam regni traditorem, damnavit; sicut & *Wormatiz* omnia decreta ejus cassavit. Ibi enim in festo *Pentecostes* Rege suggerente, omnes Principes & Episcopi universi, præter Saxones, contra *Gregorium* Papam sive *Hildebrandum* conspiraverunt eumque abdicaverunt, mittentes ad eum epistolam: (*Sigefridus* *Maguntinus*, *Udo* *Treverenensis*, *Wernerus* *Strazborgensis*, *Wilhelmus* *Trajectensis*, *Hozemannus* *Spirensis*, *Borchardus* *Halberstadtensis*, *Henricus* *Metensis*, *Henricus* *Leodiensis*, *Borchardus* *Basileensis*, *Otto* *Constantiensis*, *Fridericus* *Monasteriensis*, *Elibertus* *Mindensis*, *Hezil* *Hildefienensis*, *Benno* *Ozenbrugenensis*, *Immadus* *Padebornensis*, *Tredo* *Brandenburgensis*; *Eppo* *Neapolitanus*, *Borchardus* *Lofannensis*, *Bruno* *Veronensis*, *Hildebrando* *Fratri*. Cum primum *Ecclesie* gubernacula invassisses, etsi nobis bene cognitum esset, quam illicitam rem & nefariam contra jus & fas, familiari tibi arrogantia, præsumsisses: dissimulanda tamen dispensatoria quadam taciturnitate tam vitiosa introitus tui exordia putavimus, sperantes, tam criminosa principia consequentis Regiminis probitate & industria emendanda & aliquatenus obliteranda. Verum nunc, ut lamentabilis universalis *Ecclesie* status clamat & deplorat, malis initiis tuis, per peiores actuum decretorumque tuorum progressus, infelici respondes tenore & pertinacia.) Quia igitur & introitus tuus tantis perjuriis est initiatus, ut *Ecclesia* Dei tam gravi tempestas per abusionem novitatum tuarum periclitetur, & vitam conversationemque tuam tam multiplici infamia debonestasti: obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec de cetero ullam servaturos esse renunciamus. Et quia nemo nostrum, ut tu publice declamas, tibi hætenus fuit Episcopus: tu quoque nulli nostrum à modo eris Apostolicus. (i) Ibi omnes Episcopi, rebelles Imperatori, de mandato *Clementis* judicantur deponendi. In Concilio etiam *Brixienti* anno Domini 1080, sub conventu 30. Episcoporum, & Optimatum *Italiæ* & *Germaniæ* multorum, *Hildebrandum* *Pseudomonachum*, totius vesaniæ pestiferum Principem, & *Sanctæ Romanæ* sedis invasorem affirmantes, & ab *Apostolica* sede depellendum; *Wigbertum* *Ravennatensem* Archiepiscopum, Papam confirmaverunt, scribentes *Hildebrando* conclusionem istam: Quia te, constat, non à Deo electum, sed fraude & pecunia impudentissime objectum; qui *Ecclesiasticum* subvertis ordinem, qui *Christiani* imperii perturbasti regnum, qui *Regi* *Catholico* & *pacifico* corporis & animæ intentas mortem, qui *perjurium* defendis, qui inter concordem feminas

discor-

(d) ceperunt. Cr. (e) eodem. Cr. (f) *Vercello* Cr. (g) *Octava* juxta *Glicbert*, ubi similiter multi & potentes ceciderunt. Expeditione igitur octava peracta, Rex *Henricus* pacem faciens &c. MS. Cr. (i) in *Chronica Amelungsbörnensi* & *Cosmodromio*, citante *MSC. Cruciano*. In edito tamen *Cosmohremio* non extat Epistola.



discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter conjuges divortia; & quicquid quietis inter piè viventes stare videtur, concussisti: Nos, autore Deo congregati in unum, Legatis ac literis freti 18. Episcoporum, die sancto præterita Pentecostes Moguntia congregatorum, Te Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuriam & homicidia defendentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum Diaconumque, cultorem nigromanticum, & idcirco à vera fide exorbitantem, judicamus canonicè deponendum & expellendum; & nisi ab ipsa sede his auditis descenderis, in perpetuum condemnandum. Facta sunt Kalend. Februarii Indictione III. *Anselmus* autem, Luccensis Episcopus, scribit his valde contraria, nominans Gregorium Beatum, & Wicbertum Prævaricatorum superbum. In Chronica Monasterii S. Michaelis in Hildenshem & Honorius. Tunc Gregorius ivit ad Franciam, quem isti pro Papa tenuerunt, & schisma grande factum est: quia Gregorius Imperatorem degradavit & cum suis excommunicavit; & contra. Circa tempus illud ætas tam fervida facta est, ut non solum homines, sed & pisces perirent in aquis; & terræ motus magnus, portendens malum, toti orbi imminens. (Factum est enim schisma grande, unde & terra doluit.) Tunc Maguntia, Babenbergæ & in multis locis monasteria sunt exusta. (Rex Henricus per biennium Romam obsedit. Inde feria sexta Pentecostes cepit.) Tanta igitur discordia inter Regem & Saxones durante, ipsi elegerunt *HERMANNUM Knufflock* in Cæsarem: sic enim ipsum nominabant, quia electus fuit in *Isleve*, ubi allium abundat. Hic consecratus est Goslaræ à *Sifrido*, Maguntino Episcopo. Et tandem, Saxonibus iterum pacificatis, dictus Hermannus, Regis nomine depositus, permissione Imperatoris, voluntariè reversus est ad propria. Anno (k) ergo sequenti, scilicet *MLXXXIX*. Imperator duxit filiam Regis (l) Tuscorum *Agnetem* castissimam, & in Italia fere septem annis tunc morabatur. (Hanc castam Cæsar per quendam Baronem fecit graviter sollicitari; quam tamen nec præmiis nec minis potuit emollire. Cumque Baro, jussu Regis, sollicitior ad ejus complacentiam, audens non audenda amplius & nimis insisteret, nec cessaret: illa, quasi victa præ rædio, opportunum tempus definivit & locum, Domino videlicet quam primum absente. Intimavit ille Regi, qualiter asfiduitate cadendi gutta lapidem penetraverit, tempus edocens præscriptum. Rex statim, ut promoveret negotium, in longinquum se finxit iturum. Igitur quasi procul abscescit, & prope remansit. Interim Regina providerat sibi juvenes aliquot fortes, veste muliebri vestitos, validis fustibus præmunitos. Nocte igitur deputata, sub specie Mæctri Rege clanculo subintrante, Regina suos advocat videre, quis tali tempore in suo conclavi latitaret. Consurgunt festinanter, & non intelligentes Regem, licet clamantem: *ego sum Rex*; quasi furem inventum optimè castigarunt. Tandem deprehensum est, esse Regem; quem tunc demum Regina stupefacta diligenter admonuit, ne, quem jure possideret, ulterius male furaretur ingressum. Rex autem, proditum se autumans, remuneratur in utroque, in Barone perfidiam, in Regina pudicitiam. Nam illum perdi jusfit; ad illam autem denudatam quamplures juvenes denudatos admittit. Idem etiam Rex signiferi sui uxorem violavit in castro *Scharfeldæ*. Ob hæc & alia multa Deus permisit contra eum, quæ prædicta sunt mala, & quæ hic sequuntur.) *Æmulis* enim Regis Papam inducentibus contra eum, conclusum tandem est, non commodius quam per proprium filium, Imperatorem posse à regno depelli. Unde Maguntinus, Colonienfis, Wormatiensis & Spirensis Præfules, præcipue ex mandato Papæ *Paschalis*, sicut procurarii *vestitura clenodia, filio tuo deferenda*. Cumque causas, cur ita? requireret; responderunt: *Eo quod Episcopatus, Abbatis & Ecclesie regimina venalia simoniacè fecisti*. Contra quod Rex ait: *dicitis, quod spirituales dignitates vendiderimus*. Dic ergo Maguntine, adjunctus per nomen aeterni Dei, quid exegimus aut recepimus, quando te Maguntia præfecimus? Te quoque Colonienfis, per fidem contestamur, dis, quid nobis dedisti pro sede, cui nostra munificentia præsidet? Illis fatentibus, nil hujus rei gratia postulatum aut acceptum; Rex ait: *Gloria Deo, quia vel in hac parte fideliter inventi sumus*. Certe dignitates ista præstantissima magnum questum camera nostra retulissent. Nolite ergo gloriam nostram confusione terminare. Si autem curia decreverit, filio nostro coronam manibus propriis resignabimus. Cæperunt ergo Principes hæsitare, quid agerent, quia magnarum rerum ingressus semper sunt difficiles. Pontificibus autem malitia stipatis, & Rege quasi desolato, dixit Maguntinus: *Nonne nos sumus, qui Regem eligimus? Negotium, pro quo venimus, explebimus*. Sicque Regem purpura cæterisque sacris exuerunt. Tunc Rex, videat, ait, *Deus, & judicet, qua iniquè agitis contra me*. Illi vero obturantes aures suas, imperialia filio deferentes, ipsum contra patrem instigarunt. Rex autem tantum XV. comitatus, venit ad quendam nobilem; qui nomine sui exercitum congregavit, & commissum est sæpius bellum patris adversus filium, & nunc hic, nunc iste triumphavit. Tandem Cæsar victus, dixit Episcopo Spirensi: *Ecce, destitutus regno, nihil mihi melius est, quam Deo servire*. Da mihi præbendam

apud

(k) Sub *Urbano II.* legitur in *MSC. Cruciano*: Imperator Henricus IV. Colonia celebravit nuptias, ducens viduam, filiam Tuscorum Regis. Rursus Italiam ingreditur, fere per 7. annos continuè Romæ moratus.

(l) Rufforum.



apud Spiram : scio enim literas, & adhuc possum choro subservire & Virgini Maria, cujus ingens templum deconvit. Ad quem ille : per matrem Domini, inquit, non faciam. Tunc Rex suspirans ait : misereatur tui Deus. Indeque ad tantam pervenit paupertatem, quod ocreas exponens pro pane, cum præter gladium nihil haberet, illum filio misit, dicens : Si plus sibi reliquisset, plus misisset. Sicque Henricus (m) solemnissimus Imperator, dictus Pater pauperum (n), VII. Id. Augusti migravit ad Christum, & Leodii stetit quinque annis inhumatus in capella deserta, donec ei filius absolutionem impetravit. O magna Dei judicia, quæ completa sunt in tam præpotenti viro ! Sperandum est autem, quod caminus iste tribulationis, scoriæ ejus decoxerit peccatorum. Multa enim mala fecit in vita. Unum vero scire licet, quod Romana sedes adhuc hodie luit factum istud. Honorius.

(Henricus quartus, Guebelingo semine natus,  
Regna per Italiam multa feritate perurget,  
Ut tribuans Domino digna tributa suo.  
Gregorius papa tunc septimus extat in urbe,  
Post venit Urbanus, qui regia facta perurget,  
Fere quoque Paschalis tempora, plena malis.  
Sede Moguntinus tunc præsul, forte ferinus,  
Hic super Henricum magis omnibus est inimicus,  
Tunc quoque Saxonibus missa corona datur.  
Undique conspiciunt, veniunt certamina missa,  
Saxo tribus vicibus Marte repressit eum,  
Filius erigitur Henricus, habens diadema,  
Et studet, ut penitus jura paterna premat.  
Pellitur ergo pater nimia procerum feritate,  
Leodii genitor pauper inopsque latet.  
Henricus magnus, numero quartus reputandus,  
Quiquaginta duos vita perfecerat annos,  
Bellaque tunc nati fertur amara pati.  
In patriam Spiram, qua Rhenica litora ginat,  
Ossa patris minat, nimium commotus in inam,  
Astra capella fuit, que patris ossa tulit.  
Rex ita translatus, feretroque novo reseratus,  
Quinque reservatus annis fuit intumulatus.  
Sacra sepultura nunc Cesaris est valitura,  
Sanctaque Spira membra recondit ea.

## Item T. E.

Henricus quartus in morte fuit vimis artus,  
Summo nodatus banno, fuit ipse ligatus.  
Non fuit humatus, quinquennis post tumulatus.  
Cesar sarcophagum dedit hic Goslar, redimitum  
Cum gemmis mille, duo corpora continet ille  
Que sunt reliquia Cyrilli Valerique.

Maxima pars civitatis Halberstadt incendio conflagravit, & summum Monasterium cum aliis Ecclesiis duabus.) (Anno 1060. Lippoldus Archiepiscopus Moguntinus obiit, cui Sifridus Abbas Fuldenis successit. Anno 1072. Dux Otto cum Saxonibus conjurat contra Henricum Regem Romanorum. 1074. Saxones castrum Hartesborg destruxerunt, & anno sequenti fuit bellum grande. 1078. Civitas Erfurtenfis exusta est cum Monasterio S. Petri, & Ecclesia S. Severi ab exercitu Regis Henrici IV. 1083. Roma capta est ab Henrico IV. Imperatore, & pestilentia grandis facta est. 1084. Sifridus Archiepiscopus Moguntinus obiit, & Wezelo succedit. Iste eximius prædicator. Rex Henricus Romæ coronatur. 1088. Wezelo obiit; Ruthardus succedit.)

VICTOR secundus, qui & Ghevehardus, Alamanus, Eystetensis Episcopus, sedit annos (p) IV. m. IV. Ipse fuit Goslarix tempore (q) Henrici III.

STEPHANUS IX. Teutonicus, frater Godfridi, Ducis Lotringæ, sedit (r) menses IX. dies XXIX; prius dictus fuit Fridericus. BENEDICTUS X. per violentiam Papa factus, sedit menses IX; quem Imperator deposuit, & successit NICOLAUS secundus, Burgundus, seditque annos II. m. VI. d. XXVI; prius fuit Episcopus Florentinus, dictus Gerhardus. Circa hæc

(m) gloriosissimus Crac.  
num Cr.

(n) Z. Crac.

(p) III. Crac.

(q) cum Henrico. Cr.

(r) quædã an-



hæc tempore erat quidam inclusus Scotus monachus Padebornæ, cui revelatum est, nisi populus per penitentiam Deum cito placaret, infra XXX. dies tota civitas periret. Promulgata est visio; sed non convertitur populus. Jussit ergo preciosa quæque monasteria, si salvari deberent, auferri. Exortus est ignis ictu fulminis, & combusta est Padeborne tota civitas, cum Ecclesia majori; & pervenit ignis ad cellam viri Dei, & non exiens, salvatus est gratia divina. Berengarius turbavit Ecclesiam, dicendo: Corpus & sanguinem Christi non verè, sed figurativè esse in altari. Contra quem scripsit egregiè Lanfrancus Papiensis, & magister Anselmi Cantuariensis. Treveris invenitur corpus S. Paulini cum multis, sub (s) Rixivaro passis pro fide Christi.

ALEXANDER II. qui & (t) Anselmus, Mediolanensis, sedit a. XII. m. VI. d. 25. Tunc (claruit Petrus Damiani, vir valde religiosus, in secularibus & divinis literis à puero studiosissimus; quem Stephanus Papa, distractum ab Henrico, fecit Episcopum Hostiensem & Cardinalem.) Cono, Treverorum Archiepiscopus, martyrisatur à quodam Comite, eo quod absque ejus electione ordinatus fuit Episcopus. Qui Cono miraculis claruit. Rex Nordenhumbrorum cum mille pene navibus venit, in Angliam regnaturus, & in Eboraco ad mille laicos & C. presbyteros occidit: quem Rex Anglorum (u) Aroldus, cum VII. legionibus superveniens, cum multis occidit. Spec. Histor. lib. 25. cap. 38. Hunc Aroldum peremit Wilbelmus Comes Nortmannorum, & regnavit ibidem annis XXVI. Erfordia circumdatur muro lapideo. Amarcus poëta claruit in Turego, qui pulchrum Doctrinale novum dictavit pro pueris; qui etiam pulchrum Gracianum composuit.

GREGORIUS VII. qui & Hildebrandus, sedit annos XII. m. I. d. IV. (Iste, Papâ Leone mortuo, venit ad Henricum IV, tunc Romæ Subdiaconus, dicens: quoniam in Romana Ecclesia persona, ad tantum officium idonea, reperiri non potest; de partibus vestris, quem elegeritis in Romanum Pontificem, adducemus. Ex industria vero expetiit Gebbardum Episcopum Eistetensem; quem Imperator singulariter amavit, & propter hoc invitus eo caruit. Admisit tamen, & dictus est Victor II.) Hildebrandus iste prius fuit Prior Cluniacensis. Ipse degradavit Henricum quartum, & convicit Episcopum Ebroneum de Simonia apud Lugdunum. Cum enim deberet dicere: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; defecit in tertio signo, quia non potuit dicere: Spiritui Sancto, donec peccatum Simonie confessus esset. Idem Gregorius statuit, ut omnium Sanctorum Romanorum Pontificum martyrum festivitates, solemniter cum pleno celebrentur officio. Nam cum qualibet Ecclesia sui patroni, etiam si Confessor fuerit, festum solemniter observet: quanto magis eorum, qui totius Ecclesiæ non tam patroni, quam Patres extiterunt. Ordo cœpit Grandimontensis sub patre Stephano, qui post mortem tantis miraculis claruit, quod fratres loci dixerunt: Serve Dei, tu ostendisti nobis paupertatis viam: nunc de arcta via ad latam & spatiosam nos tuis miraculis vis revocare. Et qui predicasti solitudinem, nunc in solitudine forum ac mundanas res congregare. Non curiositate ducimur, ut miracula videre velimus. Sanctitati tue satis credimus. Cave igitur, ne de cætero ea miracula facias, quæ tuam extollant sanctitatem, & nostram destruant humilitatem. Non sic tue provideas laudi, ut nostra immeritor sis salutis. Quod si aliter feceris, tibi dicimus, & per obedientiam, quam tibi promissimus, constanter asserimus, quod ossa tua hinc exhuremus (x) & in flumen spargemus. Spec. hist. lit. 26. cap. 50. Maguntia anno 1081. ex magna parte cum Ecclesia principali, & (y) tribus aliis templis, incendio consumpta est. Similiter & multis aliis in locis. Ordo Karthusiensium cœpit in Burgundia sub magistro Brunone, ex miraculo mortui, resurgentis ad lectionem: Responde mihi. Versus:

Anno milleno, quarto quoque, si bene penses,  
Ac octogeno, sunt orti Cartusenses:  
His ortum tribuit excellens Bruno Magister.  
Post hoc ipse fuit Papa, Consulque, minister,  
Hinc eremum petiit, divino pnevmate flante,  
Et populos adiit Calabros, ubi vixit ut ante.  
Junctis namque sibi sociis, terrestria sprevit,  
Et tumulatus ibi, cum summa pace quievit.

Monasterium Babenbergense crematur in Vigilia Paschæ. Ordo S. Bachumti, primus dicitur ordinum religiosorum: cujus cultores deferunt griseas tunicas cum nigro scapulari; & in scapulari à parte pectoris crux alba.

1086. VICTOR tertius, Abbas Cassinensis, sedit annos III. menses V, prius dictus DESIDERIUS; obiit profluvio ventris. Translatio S. Nicolai in (z) Banam, & S. Konegundis exaltatio Bambergæ. Ordo Cisterciensium cœpit in Burgundia sub Abbate Roberto de monasterio (a) Molinensi, ubi tunc cœpit deficere Ordo S. Benedicti. Dominus enim Robertus, Molinensis cœnobii, in Episcopatu Lingonenfi fundati, Abbas, & cum eo fratres, quorum Deus

corda

(s) Rixivaro. G. (t) Ancellinus. Contr. (u) Aroldus G. (x) extrahemus MSG. (y) tribus Monasteriis. MS. (z) Baran Cr. (a) Molinensi. MS. Cruc.



corda tingerat, de Molifino egressi sunt ad heremum, quæ *Cistercium* dicebatur: qui locus in Episcopatu Cabilonenfi situs est. Versus:

*Octavus nonagesimus millesimus annus  
Instabat, quando cepit Cistercius ordo.*

Vel sic: *Anno millesimo centeno bis minus uno  
Sub patre Roberto cepit Cistercius ordo.*

(Item sic: *Post M. C. Christe, sed bis minus, inclitus iste  
Annis fundatur, qui griseus ordo vocatur.*)

Tunc cœperunt claustra Cistercii *Morimundi* Ordinis Cisterciensium, & monasterium *Reynborne* à *Ludewico* Landgravio Thuringiæ, filio *Barbati* ibi sepulto, per omnia laudabili. (Anno 1087. *Salanian* Ungarorum & *Knuth* Danorum Reges occiduntur à suis.)

URBANUS II. qui & Otto, Episcopus Hostiensis, sedit annos X. menses III. (Henricus IV. Imperator, natalem Domini *Colonia* celebrans, anno Domini 1099. filium suum *Henricum* V. Regem fecit, repulso *Conrado* filio suo, prius per eum coronato; qui *Conradus* dicitur multum bonus & sapiens, immaturè veneno periisse.) Tunc floruit *Anselmus* sanctus Doctor, & Archiepiscopus Cantuariensis, *Petrus Damiani*, & *Petrus* (b) *Alfontius*, prius *Judæus*; qui conversus multa scripsit contra *Talmos* Judæorum. Homines ad VII. millia orandi voto *Jerusalem* petentes, occisi vel vulnerati sunt, ut de tot vix CC. sint reversi. Facula seu draco volavit per aërem, & pestilentia secuta est magna per orbem. In Parochia *Leodienfi* porca porcellum, faciens hominis habentem, enixa est, & pullus gallinæ quadrupes natus est. *Ladislau* Rex *Pannoniæ*, plenus operibus misericordiæ, finivit vitam in Domino. *B. Ivo* fit Episcopus *Carnotensis*. Ipse fuit procurator pauperum in curia Romana. *Magnus* Dux *Saxonum* *Sclavos* subegit, XIV. urbibus subactis, scilicet *Brandeborch*, *Stendel* &c. (*Brandenburg* civitas, à *Saxonibus* obsessa, capta est mense quarto, per quam totam terram obtinuerunt.) Episcopus *Halberstadenfis*, nomine *Bugo*, occiditur *Goslariz*. *Tidericus* Comes de *Katelnborg*, Regi *Henrico* quarto fidelissimus, fundator Ecclesiæ *S. Alexandri* in *Eimbeke*, obiit. Abbatia *Pegoviensis* fundatur à *Marchione Wigberto*, & ab Episcopo *Magdeburgensi* cum suffraganeis dedicatur. PASSAGIUM maximum. *Petrus* enim, *Hispanus* monachus, protulit Epistolam, quam sibi dixit de cœlo datam; qua continebatur: *Impleta sunt tempora nationum, & liberanda est civitas, qua calcatur à gentibus.* Unde movit universos; Papam, Imperatorem, Episcopos, clericos & laicos, ad expeditionem istam. *Urbanus* igitur Papa sermonem fecit ad populum, exhortans eos ad crucem sumendam, dicens inter cœtera: *Nescitis, quoniam vivere hominibus calamitas, mori felicitas est. Mors enim bonis accelerat patriam, malis rescindit malitiam.* *Spec. Hist.* lib. 26. c. 91. Concurrerunt ergo Duces, Comites, nobiles & ignobiles, divites & pauperes, clerici & monachi, puellæ, liberi cum servis, omnes unanimes, ab *Hispania*, *Britannia*, *Scotia*, *Anglia*, *Gallia* & *Francia*, signo *S. Crucis* signati; ultimum ire injurias Dei in hostes Christiani nominis. Et primo quidem *Judæos* in urbibus, ad credendum in Christum compellunt, & credere nolentes bonis privant & trucidant; quorum multi credere simulantes, post ad *Judaismum* sunt relapsi. *Maguntia* interfecti sunt MXIV. *Judæi*, & magna pars civitatis ex hoc exusta est: & ita in multis aliis civitatibus trucidati sunt. *Henricus* tamen IV. ab *Italia* rediens anno 1097, *Ratisbona* moratus, *Judæis*, qui coacti sunt baptizati, *Judaizandi* ritum permisit; quia compelli non deberent ad fidem inviti. Erant igitur Christianorum primi in exercitu primo, sequaces præfati *Petri*, ad XV. millia æstimati: in alio exercitu cum *Volkmaro* Presbytero ad XII. millia. Comes *Emicho*, diu tyrannus, sed velut alter *Saulus*, revelationibus, ut fatebatur, divinis ad hæc vocatus, fere XII. millia signatorum attraxit; qui omnes, proh dolor! peccatis nostris exigentibus, fere perierunt. His ergo quasi paleis de area decussis, grana triticea sequebantur, nobilis videlicet Dux *Lothringiæ*, nomine *Godfridus*, & fratres ejus *Eustachius* & *Baldewinus*: cum quibus erat *Bobemundus* Rex *Siciliæ*, *Hugo* magnus frater *Philippi* Regis *Francorum*, *Tancredus* Dux *Brabantæ*, & Dux *Apuliz*, *Robertus* Comes *Flandriæ*, *Stephanus* Comes *Blesensis*, *Robertus* Comes *Northmannorum*, cum multis aliis, quorum numerus æstimabatur sexagies (\*) centena millia: quorum omnium curam Apostolica auctoritate suscepit vir eximius *Haymarus*, *Podiensis* Episcopus, consilio & doctrina multum proficiuus. Nunquam tot gentes in unam coiere sententiam. Excessit tunc medicina modum, quia plus, quam debuit, in quibusdam voluntas eundi surrepsit, & multi eremitæ, reclusi, monachi & moniales, sine licentia perrexerunt. Mirum autem videtur, quod hæc tuba non insonuit Orientalibus *Francis*, *Bavaris* & *Alemannis*, *Saxonibus*, *Westphalis* & *Thuringis*, quorum nullus intererat passagio. Causa tamen hujus erat continua guerra *Henrici* quarti, & schisma inter regnum & sacerdotium. Exercitus igitur iste tertius, multas passus persecutiones, *Alexium* Imperatorem *Græcorum*, eis insidiantem, humiliavit. Inde *Sarracenorum* CCCLX. millia, *Turcorum* in-

Yyyyyy 3

nume.

(b) *Alfontinus* C.

(\*) forte sexies.



numeros, Arabes cum aliis barbaris in multis millibus, non sine sanguine Christianorum, peremit; ubi & Dominus Turcorum decollatus est. Tunc Dominus Jesus, cum B. Virgine & B. Petro Apostolo, apparuit sacerdoti cuidam, exprobrans beneficia, quæ contulit Christianis, & eorum ingratitude, cum mulieribus fornicantium. Cumque minaretur, se vindicaturum; mater misericordiae & S. Petrus, ceciderunt ad pedes Jesu, supplicantes, ne pro culpa paucorum cunctis irasceretur. Qui precibus illorum acquiescens, dixit presbytero: *Vade & dic populo meo: lupanar & prostibulum, & omnem à vobis removeat abusum, & oportunum vobis auxilium providebo. Et continuè decantetur: Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in fortitudine sua. Contere Domine fortitudinem illorum.* Tunc & S. Andreas Apostolus alteri peregrino, nomine *Petrus*, apparens, demonstravit ei lanceam Domini. Qua reperta, dum exirent Christiani ad pugnam, visus est à montibus venire exercitus innumerabilis, equis albis insistentes, cujus agminis ductores erant SS. *Georgius, Demetrius, & Mercurius*. Sicque Turcis fugientibus, Christiani triumphantes Ierusalem civitatem accesserunt; quam cum capere non possent, habito concilio, humilitatis magistrum imitantes, eam nudis pedibus circumierunt, & octava die, qua tunc divisio Apostolorum celebrabatur, civitas capitur. Et notanter *octavè* in Novo Testamento, sicut *Iericho* septimo die in Veteri Testamento. Ibi quodam confictu quinque millia equitum & XV. peditum Christiani, superaverunt C. millia equitum, & CCC. millia paganorum peditum. *Godfridus* igitur, cum pacificè totam terram sanctam per Christianos possideret, & primus Latinorum Rex Ierusalem deberet coronari; noluit Rex appellari. Sed eo mortuo, frater ejus *Baldewinus*, Comes Edissanus, primus Latinorum, Rex constitutus est Ierosolymorum.

Anno igitur Domini MCI. *Terram sanctam* Latini & Teutonici recuperaverunt, & potenter possederunt per annos CXCIV. Perdiderunt enim eam anno Domini MCCXCIII. Christiani tamen etiam prius eam possederunt usque ad tempora Heraclii. Tempora quo Christiani *Ierusalem* ceperunt, die Paschæ, divinitus omnes lampades sepulchri Dominici sunt accensi. Iam etiam profectionem Christianorum multa miracula præcesserunt. In multis enim regionibus vermiculi nimii, non longe à terra volantes, ita ut manu tangi possent, quasi muscæ: quorum tam infinitus extitit exercitus, ut milliare in latitudine & tria in longitudine viderentur occupare; densitate vero sua solis lucem terris negare. Perquam prodigiosam visionem, istam Ierosolymæ profectionem, quidam interpretati sunt figurari. Cometa etiam apparuit per totam quadragesimam. Grandinis lapides tantum ceciderunt in diœcesi Wurtzeborgensi, quod à quatuor hominibus unus lapis portari non potuerit. In Episcopatu Spirenti sanguis è panibus profuxit, bellum designans intestinum. Reges Teutonici in Ierusalem fuerunt *BALDEWINUS* primus, apud *Berlebem* coronatus anno Domini millesimo centesimo primo, qui regnavit annos XVIII. Hic *Calisam* Principem Ægypti cum L. millibus equitum & XIII. millibus peditum superavit; habens tantum secum CCLX. equites, & DCCCC. pedites. Cui succedit *BALDEWINUS de Burgo*, consanguineus ejus, qui Regem Turcorum & Damascenorum cum XV. millibus equitum stravit; ubi de Christianis tantum XXIV. ceciderunt. Regnavit autem annos XIII; Cui succedit *FULCO* gener ejus, Comes Andegavenfis annos XI. Post quem filius ejus *Baldwinus* annis XXIV; cui succedit *ALMARICUS* frater ejus anno XII. & ei succedit filius ejus *BALDEWINUS* leprosus. Hi omnes magnalia fecerunt. Post quos regnavit ibi Comes *Pictaviensis*, & orta est dissensio regni que destructio. (Nota: Anno Domini 1098. in mense Martio factum est primò passagium; & eodem anno 12. Kal. Novembris circumdabatur *Antiochia*, & capiebatur 4. Non. Junii anno sequenti, scilicet 1099. Die 7. Junii circumdabatur *Ierusalem*, & capiebatur 15. die Julii. Contra anno 1187. Saraceni ceperunt Ierusalem & quasi totam terram; & sic Christiani Teutonici possederunt eam annis 88. Adhuc tamen possidebant *Damiatam* & *Accaron* cum multis aliis locis terræ Sanctæ, usque ad annum Domini 1242. & sic fuerunt ibi domini Christiani per annos 144. Ex *Chronica Godfridi Ducis Lotbaringia*.)

*PASCALIS* secundus, qui & *Reynerus*, Tuscus, sedit annis XIIX. m. VI. d. VII. Hic similiter præcepit, diadema Henrico IV. tollendum, & ad filium ejus æquivocum transferendum, de quo nescio, an pœnituerit. De *Gregorio VII.* legitur, quod in fine vitæ suæ vocaverit unum de XII. Cardinalibus, quem præ cæteris diligebat; & confessus est Deo & S. Petro & toti Ecclesiæ, se valde peccasse in pastoralis cura, & contra humanum genus odium & iram concitasse: mittens eundem confessorem suum ad *Henricum IV.* Imperatorem, ut obtineret ei indulgentiam. Et dissolvit vincula bannorum suorum omnium, Imperatori & omni populo Christiano, vivis & defunctis, clericis & laicis. In *Spec. hist.* lic. 26. c. 82. Fames II. annos duravit, & innumerabiles extinxit, præcipue circa Rhenum. (*Rubertus*, Episcopus Bambergensis obiit, cui per Henricum IV. S. Otto, Capellanus ejus substituitur. Tunc *Erich* Rex Danorum, cum conjuge sua & toto exercitu, periit in via Hierosolymitana.)



**H**ENRICUS quintus, filius quarti, imperat annos (d) XX. Duxit uxorem *Mechild*, filiam Regis *Anglia*. (Habuit *Maguntie* tam magnum conventum Principum, quantus ibi alias non est visus, in natali Domini. Affuerunt ultra 50. Primates, solusque Dux *Saxonie*, nomine *Magnus*, dicitur defuisse. Ibi supervenientibus Legatis Apostolicis, *Albano*, & *Gebehardo*, Episcopo Constantiensi, ejusdem legato Papæ, Henricus confirmatus est in Regem contra patrem, adhuc patre vivente. Ibi Rex juvenis Regem cæli, totamque cæli militum contestatur, cum lacrymis ait, se nulla regnandi cupiditate paternum regnum usurpare, neque Dominum & Patrem suum à Romano deponi Imperio exoptare; imo si se S. Petro suisque successoribus subjici velit, sive regno cedere sive serviliter ipsi subesse, promissit. Quod auditum omnis multitudo collabidans, lacrimas simul & preces, tam pro patris conversione quam pro filii prosperitate, fundere cepit, voce magna *Kyrie eleison* declamando. Ibi tota *Alemannia* Papæ reconciliatur, & Episcopi depositi restituuntur; quorum unus erat *Aslo* Parthenopolitanus. Et ordinati per Episcopos simonicos & excommunicatos, per impositionem manus Legatorum restituuntur. In *Chronica* S. Michaelis. Dicitur *Gebehardus* Episcopus Constantiensis, Legatus Papæ sanctus & canonisatus, celebravit Ordines *Goslarie*; ubi similiter multi reconciliabantur, sabbatho S. Pentecostes.) Idem Henricus habuit conventum Episcoporum in villa regia *Northusen*, ubi *Rothardum* Archiepiscopum *Maguntinum*, quem pater privavit, restituit. In festo *Paschæ* habuit concilium Episcoporum in *Quedelenborg*, ubi decretis patrum lectis & auditis, quæcunque poterant emendari, corrigebantur: graviora vero ad Apostolicam audientiam differebant. Ibi *Fredericus* *Halverstadensis* Episcopus deponitur, & *Mindensis*, convicti de *Simonia*. *Hildensemensis* autem & *Padebornensis* suspensi sunt, ab Apostolico vel ejus Legatis examinandi. Idem Rex, dum quadam die esset in civitate Imperiali *Lübecke*, improvisus supervenit exercitus *Ranorum*, i. e. *Sclavorum Rugianorum*; quos, auxiliante Deo, Christiani vicerunt, feceruntque tumulum magnum de corporibus paganorum, qui usque hodie dicitur *Ranenborg*: statuentes, (f) ut die Kal. Augusti celebretur annis ibi singulis illius recordatio perpetua. Ex *Chronica Sclavorum*. (Rebus dispositis in *Alemannia* *Henricus V.* cum ingenti armatorum multitudine per *Lombardiam* & *Tusciam* venit *Florentiam*, ubi natalem Domini cum ingenti tripudio, hætenus ibidem invisit, celebrans: perrexit ad *Aquam pendentem*, ubi legatos suos, ab Apostolico *Paschali* remissos, lætè recepit, cum Legatis Romanorum, dicentibus, Papam & Romanos ad omnia promptos. Rex ad urbem properat. Papa *Paschalis*, non modicè lætatus, cum omni clero imò fere totâ Româ, in occursum se Regis adornans, cum immensa honorificentia per argenteam portam, antiquo Romanorum instituto, Regem deduxerunt *Dominica 40.*) Ut autem ventum est ad consecrationem, exegit ab eo Papa juramentum fidelitatis. Rex autem jurare nolens, dixit: *Imperatorem nemini debere jurare; cui juramentorum Sacramenta ab omnibus sint exhibenda*. Facta est ergo inter eos contentio, & irruerunt Romani in exercitum Regis; & ortum est bellum in domo S. Petri, quale non est auditum ab antiquis: prævaluitque Regis exercitus, & Romanos attrivit; repletaque est domus sanctificationis morticiniis, profluxitque sanguis in *Tiberim*. Vidisses ibi Cardinales, funibus in colla missis, nudos trahi, vinctis post terga manibus, Papamque captum honestè tamen tentum: sicque Papa compulsus, Regem consecravit, captivis relaxatis. Inde idem Henricus ad *Poloniam* movit exercitum, (g) multoque labore diu negatum terræ illius exegit tributum. Sequenti anno nunciatur Regi, quendam paganum Ducatum occupare gentis *Bohemice*; qui mox Principes cum valida manu præmisit. Hi prospera velocitate, *Pragam* cum hostibus intra deprehensis, ceperunt, Regique subsequenti cum triumpho occurrerunt. Tunc idem Henricus Ducatum *Saxonie* *Magno* mortuo tribuit *Ludero*, Comiti in *Supplingenborg*, viro strenuo & probissimo, eo quod *Magnus* filium non haberet, sed tantum filias. *Luderus* autem cum modestia gubernavit tam *Saxones* quam *Slavos*. Ille est Imperator sequens. Postquam ergo Henricus Imperator prosperè agens, Ducem *Bohemie* *Borvi* Ducatu privavit, & terram tributariam fecit; voluit & *Saxoniam* subjugare & tributariam facere. Unde destruxit *Halverstad*, & *Brünsvik* obsedit. *Saxones* autem adunati, seque fortiter adjutorio Dei defendentes, tam ab illis Christianis, quam ab altera parte, à paganis *Sclavis*, terram suam defenserunt. Tunc enim *Slavi* *Saxoniam* infestabant: sed *Luderus* Dux *Saxonum*, novem urbibus eorum subjugatis, pacem fecit, petitis & acceptis obsidibus, victorque rediit in hostes *Cæsarienses*. *Reinhardus* tunc Episcopus *Halverstadensis*, inter missarum solemnia verbum faciens (h) ad populum, movit eos divinam implorare clementiam, ac pro defensione libertatis & patriæ viriliter pugnare, Unde *Saxones* animati, hostes quasi oves aggressi tanto sunt furore, ut XX. vel XXX. Imperiales ab uno *Saxone* occumberent. Toto ergo die in *Welpesholt* pugnatum est, & nox bellum diremit. Rex itaque fugatus, nocte pererrans, tandem se recepit in *Bavariam*; *Saxones*

(d) XVIII. Conr. (f) Statuerunt *Lubecenses*, diem istam, seu *Kalendas Augusti*, Deo celebrari in perpetuam hujus rei recordationem *MSC. Cruc.* (g) diu non solum exigens tributum, & obtinuit. Cr. (h) exercitui. Cr.



xones autem victores ad propria redierunt. Inde & oppidum *Openheim* violenter ceperunt & destruxerunt; ubi flammis conflagrantibus ad duo millia hominum perierunt. Inde & castrum (i) *Kyffhusen* prope *Norbusen* à Saxonibus est eversum. Versus:

Anno millesimo centeno ter quoque quinto  
*Silvam Welfonis perfuderat unde cruoris.*  
*Salvi Saxones, Francones atque Thuringi:*  
*Henrici Regis exercitus est superatus.*

(Maximus & antea inauditus terræ motus & eclipsis, & mirabilis elatio maris: & cecidit grando miræ magnitudinis, ædificia evertens; & homines cum animalibus & frumentis absumpsit. Coruscationes & tonitrua in Martio; igneæ quoque nubes interfuere. *Verona*, civitas Italiæ nobilis, multis mortalibus obrutis, corruit. Similiter & *Parma*, & in multis aliis urbibus & castellis, non pauca hominum millia interiit. *Unstroth* fluvius, alvei sui profundo scisso, ex toto absorptus est terræ motu, post multa horarum spatia refluyendo. Quibus cladibus visis, Saxones permoti, ceperunt prædones exterminare pacemque jucundissimam ordinare, Regi *Henrico V.* reconciliati. Pomerani Slavi, nunc Saxones, convertuntur per *S. Ottonem*, Episcopum Bambergensem. Sanctus *Bernhardus* cum quinque fratribus, & aliis quasi XXX. personis (k) ingreditur *Claram vallem*, quæ prius *vallis absinthii* dicebatur, factus Monachus Cisterciensis, existens tunc XXII. annorum. Anno Domini 1113. Ordo Templariorum cœpit, quem *S. Bernhardus* multipliciter commendat. Domus *Clarevallis* fundatur, cui *Beatus Bernhardus* primus Abbas præficitur. Sanctus *Anselmus* Doctus & Episcopus obiit. *Philippus* Rex Francorum obiit, cui *Lodewicus* filius succedit anno 1119. Obiit & *Sigebertus* Historicus. *Hallis* fundatur cœnobium *Novi Operis*. *Rogerus* Rex Siciliæ insignes sæpius habuit victorias de Saracenis. Genuit *Wilhelmum*, Regem Apuliæ gloriosum. Marchio *Herman* de castro *Baden* Episcopatus *Strazeburgensis* seculum reliquit, uno suorum comitante; qui licet prohibitus à Domino, sibi retinuit quinque solidos denariorum. Unde tribus diebus ambulantes, à nullo poterant subsidium necessitatis impetrare; donec ille confessus fuit, se pecuniam habere. Quam Domino projiciente in flumen, statim eis necessaria ministrabantur. Inde socio relicto, ne manifestaretur, Marchio solus Ordinem Cisterciensium intravit.) Dux *Luderus* Saxonum, & Comes *Hermannis* de *Wintzenborg* cum forti manu civitatem *Münster* invadunt, pro restituendo Episcopo *Tiderico* spoliato: in quo tumultu templum *S. Pauli*, cum tota fere urbe, flamma consumit. Restituto autem Pontifice, multam pecuniam prædicti Principes ad restitutionem Ecclesiæ contulerunt: & dixerunt homines, tanti excidii causam non esse aliam, nisi quod defuncti *Borghardi* Episcopi, qui multa illic ex iniquitate comportaverat, monstraretur Deo oblatio non placuisse. H. Imperator iterum Romam vadit, propter sedandam discordiam inter regnum & sacerdotium. Rex enim uti volens autoritate & consuetudine privilegiata, quæ à *Karolo Magno* Romanis Imperatoribus data, jam quasi CCC. annis sub *LXIII.* Apostolicis duravit: qui licite dabant Episcopatus & Abbatias per virgam & anulum. Contra quod *Gregorius*, *Urbanus*, & cæteri Papæ censebant, nec posse nec debere aliquam dignitatem Ecclesiasticam dari à manu laicali. In reconciliatione igitur, quæ tunc facta est anno Domini 1122. inter Imperatorem & Papam die Paschæ, Papa Paschalis post lectum Evangelium tradidit *Henrico* coronato ante altare *BB. Petri & Pauli*, in oculis omnium Principum, privilegium de investitura Episcopatum & Abbatiarum per anulum & virgam. Dein tradidit ei corpus & sanguinem Domini nostri *Jesu Christi*, dicens: *Domine Imperator, hoc corpus Domini, natum ex Maria virgine, passum pro nobis in cruce, damus tibi in confirmationem vera pacis inter me & te. Specul. hist. lib. XXVII. c. X.* Sicque feliciter Rex *Henricus* reversus est in *Alemanniam*. Similiter facto conventu universali apud urbem *Wangionum*, quæ nunc dicitur *Wormatia*, pro pace & concordia inter Papam & Regem, per *Hoftiensem* Episcopum, quem cum cæteris legatis suis Papa transmiserat, tractabatur. Qualiter ecclesiasticas investituras, cæteraque spiritualia negotia, quæ multo tempore Teutonici administraverant, tunc Rex Ecclesiæ dimiserit, vel qualia ipsi autoritas Apostolica concesserit, utriusque partis scripta docebunt, hoc modo. *Ego Henricus, Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, pro Dei amore, & S. Romana Ecclesia, & pro remedio anima mea, dimitto Deo, & S. Apostolis ejus Petro & Paulo, sanctæque catholica Ecclesia, omnem investituram per anulum & baculum; & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam consecrationem. Possessiones quoque & regalia B. Petri, quæ à principio hujus discordia usque in hodiernum diem, sive tempore patris mei, sive tempore meo oblata sunt; quæ habeo, S. Romana Ecclesia restituo: quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter juvabo. Idem de omnibus aliis Ecclesiis. Et de veram pacem Domino Papa, Sanctæque Romana Ecclesia, & in quibus Ecclesia postulaverit auxilium, fideliter juvabo.* Kalixtus vero dedit hoc privilegium *Henrico*, in hanc formam: *Ego Kalixtus servus servorum Dei, dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperator*

(i) Kyffhusen. Cont. vid. sub *Friderico II.*

(k) ingreditur Cistercium. C. G.



Imperatori semper Augusto, Concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici regni, qua ad regnum pertinent, in praesentia tui fieri, absque simonia & aliqua violentia. Et si qua inter partes discordia emergerit, iudicio vel consilio saniori assensum & auxilium praebeas. Electus autem regalia per sceptrum à te recipiat: exemptis omnibus, qua ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur. Ex aliis vero partibus Imperii consecratus, infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceris, secundum officii mei debitum, auxilium prestabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua sunt vel fuerunt, tempore hujus discordia. (Datum anno Domini MCXXII. nono Kal. Octobr.) (Sic quoque Christo in terram respiciente de caelo sancto suo, sicut ubique devotio viguit & religio Christiana: ita etiam rerum prosperitas & copia frugum circumquaque crescere cepit, & immensa lætitia. Chronicon S. Michaelis Hild. Circa hoc tempus exercitus Christianorum, in Syria aggressus Saracenos, in uno praelio occidit MMD. Saracenorum, ubi de Christianis tantummodo XV. ceciderunt. In alio vero praelio plures Christiani, sed absque numero Saraceni perierunt. Item T. E. (\*) versus:

Henricus quintus fuerat, qui fuisse ab intus  
Multum virtute, quia rexerat omnia iude.  
Hic Rex edixit aulam, dum corpore vixit,  
Multis magnatis, de Principibus generatis.  
Tunc fuit occisa gens ingens, Goslare visa;  
Talis & exempli, quod sanguis ad ostia templi  
Effluxit multus, qui postea mansit inultus.  
Daemon cantabat, & in aëre vociferabat:  
Cunctis hoc festum formavi cade molestum.  
Fuldensis pronom dedit Abbas nempe coronam.

Familia enim Abbatis de Fulda fecit istam brigam. Unde Diabolus dixit: hunc diem bellicosum ego feci. In Chronica Goslariensi legitur, quod fuit tempore patris illius Henrici; quodque tunc Bogo Episcopus Halberstadenfis, & Dedo Comes Palatinus cum aliis interfecti fuerunt. Iste Henricus est Spira sepultus.

GELASIUS sedit unum annum, dies V.  
KALIXTUS secundus, Burgundus. à B. Petro centesimus septuagesimus, sedit annos VI. menses X. Iste absoluit Henricum quartum ab excommunicatione; tam Wormatia, quam in concilio Remensi CCCCL. Episcoporum. Contra quem Papam fuit assumptus quidam Burdunus, qui sic dictus est, quia Hispanus erat, ubi sunt fortes asini; qui nominavit se GREGORIUM. Sed Kalixtus Burdunum captum, versa facie fecit se praere in camelo, caudam cameli tenentem pro freno. H. ORDO PRÆMONSTRATENSIS cepit sub Noriberto, postea Archiepiscopo Magdeburgensi; qui sanctus, multorum monasteriorum fundator, & Sanctæ religionis eximius erat propagator, & Innocentii Papa æquissimus fautor. Per lix. annos sapienter & fideliter in Episcopatu Magdeburgensi laborans, data fratribus adstantibus benedictione, moritur in Christo, jussu Luderi Imperatoris in Ecclesia S. Mariae, cum fratribus & filiis, quos in Christo genuit, ibi sepultus VIII. Idus Julii.

Anno milleno centeno bis duodeno  
Sub Patre Noriperto Præmonstrati viget ordo.

Item versus:

Post centum mille bis denos, ordo fit ille,  
Quem per Noribertum nos credimus esse repertum.

Vel sic:

In Præmonstrato, formatur candidus ordo.

Isti Præmonstratenses dicuntur etiam ab illo Noriperto Canonici Noripertini, Nota; versus de Henrico quinto:

Cum foret Henrico subjecta per omnia Roma;  
Vnctus Apostolicis manibus, sumtaque corona,  
Bella parat populus: concurrat ab urbe senatus.  
Prævalet Henricus, pars Præsulis exspoliatur,  
Papaeque Paschalis sic spoliatus abit.  
Non erat Henrico quinto tunc masculus haeres  
Sed soror; hæc ejus genuit, qui regna meretur.  
Conradus Dux imperium captare paratur;  
Lotharius Dux Saxonicus cum contra levatur:

Bella-

(\*) T. Longi MS. Cruc.



*Bellaque Rex Regi fortis utrinque vehit.  
Schisma fuit regno, sunt à nova schismata Papa;  
Nam duo sunt Papa, binæque fuere corone.  
Regnat Lotharius, Conradus amicus habetur,  
Summus & imperit signifer ipse fuit.  
Lotharius senit, Conradi longa juvenus;  
Succedens juvenis regia jura tulit.*

*Antelmus* primum Havelbergenfis Epifcopus, postmodum Ravennenfis Archiepifcopus, à *Lothario* Christianiffimo Romanorum Imperatore, ad *Johannem* Conftantinopolitanæ urbis Imperatorem, Apocrifarius miffus, ut subtiliter diverfarum ibi religionum (k) ftatuta scrutaretur. Vidit in monafterio, quod *Pantocrator*, i. e. *Omnipotentis*, dicitur, DCC. ferme monachos, fub regula *B. Antonii* Domino militantes. In monafterio quoque, quod *Philanthropon*, i. e. amantis hominum, vidit D. monachos, fub regula *S. Pachymei* Domino fervientes. Ex lib. 1. cap. 3. *Virorum Illuftr. Ord. Ciftercienfis*. (Domus *Campenfis* fundatur anno 1122. In pago *Wormatienfis* videbatur per aliquot dies non modica & armata multitudo equitum, euntium & redeuntium, quafi ad placiti colloquia nunc hic nunc illic turmas facere: circa nonam vero horam, cuidam monti, à quo exiffe videbantur, fe reddere. Tandem quidam non fine timore, figno tamen crucis fe muniens, unam ex illis perfonam per nomen Domini noftri *Jesu Christi*, ut fe manifeftet, adjurat. Cui ille: non fumus, inquit, ut putatis, phantasmata nec militum turba, fed animæ militum, non longe ante hæc interfectorum. Arma vero, habitus & equi, quia nobis prius fuerant inftrumenta peccandi, nunc nobis funt materia tormenti. Totum ignitum eft, quod in nobis cernitis. In hujusmodi comitatu dicitur & Comes *Emico* fuiſſe, & ab hac pœna orationibus & elemofynis fe poſſe redimi, docuiſſe. A. Frigus & pruina diriffimæ feria quarta Pentecofte, fruges & vineas deftruxit. Et fimiliter 16. Kal. Julii apes quoque perierunt. Anno Domini 1126. cœpit *Abbatia Eboracenſis*; anno 1128. *Abbatia Bonimontis*; item *Andegavis*.)

**HONORIUS II.** qui & *Lambertus*, Bononienfis, fedit annos V. menfes II. dies III. Confirmavit *Ordinem Templariorum*, de quo infra. (Reliquiæ *S. Matthiæ* reperiuntur *Treveris*. Poſt Honorium factum eft ſchiſma grande, quod tamen interventu *B. Bernhardi* ſedatum eft. Electus enim fuit *Gregorius S. Angeli*, & *Innocentius II.* nominatus.)

**LUDERVS**, *Ludolfus* vel *Lotharius*, Dux Saxonum vel *Brunsvik*, Maguntia per omnes, fed invitus aſſumptus, imperavit annis XII. menfes 2. dies X. honeſtis acibus & morum probitate decoratus, in bellis expertiffimus, victor frequentiffimus, amator juſtitia, & furorum prædeceſſorum *Ottonum* imitator & hæres Christianiffimus: cujus toto tempore Eccleſia pace gaudebat, divini cultus religio creſcebat, cunctarumque rerum opulencia abundabat. H. Cam enim *Henricus* quintus uxore dimiſſa nuſquam comparet, & ut quidam dicunt, occulte peregrinationem aggreſſus, Cluniaci factus fit monachus: *Conradus* ſequens, quafi regni hæres, imperium arripuit; & diu contra *Lotharium* litigando, tandem *Lothario* prævalente, concordatum eft, ut ei fidelis fit, & ſuccedat in Regno.

*Anno milleno centeno bis duodeno  
Eriburg fundatur, Conradus Dux dominatur.*

*Lotharius* ergo Romæ coronatus, Bambergæ quadrageſimam celebrans, dictum *Conradum* & *Fridericum*, interventu *S. Bernhardi* tunc præſentis, recepit in gratiam. Inde diverſens in Saxoniam, Regem *Polonorum* cum multis muneribus obvium habuit; quem non prius admittit, quam tributum XII. annorum, de quolibet anno L. libras, perſolveret, & (l) de Pomeranis & *Rugianis* homagium faceret. Regem (ll) quoque Danorum in ſignum ſubjectionis, gladium ſibi ſub corona deferre fecit: ab Ungarorum etiam Rege multa & magnifica munera ſuſcepit in Halberſtadt. *Spiram* civitatem, collecto grandi ſatis exercitu, IX. menſibus oppugnatam, cepit, & *Auguſtam* civitatem. Regnum *Siciliæ* intrans cum Papa, *Rogerium*, qui tunc contra Papam ſe erexerat, & *Apuliam* occupaverat, potenter expulit, conſtituens *Raynonem* Ducem *Apuliæ*. Inde in *Calabria*, *Campania*, *Trinacria*, tam fortia bella geſſit, ut nullus à *Karolo Magno*, ibi tanta feciſſe dicatur, juvante eum præ omnibus civitatibus nobili *Piſanorum* civitate; de quorum laude ſcribit *B. Bernbardus* ad eundem *Lotharium* Imperatorem, his verbis: *Homines duplici dignos honore & gratia, Piſanos dico, qui primi & ſoli erexere vexillum adverſus invaſorem imperii; accincti multis millibus ſuis, exierunt oppugnare tyrannum, ulciſci injuriam Domini ſui, & imperialem deſenſare coronam. Quenam, quaſo, in omnibus civitatibus ſicut *Piſa* fidelis, egrèdiens & regrediens, & pergens ad Imperium Regis? Nonne hi ſunt, qui nuper regni illum potentiffimum hoſtem in obſidione *Neapolis* fugaverunt? Nonne hi ſunt, qui, &*

(k) ſtatum. Cr. (l) de terra quoque Cr. (ll) Imperator *Lotharius* paſcha celebrat Halberſtadt, ubi Rex Danorum enſem Imperatoris in proceſſione portavit. Hæc verba inſta in edito occurrebant.



quod pene incredibile dictu est, uno impetu suo, expugnaverunt duas civitates opulentissimas, quae prius, ut ajunt, omnibus erant inexpugnabiles? Hi summum Pontificem exulem apud se cum summo honore servabant & servant; pro servitio quoque Imperatoris & ipsi tunc exulabant. Factum est mirandum, ut gratiam, qui offenderunt, & iram, qui servierunt, mererentur. Sed si vos ista nesciebatis, nunc, quando res nota est, oportet, decet & expedit mutare vos & verbum & animum; ut viri, regis favoribus & muneribus honorandi, de cetero recipiant, prout digni sunt. O quantum Pisani meruerunt; quantum adhuc mereri possunt! Satis est dictum sapienti. Idem Bernhardus Epistola XVIII. secundae partis suae pro reductione regni Siciliae & aliorum: Lotbario Dei gratia Romano Imperatori Augusto, Bernhardus Abbas de Clavalle. Si quid potest peccatorum oratio, benedictus Deus, qui vos elegit, & erexit cornu salutis nobis, ad laudem & gloriam nominis sui, & reparandum decus imperii; ad subveniendum Ecclesiae suae in tempore malo; postremo, ad operandum etiam nunc salutem in medio terra. Ipsius est opus, quod corona gloria vestra ita indies ampliatur & sublimatur apud Deum & homines. Non est meum hortari ad pugnam; est tamen, securus dico, Advocati Ecclesiae, arcere ab Ecclesia infestatione schismaticorum rabiem; est Caesaris, propriam vindicare coronam ab usurpatore Siculo. Pocul dubio omnis, qui in Sicilia Regem se facit, contradicit Caesari. Idem ad Eundem aliam pro Mediolanensibus: In reconciliatione Mediolanensi non sumus obliti, unde à Vestra Excellentia praemoniti fueramus. Quod etsi non monuissetis, nihilominus honori vestro & regni utilitatibus intenderemus; sicut ubique & semper fideliter, quantum possumus, facimus. Non autem sane Mediolanenses in gratiam Domini Papae, & Ecclesiae unitatem, recepti sunt, quousque palam, Conrado refutato & abnegato, Dominum nostrum Lotbarium in suum Regem & Dominum receperunt, & Romanorum Imperatorem Augustum, una cum toto orbe confessi sunt; & de injuria transacta, juxta consilium & mandatum Domini Papae, dignè se vobis satisfacturos esse, tacto SS. Evangelio sponderunt. Unde magnas gratias agentes divinae bonitati, quae absque bellorum periculis, absque humani sanguinis effusione, inimicos vestros sic humiliavit; rogamus vestram, satis nobis expertam clementiam, ut tempore suo, cum requisierint praedicti Mediolanenses suam reconciliationem vestram gratiam, benignos vos atque placabiles inveniamus; quatenus nec eos poeniteat sanis paruisse consiliis, & vos de eis debitum habeatis servitium & honorem. In Sclavia Saxoniae tunc multiplex invaluit idolorum cultura. Sed Lotharius, cujus erga vocationem gentium semper virtus fuit & intentio, pacem reformavit inter Sclavos & Saxones; dans ducatum Saxoniae Henrico genero suo, Duci Bavariae. Ipse etiam fecit primum Lantgravium Thuringiae Lodovicum, cujus pater construxit coenobium Reynsborne. Nam antea terra Thuringiae (o) fuit sub Comite de Winzingeborg. Hermanus autem Comes ibidem, quia occidit dominum suum Vdonem Marchionem, factus reus laesae majestatis, tradidit se cum castro Imperatori & sic fuit reconciliatus. Iste Comes, postquam non cessavit à tyrannide; cum uxore sua Lutgard imprægnata, quam priore dimissa duxerat, à ministerialibus Hildesemensis dioceseos gladio transverberatus est in lecto, III. Kal. Febr. anno Domini 1152. Idem Comes post VII. diem obitus apparuit Proposito Paludensi, conventu praesente, ignita lorica vestitus. Quibus fideliter orantibus pro eo, post XXX. dies iterum apparuit, vestibus honestis indutus & salvatus. H. (Lothario quodam tempore existente in Quedelborg, apparuit supra civitatem in aëre quiddam in modum scalae volare, niveo corpore, sed rubeo capite. Apparuit ibidem & crux rubea, de caelo descendens ad terram, & contra in caelum; & secuta est tanta claritas aëris, ut nullus posset aërem, tanquam solis radium, intueri.) Lotharius ergo anno imperii sui XIII. & ultimo, cum multa disposuisset in Apulia & Calabria; castrum quoddam in latere montis Barenfis, per quendam Principem latronum occupatum, de quo idem mari terraque multos opprimebat, destruxit; & praedones numero D. jussit circa turrinam exustam suspendi: & sic ab Italia descendens, in itinere mortuus est, sepultus in loco, ab eo Lusbura, Teutonice Lutter, nominato. Item Versus T. E.

Post hac Luderus rex, Christicola verus,  
Hic sancto Petro forma crucis, ordine retro,  
Luttere tunc claustrum fundans situavit ad austrum:  
Quo deportatus requiescit ibi tumulatus.

Cujus mortem multi potentes, vel immediate praecesserunt vel statim sunt secuti. Bruno enim Archiepiscopus Colonienfis secum in Reysa Trinacria sepultus est in Barra. Abbas Fuldenfis, & Lippoldus Marchio, cum multis aliis potentibus, ibidem obierunt. Cometa etiam visus est, & Eclipsis solis in Augusto, & lunae similiter; quam secuta est grandis & glacies mirae magnitudinis, aedificia, frumenta, bestiasque consumens: & secutus est ventus vehemens, multas naves submergens, & arbores evellens, ut vix decima pars silvarum remansisse dicatur: & secuta est siccitas nimia, ut pene omnes fontes siccarentur, & tam valida fames, ut tertia pars populi occubuisse dicatur. Walckenrede, solemne monasterium Clsterciensis ordinis, fundatur. Versus:

Anno

(o) fuit Comitis Hermannii de Winzenborg, Cr.



Anno mileno C. septenoque vigeno  
Walchenred struitur, Christus ubi colitur.

Reliquiæ S. Matthiæ reperiuntur Treveris, Abbatia in *Volkelderade* & monasterium in *Poris* construitur. Versus:

*Imperat hic annis is Lotharius duodenis.  
Bis licet Italiam, Romam quoque denuo venit;  
Et semel Apuliam cum feritate premis.  
Rogerius tunc Dux Siculus regnasse putatur,  
Pulsus ab Apulia qui Caesaris ense fugatur:  
Caesar habet Barum, vincit ad usque Pharum.  
Lothario moriente, venit Conradus honestus,  
Hostibus infestus, sapiens, ad cuncta modestus,  
Quem satis imperium laudat, & omne solum;  
Et timet hunc Siculus, dum perdere regna veretur. Pantbeon.*

(Imperator Lotharius Apuliam capiens, sedi Apostolicæ restituit. Anno 1137. Imperator obiit. Item *Albertus* Archiepiscopus Moguntinus obiit, cui *Albertus* Præpositus succedit.)

INNOCENTIUS II. Romanus, prius dictus *Gregorius*, Diaconus S. Angeli, sedit annos XII. menses VII. dies XIX: contra quem Romani intruserunt *Petrum*, filium *Leonis*, qui se nominavit *Anacletum*. Quem *Lotharius*, coronatus ab *Innocentio* cum conjuge sua *Ricken*, destruxit, Innocentium restituendo. Versus:

*Gedit Anacletus, alterque sedere meretur, sc. Innocentius.*

Iste celebravit Synodum *Leodii*, præsentem Rege *Lothario* & L. Episcopis; ubi inter cætera renovavit & statuit, *Missam publici fornicarii non debere penitus audiri*. In *Hildesheim* elevatur de tumulo corpus S. *Godehardi*, & posita sunt fundamenta Ecclesiæ S. *Godehardi* à *Bernardo* Episcopo. In *Lutter* mutatur conventus Canonicorum, in ordinem S. *Benedicti*. Urbs *Trujensis* incendio pene consumpta est. Similiter in multis aliis locis. *Albertus* Præful Maguntinus, qui creditur locum fundasse primitus in *Vredelse* & dotasse, decessit; cujus animam sacerdos quidam vidit ad infernum deduci. Eadem die, qua mortuus est, civitas Maguntina cum principali templo, quod ipse mirifice (o) fecerat, crematur. Similiter contigit *Spiræ* & *Saltzburg*. *Ericus* frater *Canuti* Regis Danorum, dictus *Hafenvoet*, i. e. *pes leporis*, propter continuam ejus fugam à bellis, cum patruo suo, nomine *Magnus*, bellum aggressus, cum paucis *Schonen*sibus percussit agmina Danorum: & factus est *Ericus* ea die insignis, creatumque est ei nomen novum, ut *Mirabilis* diceretur, regnavitque (p) ibidem. H. *Hugo de S. Victore*, Præpositus Canonicorum regularium, Doctor Sacræ Theologiæ, (Canonicus in *Hammersleve*, & ibi natus prope *Halberstad* in Saxoniam (\*),) Parisius sepultus sub hoc epitaphio:

*Hic jacet in saxo nunc, Hugo, germine Saxo.*

Composuit librum de sacramentis, *Didascalicon*, cum multis aliis. Hic in agone communicaturus, cum corpus Christi præ vomitu retinere non posset, & hostia non consecrata, tanquam consecrata sibi portaretur, ait: *Non est iste Deus meus*. Cum igitur corpus Christi portaretur, & in patena super cor ejus poneretur, ait: *Ascendat Filius ad patrem, & Spiritus meus ad Deum suum*. Quo dicto, spiritum exhalavit, & corpus Domini disparuit. Fuit alter *Hugo de Foligeto*, monachus *Corbiensis*, qui similiter multa scripsit, & miraculis claruit. Fuit & tertius, Abbas *Cluniacensis*; qui similiter miraculis claruit. Fuit & quartus *Hugo*, *Gratianopolitanus* Episcopus, qui primam *Carthusiam* fundavit, & similiter miraculis claruit. Cœnobium *Amelungesborn* à bonæ memoriæ *Sifrido de Hornenborg* (q) fundatur, per fratres *Domus Campensis*. Iste *Sifridus* fuit filius *Sifridi*, & nepos *Otonis*, Ducis *Bavariæ* & *Saxoniam*, de quo supra. Iste autem ultimus *Sifridus* periit in bello, ante castrum (r) *Sculenborch*. A. Pseudo quidam surrexit, mentiens se *Henricum quintum*; & cum multos seducendo allexisset in tantum, ut pro eo etiam graves pugnæ fierent & homicidia; declarata tandem ejus falsitate, in monachum tonsus est. *Spec. Hist.* l. 8. c. 16. *Henricus*, germanus *Lodewici* Regis *Francorum*, apud *Clanmvallem* monachus effectus, non multo post ad Episcopatum *Beluacensem* assumptus est. *Petrus Aballardus*, magister insignis, sed fide perfidus, damnatur à Papa *Innocentio II.* & *S. Bernardo*. (Anno Domini 1133. cœperunt cœnobium *Casarea*, *Belliprati*, *Gratia Dei*; anno 1134. *Bella aqua*, *Amelungsborn*, *Eversbach*; anno 1136. de domo Dei, mortui *Maris*, *Zitik*, de *Columba*; anno

1137.

(o) texerat. C. Cr. (p) in Dacia. Cr. (\*) hoc ex MS. Cr. (q) de Hornenborg. Contr. de Bomborg Cr. (r) Scalenberg. Cr.



1137. Belliloci, Benedictionis Dei, Bonifontis, Salem, Bellidoni, Kerkensee, Claresflva, Molenbrun; anno 1138. cœperunt Abbatia Volkolderod, Longipontis, Portensis, Aurea Vallis, Roserix, S. loci, de Gratia Dei, S. Maria.)

**C**ONRADUS tertius Suevus, nepos (rr) Lotharii ex sorore, frater Friderici, patris Friderici, sequentis Imperatoris, imperat annos (s) XII. cujus uxor erat Gertrud. Contra hunc rebellavit (t) Dux Poloniae, qui duxerat ejus sororem in uxorem. Sed victus est, & ductus (u) Oldenborch, pane tribulationis sustentatus. H. Conradus etiam Comes Moraviae, conspiratione facta cum Bohemis, expulit Ducem Bohemorum Ladislaum; qui Regis Conradi petens auxilium, restitutus est in Ducatu, Imperatore tunc cum exercitu festum Pentecostes solemniter & potenter Pragae celebrante. Post hæc Conradus Saxoniam ingressus, datâ viduâ Ducis Henrici, filiâ Lotharii Imperatoris, nomine Gertrudis, fratri suo Henrico Marchioni Austriae, cum ducatu Norico, pacem fecit cum Saxonibus; quod in Bavaria discordiam feminavit. Nam Guelfo Princeps Ducatum Noricum, tanquam hæreditatis jure ad se devolutum, invasit; sed (x) nihil profecit. Hoc tempore in Saxonia oppidum Gröningen destruitur, Anhalt incenditur; & Wigandus Halberstadiensis Episcopus occiditur à familiaribus Martini, tunc ibi Præpositi. Versus:

Frater honorandus Christi, Levita Wigandus  
 Quid moriens tulerit, hæc series aperit.  
 Ausus enim cleri communia jura tueri,  
 Saucius ense ruit, iustaque facta luit. H.

Ordo Johannitarum cœpit: & in Italia cœpit insolentia gravissima civitatum. Nam Veneti cum Ravennatensibus: Veronenses & Vincentini cum Paduanis, & cæteræ civitates ad invicem atrociter bellantes, pene totam Italiam cruore, prædis & incendiis permiscuere. (y) Eugenius III. Pisanus, prius Abbas S. Anastasii & discipulus S. Bernardi, pulsus ab urbe, intravit Galliam, mittens ante se B. Bernhardum, ubique prædicare crucem Domini contra Paganos. Veniens autem Bernardus in urbem Spiram, cum ibi prædicaret, tantus factus est concursus, ut Conradus Imperator, ne populus (z) eum comprimeret, in propriis ulnis de basilica deportaret. Tunc in monte S. Ruperti prope Bingen, ubi Naba fluvius Rhenum influit, non longè à Moguntia, claruit Hildegardis monialis Prophetissa, ibidem nunc requiescens, quæ cœpit prophetare anno vitæ suæ LXI: quam multi nobiles, etiam Conradus & Fridericus Imperatores, visitaverunt; quibus plurima futura prædixit, & magnum volumen revelationum conscripsit, quæ jacet ibidem in claustro monialium. (Goslaræ dum diversæ forent opiniones de reliquiis Sancti Matthiæ Apostoli, nec non Sancti Rustici & Venantii, cum aliis in crypta majoris Ecclesiæ per Henricum Imperatorem reverenter collocatis; insistente Præposito ejusdem Ecclesiæ Gilberto, visum est nonnullis, ut reliquiæ prædictæ transferrentur, quod factum est XIV. Kal. Junii, administrante Bernhardo Hildesemensi Episcopo; qui post biennium destitutus est oculorum lumine. Præpositus similiter oculorum jacturam passus, subitanea morte periit. Civitatem quoque ipsam adeo flamma consumpsit, ut nemo par illic incendium memoretur. Wilhelmus puer in Anglia crucifigitur à Judæis. Malachias Sanctus (a), prius Episcopus Hiberniensis, post Monachus Claresvallis obiit, de quo S. Bernardus Historiam composuit, quæ nunc canitur de ipso à Monachis Cisterciensibus. Obiit & Marcolfus Archiepiscopus Moguntinus, quem secutus est Henricus; qui non erat præliator, sed in Dei servicio mansuetus Ecclesiæ rigator & plantator. Dimisso Episcopatu in Embeke divertitur, ibi sepultus in ecclesia S. Alexandri. H. In Aschersleve mulier quædam communicans, hostiam ad præstigia servatam, in cruentam carnem mutatam invenit: quam Episcopus Halberstadiensis Odolricus in Ecclesiam transtulit. Honorius. Bruno Episcopus Hildeshemensis cœpit primò in conclavi celebrare octavam nativitatis B. Virginis. Anno Domini 1151. cœperunt Abbatia Misericordie Dei, Insula S. Mariae. Anno 1152. Bellifontis, Clarimontis, Gratia Dei, de Laude, de S. Crucibus. Anno 1154. Abbatia de Kyrieleison.) Hoc tempore fuerunt Sifridus & Hermannus Comites de Dassel, qui nominabantur (alias de Rugven, id est, Hirsuti.) Iohannes de Temporibus, qui fuit Armiger Karoli Magni, & (b) post mortem ejus vixit annos CCCLXI, hic obiit. Edissa, quæ nunc Rhoas dicitur, unicum Hierosolymitanæ Ecclesiæ refugium, civitas Mesopotamiæ, capta est à Turcis. Ipsa sola quondam, totâ terrâ orientis à Turcis detentâ, sub Christianorum potestate Domino serviebat. Archiepiscopus illius, cum clericis & infinita multitudo utriusque sexus & ætatis occiditur. Reliquiæ SS. Apostolorum Thomæ & Thaddei ac aliorum, in conculcationem infidelium dispersæ sunt.

Zzzzzz 3

Unde

(rr) Henrici V. potius. (s) XIV. MS. Cr. (t) Rex. Cr. (u) Alii: Aldenborg. (x) ultimam non profecit Contr. non profecit, nisi bellum. Cruc. (y) de Eugenio vide etiam infra. (z) Bernardum scilicet. (a) Ordinis Cisterciensis, prius Episcopus Anglicanus MS. Contr. (b) vixit annis 360. vel plus. Cr.



Unde *Lodewicus* Rex Francorum, conscientia compunctus, affixo sibi crucis signo, cum multitudine innumerabili, peregrinationem Hierosolymitanam assumpsit. Ad inductionem etiam S. Bernardi *Conradus* Imperator, cum multis Principibus, sumens crucem, præparatur ad passagium. Erat secum frater suus carnalis Dux *Henricus*: item Duces Bohemæ & Lotharingæ, Comites Flandriæ, de (c) *Plotz*, cum multis aliis potentibus & Prælatibus. Qui egressi mense Majo valida manu, Ungariam Bulgariamque transeuntes, prope mœnia Constantinopolis urbis castra metati sunt. Ubi magnifice Rex *Conradus* cum omni exercitu à Græcis & eorum Rege excipitur, & multis muneribus ampliatur. Adventus igitur sui causam Rex *Conradus* depromens, quid factò opus esset, inquisivit. Recensitus est ibi numerus signatorum, & inventa LXX. millia bellatorum, absque inermi & plebejo vulgu innumerabili. Posthæc accepta optione, quam terram adire vellent designatarum regionum: juxta dispensationem suorum, *Conradus*, præviis ductoribus Græcorum, arripuit iter deserti, tendens versus Armeniam. Desertum itaque duorum seu trium dierum perlustrantes, reperiunt tabernacula pastorum & greges ovium; quod vulgus prædæ cupidus aliter, quam finis docuit, interpretabatur suæ deinceps prosperitatis auspiciam. Direptis, quæ ad manum occurrerant, exinde XIV. diebus per horribilem eremum avia secuti, locum horroris & vastæ solitudinis inciderunt, ubi pestilentia, fame & inundationibus multa millia occubuerunt. Multi à Turcis & Sarracenis sagittis interierunt, multi etiam captivi sunt abducti. His & aliis calamitatibus multis millibus extinctis; tandem consumti etiam sterilitate terræ, quippe quibus nec aqua potuit inveniri; reflexere viam. Circumstrepentibus autem barbaris, & indefinenter tela jacentibus, Christianorum occubere plurimi. Imperator item *Conradus* XIV. diebus, continuatis noctibus armatus, pedester adversus hostes pugnans labore vix credibili, sagitta capite percussus, Constantinopolim tandem repetens, paucos admodum de tam grandi prius exercitu secum reduxit. Rex igitur Græciæ *Conradum* Cæsarem, valida infirmitate detentum, summa fecit curari diligentia, Visus per hoc expiari ab annotata sibi circa Teutonicos malevolentia. Plures enim suspicati sunt, ejus factione populum perditum; quod, an credi debeat, sapiens quisque tenet incertum: siquidem antequam Constantinopolim devenirent, exercitus algore nimio, fame, pesteque partim, scitur absumtus. Rex interim Francorum *Lodewicus* pugnans cum gentibus, primo victor extitit; denuo congressus, exercitum pene totum amisit. Reginam quoque ejus hostes abduxere captivam. Cæsar autem *Conradus* convalescens, supplere desiderans itineris sui decremента, raro milite convocato, Jerusalem adiit, sepulchrumque Christi debito honore veneratus, collecto undequè populo, *Damascum* oppugnavit, qua robur gentilium excrevisse didicerat. Sed bona voluntate manente, quam solus pensat Deus, de reliquo cassum, prohi dolor! laborem habuit in omnibus. Reversus igitur anno Domini MCL. Constantinopolim, dedit *Henrico* fratri consobrinam Regis Græcorum. (Hoc etiam anno hyems diuturna cladem fecit, famem & pestilentiam.) Inde repatriando, paucis diebus supervixit, *Bambergæ* sepultus. O judicia Dei excelsa! tam grandis expeditio cum modico emolumento soluta est. H. Pantheon dicit versus:

*Tempus abit, Conradus obit, miranda potestas:*  
*Succedit Fridericus ei, relevatur honestas,*  
*Consilio Seneca, specie Paris, Hector in armis.*  
*Regnum bis senis Conradus rexit annis,*  
*Cum tulit in scapulis infra signa crucis.*  
*Unde Cisalpina gens omnis erat peregrina,*  
*Quam neque per maria vexit nec ulla marina;*  
*Imo per Ungariam præripuere viam.*  
*Tunc Rex Francigena Lodewicus mente serena*  
*Signa crucis tulit: numerum si noscere quæras,*  
*Millia millena militis agmen erat.*  
*Reges & populos lænit fortuna futuri,*  
*Constantinopolim miles uterque venit.*  
*Inde per Iconium via Regum recta paratur:*  
*Frude Græcorum male per deserta vagatur,*  
*Unde fame percunt: spes bona nulla datur.*  
*Millia Turcorum veniunt ad bella virorum,*  
*Copia Maurorum super agmina Teutonicorum.*

(Vissio *Tundali* facta est. *Gntianus* Monachus Ordinis S. Benedicti de *Clusa* civitate Tusciæ Decretum composuit II. Q. V. *Forma*. Nam dicuntur fuisse tres fratres carnales: *Gntianus*, qui composuit decretum, *Petrus Lombardus*, qui sententias, & *Comestor*, qui Scholasticam historiam.

(c) hoc nomen deest in MSto Cta



storiā. Item tempore isto Abbas *Conradus* Corbejenſis annulum perdidit, & furem excommunicavit. Corvus igitur ibi furatus, pœnas exſolvit in corpore. Quod homines confiderantes, dixerunt Abbati: forte corvus fur fuit. Aſcendentes igitur nidum ejus, invenerunt annulum. Remittens igitur Abbas anathema, corvus reconfortatus eſt. Ideo timeatur *excommunicatio*, ne tangat animam rationalem, ſicut irrationale animal. In lib. V. Illuſtrium Virorum Ciſtertienſis Ordinis cap. XI. Anno Domini 1140. Abbatia cœperunt *Veteris Villa, Prati Benediſti, Mellifontis.* Anno 1141. *Sichem, Caricampi, de Recluſo, Porta Gloria.* Anno Domini 1143. cœperunt Abbatia *de Martha, Novavallis, Aqua frigida, Belli loci, de Bona aqua, de Zedelitz in Bohemia.* Anno 1144. *de Valle Bona, Schonaw.* Anno 1145. *Cella S. Maria, de Stella, Fontis frigidi.* Anno 1148. *Miravallis, Vallis Salutis.*

CÆLESTINUS II. qui & *Guido* Caſtellanus, ſedit menſes V. dies XIII. vir religione & literarum ſcientia præditus. Cum magna unanimitate electus eſt. *Lucrus II.* qui & *Gerhardus* Bononienſis, ſedit annum unum m. X. d. IV. *Riddagesbuſen* propè *Brunswick* conſtruitur, & *Schônawe* (propè *Wormatiam*, ubi jacet virgo (d) Sancta, quæ ſe nominavit *Joſeph.* Fundabantur porro tunc *Michelſtein* propè *Halberſtadt*, ſive *Lapidis S. Michaelis, Vallis S. Georgii.* Item Abbatia *de Viſtoria, Barchuſen, Pomach* In Bohemia.)

EUGENIUS III. Piſanus, prius Abbas S. Anaſtaſii & diſcipulus S. Bernhardi, ſedit annos IIX. m. IV. d. XX.

1152. **F**REDERICUS primus, filius fratris *Conradi* præcedentis, imperat annis XXXIIX. Iar-  
gus, ſtrenuus, & in omnibus glorioſus. Concilium celebravit *Conſtantia*, pacem faciens per *Almaniam*, & concordiam inter ſe & *Eugenium* Papam: ubi etiam conjuge ſua repudiata, aliam duxit. Huic *Friderico* Romam tendenti, miſerunt Romani legatos, qui dicerent: *Romanos paratos eſſe acceptare Regem, ſi ſe imperatorio more eis exhiberet.* Cumque de hoc more quæreret, reſponderunt: *In curru aureo purpuratum, bello ſubactos tyrrannos præcurribus habentem, caput orbis honore, 15000. libras argenti ſenatui propinando.* Tunc Rex ſubridens, grata, inquit, promiſſio, ſed cara emtio. Magna requiritis Romani, puto quia occaſionem quaritis adverſum nos, imponendo non imponenda. Conſultius ageretur, ſi his omiſſis, amicitia noſtra potius, quam armorum ceperitis experimentum. At illi pertinacius iſtabant, dicentes: *Iam civitatis nullatenus irritanda; alioquin adventanti urbis clauiſura obijcienda.* His auditis, Imperator miſſa legatione accerſivit Papam *Adrianum* in caſtra: quo veniente, Rex feſtinus occurrens, deſidentis de equo tenuit ſtrepam. Ac Papa indignatus, quod ſiniſtram tenuiſſet, cum dextram tenere debuiſſet, unctiōnem denegavit, dicens: *Si errat in parvo, quomodo implebit magna.* Quod audiens Rex ait: *Deſectus non fuit devotionis, ſed ſcientia: non enim tenendis ſtrepis ſtudium dedi.* Primus eſt Papa, cui tale obſequium feci. Et adjunxit: *Vellem inſtrui, unde mos talis inoluerit: num ex benevolentia, an ex debito? Si primum, nil cauſatur Papa. Si ex debito, nec ſic: quia reverentia debetur Petro Apoſtolorum Principi, cui nihil intereſt inter dextram ſtrepam vel ſiniſtram.* Diu ergo acriter diſputatum eſt, & diſceſſerunt ab invicem ſine oſculo pacis. Tandem revocatus Papa, aſſenſus eſt poſtulationi Principum, factaque concordia, tractaverunt de introitu urbis & cavendis inſidiis Romanorum. Cum igitur propinquarent urbi, Rex miſit clam noctu DCCCC. Ioricos Papæ ad domum S. Petri, maneque facto, proceſſit Papa cum ſuis, ut Regem ſuſciperent ad gradus. Sic igitur intrantes baſilicam, conſummabant opus conſecrationis. Tunc inter prandendum egreſſi ſunt hoſtiliter more ſuo Romani, & factum eſt prælium ingens. Et paſſi ſunt Romani ruinam magnam, ut antea non legantur uno prælio tot millia cecidiſſe, quot tunc à Teutonicis perimebantur. Unde apud S. Stephanum juxta S. Laurentium Romæ legitur in Epitaphio: *Mille decem decies, & ſex decies quoque ſeni.* Ibi *Henricus Leo*, Dux Saxonum, mirabilia fecit pro Cæſare. Verſus:

*Nunc, Henrice, manet tanti te gloria facti,  
Qui decus (e) omne tuis, ſtraviſti cæde ſuperbos.  
Cæſare victore firmantur ſædera Roma;  
Et patriam repetens ſatagit ſibi ſubdere plebes.*

Fridericus iſte portam marmoream miro opere conſtruxit ſuper pontem *Capua*, in qua ſculptus eſt Imperator in majeſtate (f) ſedens, cum duobus collateralibus iudicibus, & hiſce verſibus:

*Intrent ſecuri, qui quærunt vivere puri,  
Inſidus excludi timeat, vel carcere trudi.  
Quam miſeros facio, quos variare ſcio.  
Cæſaris imperio regni cuſtodia ſio.*

Frede-

(d) vide infra ſub *Clemente* tertio.

(e) es patriæ Cruc.

(f) vox *ſedens* non reperitur in MSS. C. G.







Moravia & Suevia: & inter Episcopos (h) *Sigolfus* Herbipolensis, vir literatus & facundus, qui crebris exhortationibus castra Domini confortabat. (Ex praemissis clarè patet, quod *Fridericus* iste non fuit coluber vel draco, sicut *Bonifacius VIII.* eum depinxit in Decretali fundat. de Elect. Lib. VI. T. 2. Hæc *Magister Tidericus de Nym* in Chronica sua. Tunc Rex Francorum (i) *Philippus* reversus est quasi solus in patriam. *Richardus* autem Rex Angliæ ibi per tempus manens, inter cætera cepit navem *Saladini*, in qua fuerunt infinitæ phialæ plenæ igne Græco, & armorum copia maxima cum viris fortissimis, quos ibidem interfecit. Idem *Richardus* cum de terra Sancta rediret, in Episcopatu *Sarzburgensi* captus est à *Lippoldo* Duce Austriæ, ac præsentatus Imperatori *Henrico sexto* sequenti; Ratisbonæ per annum detentus custodia. (ii) CCM. marcas argenti persolvens, & homagium Imperatori faciens, libere in sua reversus est, & à quodam milite in propria patria occisus. Iste *Richardus* tanta fecit Saracenis, ut in proverbium verteretur; & cum alicujus equus adaquandus sterteret super aquam, ut plerique solent, diceretur: *Bibas audacter, Rex Angliæ non est intus.* Ad istum venit quidam Sacerdos sanctus, nominatus *Fulco*, dicens: Dico tibi Rex ex parte Omnipotentis, ut tres filias tuas pessimas nuptui tradas & à te rejicias, ne quid deterius tibi contingat. Et Rege dicente: non habeo filiam; ait *Fulco*: imo habes; superbiam, avaritiam & luxuriam. Rex igitur commotus, suis Proceribus ait: Superbiam dō Templariis, Hospitalariis & mulieribus; cupiditatem Monachis, & luxuriam Clericis & eorum Prælati. Iste *Fulco* à nullo poterat ligari, licet poneretur in vincula. Præfatus etiam *Philippus* Rex Francorum, expulit Judæos ex regno; quia *Richardum*, cujus corpus requiescit in Ecclesia S. Innocentii, Parisius occiderunt Judæi & crucifixerunt: qui *Richardus* miraculis claret. Ideo Judæos, nolentes fidem recipere, rebus spoliatos jussit regnum exire: conversis ad fidem Christi possessiones suas integrè concessit. Idem tamen Judæos postea reduxit, & Ecclesiam Dei graviter persecutus est, accepta uxore filia Ducis Bohemiæ, nomine *Maria*. Nec multo post pœna secuta est eundem. Spec. Hist. lib. 30. cap. 25. & deinceps.) Supradicto *Friderico* Imperatori erat etiam *Henricus* Dux Saxonum supradictus, cognomine *Leo*, amicissimus; cui etiam (\*) Marchionatum Austriæ contulit, quem fecit Ducatum, eximendo eum à jurisdictione Bavariæ. Iste *Henricus* fundavit Ecclesias multas in *Raceburg*; *B. Virginis* & *Nicolai* in *Lubecke*, in *Brunsvik* & Christi Baptistæ & S. Blasii; in cujus Ecclesia requiescit cum uxore *Mechilde*, filia Regis Angliæ, de quibus venit *Otto IV.* (deditque filiam suam Regi Daciæ uxorem.) Subjugavit Sclaviam, Principem eorum *Niclod* seu *Nicolaum* trucidando, & Episcopos investiendo, *Geroldum* in *Oldenborch*, *Everoldum* in (k) *Rasseborg*, *Ernonem* *Magnipolitanum*, qui translatus in *Swerin*. Destruxit etiam urbem *Demin*. Iste etiam ad instinctum *Friderici* Imperatoris, uxore priore demissa, duxit filiam Regis Angliæ. Iste quidem *Henricus* devotionis causa perrexit *Jerusalem*, habens secum in comitatu Episcopos, *Lubecensem* & (l) *Wormatiensem*, *Abbatem Brunsvicensem*, *Pribislaum* Regem Slavorum, Comitem de *Swerin*, Comitem de *Blanckenborg*, cum alijs, ad mille armatos. Cumque venisset *Wigennam*, occurrit ei *Henricus* Dux Austriæ, vitricus ejus; qui similiter multis assumptis, per *Danubium* secum perrexit per regnum *Ungariæ* *Hierosolymam*. Quos Imperator *Constantinopolitanus* solemniter acceptavit, mutuo magnis muneribus propinatis. Obtulit *Henricus* Dux Saxonie sepulchro Domini pecuniam multam, faciens basilicam Domini intus auro vestiri. Ordinavit redditus annuos ad lumina templi: dedit Templariis mille marcas argenti & arma plurima. Tunc *Henricum* cum omnibus suis invitavit Rex *Jerusalem* per triduum, & Patriarcha per biduum. Inde per terram *Turcorum* regrediens, à Soldano solemniter est susceptus; qui etiam dixit se consanguineum ejus, dans ei dona plurima cum tot equis, quot erant personæ. Et præter hoc dedit specialiter Duci *Henrico XXX.* caballos fortissimos, cum frenis argenteis & fellis eburneis, cum sex camelis, onera gerentibus pretiosa. Insuper concessit illis D. milites, viæ ductores per desertum. Ex Chronica Slavorum. Inde reverso eodem *Henrico*, quorundam æmulorum suggestione, tanta facta est *Cæsaris Friderici* & multorum Principum contra eundem *Henricum* discordia, quod *Cæsar* Duce destituit, & *Otoni* Palatino terram contulit. Unde mutuo diu bellantes, *Henricus* cum suis *Thuringiam* præliis & incendiis vastans, *Northusen* & *Mollhusen* civitates imperiales igne consumpsit. Similiter destruxit *Halverstad*, & civitatem opulentissimam, nomine *Bardewyk*; de qua fortificata est *Lüneborg*, & *Bardewyk* destructa, nunc est villa cum Canonica. Versus;

Dux post M. post C. post septuaginta novemque  
Bardwyck destruxit, Simonis sol quando reluxit.

Tunc

(h) Silofus. Cr. (i) Lodewicus MSC. Cruc. (ii) Dicebatur enim occultè peremisse *Conradum* Marchionem Austriæ, qui fuit electus in Regem *Jerusalem*. (\*) cujus etiam vitricus *Henrico*. (k) *Rasseborg*, quem quidem Episcopatum transiit in *Lubicensem*, auctoritate *Friderici* Imperatoris. (l)

Hic in MSto Cruc. omisus est.



Tunc destructa sunt castra *Hartesborch*, *Horneborch*, *Lechtenberg* & *Haldesteve*, quod *submersione* absque certaminis congressione captum est. Vallum enim exstruentes, præterfluentes aquas congregaverunt. Tunc & multa millia hominum *Halverstadt* igne perierunt, IX. Kal. Octobr. die Dominica, hora diei III. Tandem *Henricus*, considerans Imperatori resisti non posse pacem postulavit & accepit, se cum omnibus suis tradens Imperatori. Tunc consilio Principum Ducatus honore privatus, exilium subire jubetur, & Ducatus *Bernardo Rosla* confirmatur; sicque circa festum S. Jacobi *Henrici Dux* ivit in exilium. Unde *Henricus Rosla*:

*Magnificique Ducis nunc hic reminiscimur bujus  
Acre rebellantis Auguste tibi Frederice;  
A quo prærepti cecidit prætexta ducatus  
Saxonis; penes hunc erat hæc ritu genitorum.*

T. E. in poësi *Ducum Brunsvic.* Versus:

*Dux hic Henricus, virtutum totus amicus.  
Huic contiboralis fuerat de germine talis  
Quondam Mechildis, Anglorum filia Regis.  
Christi Baptista, Blasio construxerat iste  
Ex tunc egregiam funditus ecclesiam.  
Otonem quartum, tunc hæc genuit sibi partum.*

Tunc etiam *Philippus* Archiepiscopus *Coloniensis*, qui tribus annis litigavit contra *Henricum Ducem*, cum tribus millibus equitum & innumerabili numero peditum, obtinuit ducatum *Westfalix* & *Angarix*, ut dicit *Iordanus* in *Chronica* sua; & *Fridericus* Imperator *Hermannno* Lantgravio *Thuringix*, contulit Comitatum *Palatini Saxonix* in civitate *Erford*. *Fridericus* ergo, ut dictum est, decedens in *Passagio*, dereliquit tres filios; *Otonem* qui secum ibi mansit; *Henricum* & *Philippum*, hic Imperatores sequentes. (De isto *Friderico* sunt metra T. E.

*Post hæc mirificus vexit magnus Fridericus,  
Hic expugnabat, Mediolanos superabat,  
Atque Moguntinos superaverat ille vicinos.  
Cölne portati sunt Reges sanctificati.  
Hujus erat finis in partibus ultra marinis;  
Illic submersus, in qua modica male mersus.*

Pantheon:

*Flos fuit ex flore Regum Fridericus honore.  
Sumisit eum Regem Germania, plena favore,  
Imperii Dominum semper habere volens.  
Rex ut Aquisgrani Carolorum sede resedit,  
Fimibus Italia mox sua signa dedit.  
Urbs Medilana potens, meritis dicenda leana,  
Viribus eximia, populis & milite plena,  
Sava, superba, fera, tota rebellis erat.  
Hanc ubi Rex angit regalibus undique bannis,  
Dissipat & frangit, sex mæce fluentibus annis,  
Urbs, qua summa fuit, Marte repressa luit.  
Tuscia devota sese dedit undique tota,  
Nota vel ignota subdantur regna remota.  
Acriter inatus consurgit ad arma Senatus.  
Profilit armatus Caesar, feritate citatus,  
Marte secus Tiberim fervet utrumque latus.  
Plebs abiit, Rex obtinuit, multisque necatis  
Unda fluit Tiberis, sanguine tincta satis.*

Idem, de eodem scribitur. Versus:

*FRE. fremit in mundo, DE. deprimit alta profundo,  
RI. jus rimatur, CUIS. cupide (m) cucula minatur.)*

De

(m) cuique. MS. Cruc.



De eodem etiam infra in *Alexander III.*

ANASTASIUS IV. Romanus, sedit annum unum, dies XXIV, post quem venit Anglicus ADRIANUS quartus, annos V. dies XVI. Hic dixit: *Romano Pontifice nemo miserabilior est. Spinofam dicebat, cathedram, acutissimis usquequaque confertam aculeis, tantaque molis, ut robustissimos premat, terat & comminuat, humeros. Nonne miseria dignus est, qui pro tanta pugnat miseria.* Spec. Hist. lib. 30. cap. 3. S. Bernhardus obit. Versus:

*M. C. collatis, L. & tribus associatis,  
Sanctus Bernhardus moritur, fragrans quasi nardus.*

Item de eodem:

*Bernhardus moriens, his doctrinis valedicens:  
Quae feci primo, vobis facienda relinquo.  
Nullum turbavi, discordes pacificavi,  
Lafus sustinui, nec mihi complacui.*

S. *Wilhelmus* obit, anno XV. suae conversionis. (n) *Royserus* Rex *Apuliae*, postquam plures gentes Christo subdidit, monachus factus, vitam laudabiliter finivit. De hoc sunt Versus:

*Apulus & Calaber, Siculus mihi servit, & Afer.  
Largus opum, miserisque pius, Christo quoque charus,  
Extulerat natum summo moderamine regnum.*

Post quem venit *Wilhelmus* *Apulus*, pugnans cum *Manuele* Rege *Graecorum*, quem vicit, & caesa dicuntur ibi XL. millia *Graecorum*. Idem *Manuel*, occisus ab *Andronico*, sanctus dicitur. *Alexius* autem filius *Manuelis*, *Andronicum* ad stipitem ligatum, quasi signum ad sagittam, fecit sagittari, propter multa flagitia, quae commisit. Spec. Hist. lib. 30. c. 64. Hoc tempore floruerunt *Richardus* de S. *Victore*. Canonicus Regular. Doctus eximius; *Mauritine* *Parisiensis* Episcopus, qui scripsit *Postillas* *Dominales*, & *Distinctiones* peritiles. *Petrus* (o) de *Riga* dictavit *Bibham* metricam, quam vocavit *AURORA*; cujus epitaphium est:

*Petrus eram, quem petra tegit; dictusque Comestor,  
Nunc comedor. Docui vivus, non cesso docere  
Mortuus; ut dicat, qui me videt incineratum:  
Quod sumus, iste fuit; erimus repente, quod hic est.*

Iste (p) *Comestor* fecit versus de *Maria* virgine tales:

*Si fieri posset, quod arena, pluvius & unda,  
Vndarum gutta, rosa, gemma, lilia, flamma,  
Aethera, calicola, nix, grando, sexus uterque,  
Ventorum penna, volucrum, pecudum genus omne,  
Silvarum rami, frondes, avium quoque penna,  
Ros, germen, stilla, pisces, angues & arista,  
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,  
Lingua cuncta forent, nunquam depromere possent,  
Quae sis, vel quanta, virgo regina *Maria*.  
Quae tua sit pietas, nec litem, nec dabit atas.*

*Petrus Lombardus*, (q) Episcopus *Parisiensis*, composuit *Scholasticam historiam*, & *Librum Summarum* & cetera. S. *Elisabeth* (r) monialis in *Saxonia*, vidit visiones mirabiles, & recepit ab angelo librum, qui dicitur *Viarum Dei*. *Petrus Tarentinus* similiter floruit. Idem *Hugo Bambergensis*.

*Scriptura sacra continet Prosaicos scriptores  
Quamplures, & metricos (insimul) auctores:*

Inter

(n) Al. *Rozierus*, id est *Rogierus*. (o) existimat autor, sed per errorem, hunc *Petrum* esse *Petrum Comestorem*; unde etiam versibus de *B. Maria* in *MSC*. *Cruciano* haec praemittuntur verba: *Inveni, quod sis Comestor*, fecitque hos pulchros versus. (p) *MS. C.* ita: *Iste Petrus Comestor dictus est Cantor Parisiensis*, fecitque versus de *Virgine Maria* tales. (q) in *MSC. C.* additur: de *Alverna*, alias *manducator*, Episcopus *Parisiensis* &c. vide etiam, quae supra ex *MSC. C.* addita. (r) in *MS. C.* est: *Elisabeth Sanctae Monialis forte Sanctimonialis*.



*Inter quos precipue Sedulius ponatur,  
 Sibi quidem metrico prima sedes datur.  
 Nam descripsit metricè gesta Salvatoris,  
 Ex hoc sibi vendicans locum dignioris.  
 Hunc Juvencus sequitur, Prosper & Arator,  
 Prudentius Martius, Petrus que (qq) Rigator.  
 Scribens Evangelia Sedulius dictavit,  
 A folis ortus cardine, versus inchoavit  
 Per literarum numerum, quæ sunt alphabeto;  
 Hostis Herodes impie; Lector adbibeto,  
 Sic habebis undecim versus, qui cantantur,  
 Cum in suo carmine bis undecim legantur.  
 Composuit præterea, Salve Sancta parens.  
 Incipit Sedulius, quasi dolum secans,  
 Et diversas hæreses verbo scripto necans:  
 Paschales quicumque dapes conviva requiris,  
 Dignatus nostris accubitare toris,  
 Pone supercilium &c.  
 Juvencum Catalogo Hieronymus laudat,  
 Et de breviliquo satis commendat.  
 Scripsit hic in tempore Regis Constantini,  
 Qui & cultor exitit operis divini.*

## Incipit liber:

*Immortale nihil mundi compage tenetur  
 Non urbes hominum, non regna, nec aurea Roma.*

ALEXANDER III. Tuscus, sedit annos XXI. menses X. dies XX. (Alexander iste tertius, fugatus à Serenissimo Friderico Imperatore; Venetorum ope reconciliatus, dedit indulgentias à pœna & culpa, die Ascensionis Ecclesiam S. Marci vera pœnitentia visitantibus, ut declaratur his versibus:

*Anno milleno centeno septuageno  
 Septeno, donis claruit Urbs Veneta.  
 Cessit Alexander venias tunc Papa Beati  
 Ecclesie Marci: Tertius ille fuit.  
 Si quis in Ascensu Domini convenerit illuc,  
 Confessus verè, cordeque perpenitens.  
 Vespere utrumque manens, totumque, quod inter utrumque  
 Tempus, cum culpa pœnaque nulla manet.  
 Additur & rursus octava tempore toto  
 Septima, peccati pars relevatur ei.  
 Gratia multa, simul regalia multa, Ducatum  
 Ampliat & decorat rebus & officiis.  
 Nam profugus latet in Venetis, tandemque inimicus  
 Regi Romano pacificatus, abit.*

Hæc in dicta Capella five Ecclesia. Ejus tempore tres lunæ, & tres soles simul visi sunt, & in medio lunarum signum S. Crucis; & mare terminos suos egressum, per tres continuos dies excrefcendo, XII. pene miliaribus multa millia hominum submersit, & specialiter in Sicilia. Sed & alia flumina excreverunt ultra solitum modum, & multa damna in ædificiis, jumentis & hominibus intulerunt hoc anno Domini 1166. Anno vero MCLXXI. Christianus Archiepiscopus Maguntinus, in Italia multa strenuè agens nomine Imperatoris Friderici, Anconam civitatem, Græcis ejus occupatoribus expulsis, Romano restituit imperio. Anno sequenti mulier quædam apud Xanctum peperit infantem, cum duobus capitibus, tribus brachiis & tribus pedibus; & eodem anno S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus occiditur à ministris Regis Angliæ. Contra Alexandrum Præcedentem electi sunt successive quatuor Papæ, & schisma maximum exortum est, de quo scribit M. Tydericus (s) minor in Chronica sua sic: Quod Friderico Imperatori ab aliquibus imponitur schisma, factum in Ecclesia Adriano mortuo, caret omni veritate. Nam Fridericus erat tunc in Germania, nullum habens

(qq) Petrus de Riga, autor eurozæ, sed loco ejus T. N.

(s) de Nym. Cruc. Minor in MSS. Contr. & Gerh. non reperitur,



habens in urbe, qui nomine suo se intromitteret de Pontificis electione. Sed Cardinales intrantes conclave elegerunt quatuor ex seipsis, de quibus eligi deberet unus in Papam. Horum quatuor unus *Rolandus* fuit, juvenis dives, facundus & potens in curia. Alter fuit *Octavianus* senex & probus, qui liberaliter & gratis consilia requirentibus impertiebarur. Requirebant ergo alii Cardinales *Octavianum* quasi seniore, quis ei videretur habilior. Respondit, *Rolandus*, assignans causam, quia est juvenis, potens diu laborare, dives & diligens in agendis. Ille vero recusavit propter has causas: primo asseruit, se indignum tanto honore; secundo, quia esset juvenis, speraret, se diutius victurum, quam summi Pontifices vivunt, qui ultra XXV. annum, quo S. Petrus præfuit, non perveniunt; suadens omnino, quod eligeretur vir sanctus & senex *Octavianus*, Imperatori dilectus, potens Ecclesiæ valde prodesse. Nec obstaret, si temporalibus non abundaret, cum virtutibus dives esset, & defectus temporalium per obventionem fidelium, & præcipue dominorum Cardinalium posset relevari. Nec obstaret senium, qui labores sui citius terminarentur. Quibus intellectis, juxta ejus consilium assumerunt *Octavianum* satis renitentem; qui per omnes Cardinales inthronifatus & coronatus, dictus est

VICTOR, & in papatu quiete permansit XV. dies. Post hæc *Rolandus*, ad papatum inclinatus, cogitavit de *Victoris* exclusionem; & sicut astutus erat, dixit concardinalibus: *Imperator Fredericus irrequisita Ecclesia repudiavit uxorem, & alteram superduxit. Consulamus igitur Domino Papa, ut mandet Imperatori sub pena excommunicationis, quod dimissa adulteram recolligat repudiatam.* Cogitavit enim *Rolandus*: si Papa sic faciet, incurreret indignationem Imperatoris in tantum, ut eum deponet. Sin autem non faciet, subtrahemus obedientiam ejus. Nec mora, Papæ sic dicunt. Qui renuens ait, hoc non expedire propter dispendium, quod inde posset oriri. Qua occasione capta, Cardinales obedientiam subtrahentes, *Rolandum* elegerunt; qui se *ALEXANDRUM III.* nominavit. *Victor* ergo confugiens ad Imperatorem, facti feriem enarravit; quem Imperator toto vitæ suæ tempore cum suis honorifice tenuit pro Papa. Volens autem factum plenius examinare, concilium indixit, & curiam *Papie*; ubi multis Prælatibus venientibus, *Victor* & verus Pontifex apparebat, & mandabatur *Rolandus* intrusus removeri. Qui fugiens ad *Wilhelmum Siculum*, tunc *Siciliam* occupantem, & æmulum Imperatoris, Imperatorem excommunicavit; quod iste non curavit, tanquam à non Papa factum. Post hæc Imperator indixit curiam *Vicentia*, & post hæc tertio *Metis*, ubi aderat *Woldemar* Rex *Dacie*, cum multis Principibus, & in omnibus illis tribus conciliis approbatus est *Victor*. Quo mortuo miracula contigerunt. Mulier septem annis paralytica, corpus ejus tangens, sanata est. (Nata de Epistola, quam scripsit Imperator *Fredericus* contra *Alexandrum* & Romanos, ubi inter cætera sic: Nusquam pejus agitur divinum servitium quam Romæ, ubi domus S. Petri facta est spelunca latronum & habitatio dæmonum; Ubi & ille alter *Simon hæresiarcha*, quærens sua non quæ Jesu Christi, cuncta spirituaalia habet venalia. Nos judicabimus eum in virgula regni nostri, & requiremus ab eo, quæ nostræ jurisdictionis sunt, urbes & castella, munitiones & oppida, quæ in tota tenet *Apulia*. Igitur, qui primos estis cis *Alpes* & cor regni, & metropolis illa vestra nostraque inclita *Treberis*, quæ inconsutili præpollat tunica Domini, ut ecclesiam de manu illius *Amoræi*, qui ut fur & latro non per ostium, sed aliunde ascendit in ovile; Imperiale auctoritate committimus, ut omnes de nostro regno cis *Alpes Treberis*, ad secundam *Romam*, veniant, in causis. Ob hoc enim *B. Petrus*, futurorum præcius, baculum vobis tradidit in signum, quod dignitas Apostolica in metropolim vestram hæreditario jure derivetur. Archiepiscopus igitur scripsit Papæ: Domino & Patri nostro summo Pontifici, *Henricus*, S. Treverensis ecclesiæ humilis minister, subjectum in Domino famulatum & debitam in Christo orationem. Nimis exasperastis Dominum *Cæsarem*, cujus spiritus in naribus ejus, & cujus fortitudo est quasi rhinocerotis; Mandantes literis vestris, quod eum in regnum coronaveritis, neque potentia moveamini. Videte, quid opus sit facto, ne dissensio vestra sit totius mundi ruina. Quia, si vos pater & dominus estis, in his quæ ad Deum sunt; ipse non inferior vobis vult esse, cum ipse pater & dominus sit, in regnum à Domino constitutus. Si vos pastor animarum, ipse pastor corporum. Nonne vineam Domini depascitis, si vos duo contenditis? Nonne homines estis? Quamvis enim *Dii* homines, tamen mortales. Deus pacis, qui dedit Vos domui suæ præesse, ipse det & vos unum cum Domino imperatore esse. Rescripsit igitur Papa Archiepiscopo inter cætera: Recolite, antequam *Zacharias* benedixit *Karolum*, illius nominis secundum, quales *Teutonici Reges* habebantur; quia in carpento boum circumferebantur. Quam gloriosus erat *Rex Almannorum*, dum in carpento boum, quasi *Archisynagogus*, resideret, & ducem suum, qui tunc major domus vocabatur, tractare negotia regni permetteret. Rex utique miser erat, qui nihil aliud habebat, quam quod ei major domus disponebat. Anno *MCLXXII.* *Abbatia* cæperunt: *Insula Dei, Loci Benedicli, S. Spiritus, Loci Dei, Vallis honestæ.*) *PASCALIS* subrogatus, prius dominus *Wido* dictus, brevi tempore permansit.



KALIXTUS substitutus est: quibus omnibus tandem defunctis, *Fredericus* Imp. considerans dispendium Christianitatis, ex schismate ortum, concilio Lateranensi celebrato & *Venetiis*, ordinavit Rolandum approbari: sicque sedatum est schisma, anno Domini MCLXXVII. quod duravit fere XVII. annos. Et tunc cum ordinatis tempore schismatis ita dispensatum est, ut tam Episcopi quam clerici manerent in suis dignitatibus & ordinibus; nisi qui forte intrusi fuerunt, ejectis veris pastoribus; vel nisi fuissent ordinati ab auctoribus schismatis, ut patet *Extra. de Schismaticis* cap. 1. Tunc completi sunt ab adventu Anglorum in Britanniam anni DCCCXXX. à baptisinate vero eorum DCXXXIV. ab introitu Nortmannorum C. Hoc anno tempestas gravis castigat populum Dei. Nam lupi feroces, etiam ab urbibus, matrum parvulos rapiabant, diris moribus devorantes. Tunc fuit pestilentia magna. (*Hugo Bambergensis.*)

*Inter quos præcipue quatuor fuerunt,  
Qui verborum neclare Clerum rigaverunt.  
Alanus egregius, Mathæusque sincerus,  
Gaufredus non plebejus, simul & Galterus.  
Quam fuit mellisuius edigor Alanus,  
Testatur liber nobilis Anticlaudianus.  
Matthæus metaphoricè metrificat Tobiam,  
Gaufredusque Rhetoricè novam Poetiam  
Edidit scribentibus, & ut conciliaret  
Pape Regem Angliæ, per librumque placaret.  
Nam idem Rex, ut dicitur, Cantuariensem  
Thomam occidit Prasulem, non formidans ensẽ.  
Galterus metrificans Alexandri gesta,  
Quæ & intermiscuit scripta per digesta.*

Incipit Catalogus primi libri sic:

*Primus Aristoteles imbutum neclare sacro  
Scribit Alexandrum, scepro qui insignis & armis.*

Liber secundus sic:

*Gesta Ducis Macedum, totum diffusa per orbem,  
Quam largè dispersit opes, quo milite Porum  
Vicerit &c.)*

1181. LUCIUS tertius, Tuscus, sedit annos IV. menses II. dies XVIII. Ipse CLXXXmus à B. Petro, de quo sunt isti versus:

*Lucius est piscis, Rex atque tyrannus aquarum;  
A quo discordat Lucius iste parum.  
Devorat hic homines; is piscibus insidiatur,  
Esurit hic semper, aliquando sed is satiatur,  
Amborum vitam si lans aquata levaret,  
Plus rationis habet, qui ratione caret.*

Huc usque scripsit *Honorius* Chronica sua.

URBANUS III. sedit annos III. menses X. dies XXV. Sub hoc, peccatis nostris exigentibus, capta est *Acharon*, & consequenter tota *Terra sancta* per paganos. Tunc autem *Saladinus* Rex *Syriæ* & *Ægypti* publicè dixit: *Non nostris viribus, sed Christianorum peccatis, obtinuimus terram istam.* Iste autem iussit ubique campanas comminui, & metallum eis, quorum erant campanæ, restitui. Fecit & templum Domini aqua rosacea lavari, antequam intraret, miram venerationem ei cum Turcis exhibendo: indixitque per terram, quicumque vellet sibi sponte servire, sub tributo tali securus esset; videlicet major decem annis daret X. aureos, & mulier V, infra decennium solveret duos. Ab hoc tamen pretio multa millia pauperum absolvit, & infirmis iussit è fisco proprio necessaria ministrari. Postquam ergo *Ierusalem* à Turcis post annos LXXXIIX. fuit exuta, & tantundem fere temporis à nostris possessa, iterum *Ierusalem* capta est à Turcis, Pontificante tunc Papa *Urbano*, & nunc etiam *Urbano*. Universis itaque Latinis urbem relinquentibus, *Syriani* Ecclesiam S. Sepulchri auro multo redemerunt, & ibi manent usque hodie cum diversis sectis, ut sunt *Græci*, *Armeni*, *Iacobite*, *Georgiani*, &c. Ante hoc, scilicet anno Domini 1179, *Lodewicus* Landgravius *Hassæ*, & *Hermannus* frater ejus, Comes Palatinus, cum CCCC. militibus fuerunt in exercitu Archiepiscopi *Coloniensis*,



fis, contra *Henricum* Ducem Saxoniz. Verum commisso bello, ambo cum suis capti sunt, quando idem Dux *Henricus Noribusen* & cætera exussit.

GREGORIUS Octavus, prius dictus *Albertus*, sedit mensē unum, dies XXIIII, vir literatus & facundia clarus. Totis animis inhians ad subventionem *Ierusalem*, legatos & literas destinavit ad omnes. Sed pro dolor! in suo ortu flos decorus exaruit, Pisani sepultus.

CLEMENS tertius, Romanus, sedit annos III. dies XVI. Sub hoc, generali consilio *Parisius*, cum Rege *Philippo*, cruce signata est innumerabilis multitudo. Constitutum vero est, ut omnes, crucem non assumentes, de omnibus bonis suis decimam dent cruce signatis, exceptis Cartusienfibus, Cisterciensibus & leprosis. De hoc passagio supra. (Imperatore *Friderico*, cum multis *Erfordiz* in cœnaculo residente, rupto pavimento, multi ceciderunt in cloacam subtus latitantem: inter quos perierunt IV. Comites & plures militares cum aliis. 1184. Ex *Chronica Erfordiensis*. Nota: anno, quo capta fuit crux Domini in *Achon*, infantes postea ibi nati non nisi XX. vel XXII. dentes habent, cum antea XXX. vel XXXII. haberent. Spec. lib. 30. cap. 43. Imperator *Fridericus* cruce signatur cum multitudine Principum, sed in *Armenia* mergitur.) *Hilgerus* Comes de *Honstein*, fundator cœnobii in *Ilfeld*, obiit anno 1189. & *S. Hildegunda*, quæ se dixit esse virum, & nominatum *Ioseph*, intravit Ordinem Cisterciensium in *Sconauwe*, diœcesis *Wormatiensis*.

HENRICUS sextus, filius *Friderici* Imperatoris; qui duxit filiam *Rogarii*, Regis *Siciliz*, nomine *Constantiam*. Imperat annis VII. Vir catholicus, strenuus & devotus, coronatus à *Cælestino* Papa, feria II. Paschæ. Subjugavit sibi *Apuliam*, *Siciliam*, *Tusciam* & *Italiam*; *Tancredum* Regem *Siculorum* cum matre, Regem *Epirotarum* cum multis, captivos duxit in *Almaniam*: & quia impeditus guerris, non potuit per se interesse passagio *Ierosolymitano*, misit in subsidium terræ sanctæ exercitum magnum, cui præfecit *Conradum* Archiepiscopum *Moguntinum*, *Henricum* Ducem *Saxoniz*, *Lippoldum* Ducem *Austriz* & *Carinthiz*, ac *Hermannum* Lantgravium *Thuringiz*, fratrem mariti *S. Elisabeth*: cum quibus erant Episcopi plurimi, ut *Pataviensis*, *Ratisponensis*, *Eistetensis*, & cæteri. Qui venientes ad terram sanctam, multa profecerunt; in quorum manibus etiam Rex *Armeniz* præstitit homagium Imperatori *Henrico*, & ab eo regnum *Armeniz* accepit in feudum. Idem *Henricus*, postquam imperio plurima recuperavit in *Apulia*, veneno in hostia sacra intoxicatur per quendam *Siculum*, in castello *Boncovent*, diœceseos *Senonensis*; (procurante hoc uxore propria, ob necem suæ parentelæ.) De hoc T. E.

Fulserat electus *Henricus* postea sextus;  
Hic & magnifici fuerat natus *Friderici*.

CÆLESTINUS tertius, Romanus, sedit annos III. m. VIII. d. IX. Circa illud tempus fuit eclipsis VIII. Kal. Julii, & totus aër factus est purpureus: tantæ pluviz, cum tonitru & tempestate, factæ sunt, quantas nulla meminit hominum ætas. (Corvi & plures aliæ aves per aërem volantes, visæ sunt carbones in rostris portare, & domos incendere. Quibus tempestatibus plurimi perierunt.) Rex *Moabitarum* cum multitudine infinita *Hispaniam* intravit, terrasque Christianorum vastavit. *Hildefonsus* Regem *Castellæ* pugna vicit, ibique plus quam L. millia Christianorum cæsa dicuntur. Cæpit tunc *Abbatia de Reinevelt*.

INNOCENTIUS III. prius dictus *Lotbarius*, sedit annos XVIII. m. IV. d. XXIV. De cretales composuit, & librum de miseria humana conditionis. Fecit hospitale *S. Spiritus* in urbe. De isto dicit *Cæsius* lib. 1. parte 2. c. 31. (Cum *Romæ* prædicaret, dixit ei quidam æmulus *Iohannes*: Os tuum os Dei, sed opera tua sunt opera Diaboli. *Innocentius* tertius Papa, scire volens terram & vires paganorum, contra quos exercitus Christianorum mittendus erat in passagio, scripsit Patriarchæ *Hierosolymitano*, ut, inquisita diligenter veritate, detentores terræ sanctæ sibi rescriberet. Qui rescripsit in hunc modum: Duo fratres Regalis profapiz, peccatis nostris exigentibus, sanctam civitatem *Ierusalem* expugnarunt, Regem *Widonem* cum omni exercitu Christianorum captivarunt aut occiderunt. *Salsadinus* major natus habuit XI. filios: quo mortuo, frater ejus successit, & omnes fratris filios occidit, præter unum, qui vocatur *Melchisedech*: & jam tenet civitatem *Halapiz*, cum CC. civitatibus & castris. Patruus autem ejus, qui fratres ejus occidit, habet XV. filios, quibus divisit regna VII. sic, quod primogenito tradidit *Alexandriam*, *Babyloniam*, *Cayrin*, *Damiatam*, & totam terram *Aegypti* in meridie & septentrione. Secundus filius tenet *Ierusalem*, *Baruth*, *Damascum* & alias munitiones plus quam CCC, præter villas. Tertius filius habet ultra CCCC. munitiones præter villas. Quartus habet *Asia* regnum, in quo sunt 600. civitates, & plures munitiones. Quintus filius habet plus quam 700. munitiones & castra. Sextus filius habet regnum *Baldach*, ubi *Machimet* eorum Deus honoratur; ubi eorum *Califa*, id est, Papa residet,



residet, qui non videtur, nisi bis in mense, quando statuto die vadit ad Deum suum. Aliis filiis non commisit regna pater; & ex antiquorum more non ostendit faciem suam, nisi decies in anno, quando recipit nuntios Principum. Alio tempore Legati non habent accessum ad illum. Hæc in *Chronica Godfridi.*)

**P**HILIPPUS Dux Sueviæ, frater Henrici VI, & filius Friderici I. ab aliquibus electus, imperavit annis X. Ab aliis vero electus fuit filius *Henrici Leonis*, Ducis Saxonum, **OTTO IV.**, & imperavit annos XX. simulque regnabant. Innocentius Papa favit Ottoni, quem fecit Aquisgrani coronari. Ei etiam adhæserunt *Richardus Rex Angliæ*, avunculus suus, *Archiepiscopus Coloniensis*, Comes Flandrensis, cum quibusdam aliis magnatibus. Rex autem Francorum Philippus adhæsit Philippo, ut per eum resistere posset Anglorum Regi. Tunc *Adolphus Coloniensis Archiepiscopus*, muneribus corruptus, relicto Ottone, adhæsit Philippo, propter quod à civibus suis ejectus, à muribus est devoratus; & Bruno de mandato Apostolico substitutus. *Hermannus* etiam *Lantgravius Thuringiæ*, prius Ottoni iuramento constrictus, à quo etiam villas regias *Northusen, Molbusen & Salvel*, in dditionem accepit; relicto Ottone, adhæsit Philippo, ab eodem (c) *Horlan & Ranitz* castra in homagium accipiendo. Unde orta discordia inter dictos Imperatores, Philippus *Brunsvik* obsedit; *Argentiniam* deinde & totam *Alsatiam* infestavit & *Coloniam*; *Thuringiam* vastavit & *Goslariam* cepit. Idem *Occarum* Ducem *Bohemix* Regem fecit; qui Rex factus, deserens suum regificatorem, tradidit eum Ottoni; qui & ipsum manu Comitis Palatini *Otonis* interfecit *Bambergæ*, anno Domini 1208. die S. Albani. Unde surrexit proverbium: *Non est fides in Bobemo.* Otto igitur castra *Lantgravi* vastavit; *Zalsa*, (u) *Friborch*, & cætera expugnavit. Inde *Apuliam* intrans, potenter subjugavit. (Ipse tres Abbates tentans, uni dixit: Domine, concedite mihi acum vestram. Quo respondente: non habeo; dixit alteri: qui similiter non habuit. Tertio non habenti dixit: Vos estis verus Monachus & Abbatia dignus; sicque permittit eum in Abbatia, cæteris destitutus. Similiter fecit *Fridericus primus*, dum ad quandam Abbatiam duo fuissent electi, quorum unus ei magna propinavit, minus existens. Cumque *Fridericus* cum suis consilium haberet, qualiter indignum amoveret, & tamen propinata retineret: dixit ei quidam familiaris suus: Domine, Monachi tenentur acum portare. Dicite illi, ut acum vobis accommodet; & cum non habuerit, habebitis occasionem contra eum. Quod factum est; & illo acum non habente, alter forte præmonitus acum habens, ordinatus est Abbas. *Cæsarius* libr. I. distinctione sexta cap. XV; ubi sequitur cap. XVII: Cum quidam monachus Ordinis nostri acum portare nollet sanus, eo posito in agonia, Diabolus acum ignitam ad sui corporis longitudinem projecit super illum, dicens: quia noluisti acum portare sanus, feras hanc moriturus. *Sancta Theotoca* virgo obiit; *S. Cunegundis* canonisatur. Franci cum Venetis *Constantinopolin* capiunt. Corpus Domini in *Augusta* civitate versum est in cruentam carnem. Ordo *Prædicatorum* cœpit à B. *Dominico* in Hispania, confirmatus ab *Honorio tertio*. Ordo vero *Minorum* cepit antea annis VII. à B. *Francisco* in *Tuscia*. Versus:

*Milleno bis centeno deno Minor ordo,*  
*Postea (x) septeno capit, qui prædicat ordo.*

Item sic:

*Octo, C. bis, mille, Venerabilis incipit ille*  
*Ordo majorum, Reverendus & Ordo Minorum.*

De Ordine Minorum septem fratres missi ad prædicandam fidem in regno Regis *Marech*, passi sunt martyrium gloriosum pro fide. Ordo etiam *Teutonicorum* cœpit in *Achon*. Versus:

*Milleno bis centeno cruce Teutonicorum*  
*Pallia signantur, cum regnavit (y) pius Otto.*

Item sic:

*M. duo C. sancta confertur crux Alemanni.*

Confirmatus est anno Domini MCCXX. Regnum *Tartarorum* tunc etiam cœpit. Terræ motus factus est quasi ubique, & in *Marchia Anthonitana* in civitate *Camerina* plus quam M. homines perierunt.) *Walckenrede* novum monasterium fundatur; antiquum enim diu præfuit. *Goslaria* novum monasterium fundatur. *Vredelse* cœperunt virgines dominari, canonicis

(c) Horla & Ranis. Geth.

(u) Al. Dryborg.

(x) Antea. Cruc.

(y) Fredericus Cont.



nici regularibus exclusis. Bohemi cum magno exercitu vastaverunt Thuringiam usque *Salveld*, & anno sequenti redeuntes, à Rege Philippo territi, redierunt in sua. S. Elisabeth nascitur; cujus anno sequenti mater, Regina Hungariæ, à quodam *Petro* Comite jugulatur; qui & sequenti nocte in ultionem sceleris cum aliis decollatur. Illi *Petro* scripsit Episcopus de *Gran* in Ungaria literas, verbis amphibolicis: *Istam reginam occidere nolite. Timere bonum est. Si omnes consentiunt, ego non, contradico.* Ecclesia cathedralis S. Mauritii *Magdeburg* incendio fulguris consumta est. *Iohannes* Comes eligitur in Regem Ierosolymitanum, qui duxit filiam *Conradi* Regis in uxorem apud *Tyrum*, *Helinandus* historicus, dictus *Guilhelmus de Conchis*, vir religiosus & facundia disertus, multa composuit; præcipue *Chronica* ab initio mundi usque ad tempus præsens. (In Gallia tam valida cæpit *Albionum* hæresis ab Albi civitate, ut omne triticum gentis illius videretur versum in lolium erroris. Hi cum Manichæo posuerunt duo principia rerum; unum bonum, Deum, à quo forent spiritualia, & aliud malum, à quo corporalia. Baptismum abjecerunt, Sacramentum corporis & sanguinis Christi blasphemarunt, dicentes, se solos à Spiritu Sancto missos. Infecit hæresis ad mille civitates, &, si non fuisset fidei gladiis repressa, totam Europam corrupisset. Est ergo crux Christi contra eos prædicata; sicque Archiepiscopus Colonienfis, Dux Austriae, Comes de Monte, & alii diversæ conditionis atque dignitatis, obsederunt civitatem capitalem *Biterna*, quia bis fuit contra totam terram infidelis, Teutonice *Biders* nomine, in qua plus quam centum millia dicuntur hominum fuisse. Isti in conspectu Christianorum super volumen Sacri Evangelii mingentes, istud de muro contra Christianos projecerunt, clamantes: Ecce lex vestra, miseri. Christus vero injuriam non reliquit inultam: nam statim, civitate capta, innumerabiles sunt occisi. Deinde alia civitate magnâ, quæ dicta est *Pulchra vallis*, juxta *Tolosam* virtute divina capta, dum omnes promitterent, se redituros ad fidem, CCCCL. in sua pertinacia permanserunt; quorum (z) CCCC. igne combusti sunt, cæteri patibulis suspensi. Istos hæreticos juvit Rex *Marroch* paganus de Africa: sed perdidit de suis LXM. pugnatorum anno Domini MCCXII. XVI. Kal. Augusti, & Rex dolore mortuus est. *Cæsius* lib. I. parte V. cap. 21. ubi sequitur; Eodem tempore à multis literatis surrexit & alia hæresis *Parisiis*, dicentium: corpus Christi non aliter esse in Sacramento, quam in alio pane & qualibet alia in re. Hi dixerunt, nihil esse paradisum nisi cognitionem Dei, nec aliud esse infernum, nisi mortale peccatum. Contra quos *Imocentius* Papa misit XII. Abbates *Cisterciensis* Ordinis & (a) alios, prædicare veritatem, cum Legato Apostolicæ sedis: qui convocato Episcoporum & aliorum concilio, quærebant, quonam modo id commodius agerent. Tunc dixit *Venerabilis Didacus* Oxoniensis Episcopus in præsens, ut, abjecta pompa superflui apparatus, paupertatem & fidem Christi non verbis tantum sed rebus demonstrarent. Favent omnes, sicque familia dimissa, cæperunt Evangelicam paupertatem amplecti, pedibus discurrendo verbo & opere fide Christi prædicantes. Anno 1197. cæperunt *Abbatia Vallis Lucida, Aqua formosa, Arnsborg*; anno 1199. *Abbatia de Bredelar.* *Conradus* Archiepiscopus *Maguntinus* obit, *Sifridus* succedit MCCII. *Conradus* Episcopus *Würtzburgensis* occiditur. Incendium magnum *Erfordia.* *Otto* Imperator sepultus est in *Brunswic.* Non reliquit filium, sed fratres *Henricum* & *Wilhelmum*. T. Longi de E-

*De Brunswik natus fuerat Rex, Otto vocatus,  
Imperium plenis rexit annis duodenis,  
Servivit Christo, mundo dum vixit in isto.  
Castrum fundabat, quod Harlingberg nominabat.  
Iste coronatus vermibus esca datus  
Quorsum portatus? in Brunswic est tumultatus.  
Hujus Germanus Henricus, corpore sanus,  
Sponsam de Rheno duxit loculo sub amano;  
Qua binas natus genuit, Dominis sociatas.  
Primaque Ducissa Bavarorum, Marchionissa  
De Baden reliqua, tali Domino sit amica.  
Vendiderunt illa pro marcis bis duo mille  
Indupentori Brunswik, ut superiori.*

*Wilhelmus*, tertius frater *Otonis* IV. duxit *Helenam*, filiam Regis Danorum, de qua genuit *Otonem*, qui dictus est de *Lüneborch.* Iste *Otto* partem hæreditatis suæ, & partem patris sui, quam filix ejus *Friderico* II. vendiderant, reunitam; jure feudali recepit ab eodem *Friderico* II. Imperatore, & sic Ducatus *Brunsvicensis* factus fuit Imperii. Iste *Otto* de *Lüneborch* cepit *Brunswik* anno Domini 1227. Idem duxit *Mechildem*, filiam *Alberti*, Marchionis de

(z) in MSC. Cruc. est XXX. (a) in MSC. Cruc. hæc habentur verba: cum Legatis & aliis, quorum unus erat *Venerabilis Didacus*, qui omnia reformabant.



de *Brandenborch*, de qua genuit quatuor filios & filias VI. Primus filius fuit *Albertus*, secundus *Iohannes*; isti duo dividerunt *Brunsvik* & *Lüneborch*. Tertius fuit *Otto* Hildesemensis, & quartus *Conradus* Verdenfis, Episcopi. Prima filia nupsit Imperatori, *Wilhelmo* Hollandiensi, quorum nuptiæ fuerunt *Brunsvik*; & per negligentiam domus nuptialis, vix illis evadentibus, igne consumpta est. Secunda nupsit Duci Saxonie, tertia Lantgravio Thuringie; quarta Duci Rugianorum, quinta Principi de *Anebale*; sexta Landgravio Hassie. De his vide plus infra. Versus T. E.

*Wilhelm ditorum qui germanus Dominorum,  
Virtutum plenam Danorum duxit Helenam;  
Otonem puerum qua genuit ipsa procerum,  
Hic expugnabat Brunsvik opidum superabat.  
Lectori dico, quod & hic tamen à Friderico  
Obtinuitque statum terræ, Brunsvicq; Ducatum,  
Mechild uxorem duxit, servans ita morem,  
Factaque Ducessa Brandenborch Marchionissa.  
Hæc tunc Albertum genuit, virtute refertum:  
Postea magnanimem generaverat atq; Iohannem.  
Hi dividerunt terras, quas tunc habuerunt,  
Ex hinc Otonem, est qui potitus honorem,  
Hildensem meruit, tunc non sine gloria stetit;  
Postea Conradum genuit, clarum sibi natum:  
Tecum sit Christe Verdenfis Episcopus iste.  
Sex genuit natas, etiam Dominis sociatas  
Prima Romanorum, sed altera Saxoniorum,  
Terna Thuringorum tunc, quartaque Rugianorum,  
Ex Anabale quinta, sexta tunc Hassianorum.*

HONORIUS tertius, sedit annos X, m. VII. d. XIX, sub quo celebratum est *Roma* concilium *Latamense*. (Ipse etiam mandavit, crucem prædicari in passagio.) Hoc tempore, cum crux prædicaretur ubique in diœcesi *Monasteriensi*, in villa *Beden*, dum crux prædicaretur, apparuit in aëre triplex forma crucis, una candida versus aquilonem, altera versus meridiem ejusdem coloris, tertia habuit figuram hominis suspensi brachiis extensis. Et simile apparuit in *Frisia*, & in diœcesi *Trajectensi*. Rex tunc quidam *Sarracenus*, scribens se *Regem Regum*, cum infinita paganorum multitudine fines *Hispaniæ* aggressus, contritus est per *Regem Arragonum*: qui in signum victoriæ Romam misit *Papæ lanceam* & *vexillum*. Pueri fati parvi, existimati XX. millia, cruce signati, *Marsiliam* venientes, vacui numero pauci redierunt. *Spec. Hist.* 3t. cap. 5. (*Sancta Maria de (b) Ogenis*, mirabilis in miraculis, obiit in Episcopatu *Leodienfi*; *ibid.* cap. X. cujus vitam scripsit *Jacobus de V. triaco*, post Episcopus *Tusculanus* & *Cardinalis*.) Hoc tempore *Iohannes* nomine, *Rex Angliæ*, spontaneè, de communi tamen consilio suorum Baronum, obtulit ac libere dedit Deo, & *Apostolis* ejus *Petro* & *Paulo*, totum regnum *Angliæ*, totumque regnum *Hiberniæ*, pro remissione peccatorum, salvis sibi & hæredibus suis justitiis & regalibus suis: ut sic de redditibus dictorum regnorum *Ecclesia Romana* M. marcas percipiat annuatim. *Ibid.* c. 70. Comes de *Swerin* cepit *Regem Danorum*, qui se quinquaginta millibus marcarum redemit, & juravit, nec se, nec suos, de cætero Comitatum *Holtzatiæ* invadere. *Cosmodrom.* *OTTO* Dux *Lüneburgensis* cepit *Brunsvik*, idemque juvans *Regem Danorum*, contra Episcopum *Bremensem* & *Albertum* Ducem *Saxonie* & *Comitem Holtzatiæ*, captus est ab eisdem in *Dacia*, (justo quidem Dei iudicio. Nam ante triennium *Rex Danorum*, captivatus à *Comite Henrico de Swerin*, (promisit pacem servare) super sanguine Domini dato juramento, & datis obsidibus, & etiam tribus de liberis suis; quorum & unus inunctus in *Regem*, & rursus bellum aggressus, superatur.) Circa idem tempus *Trajectensis* Episcopus cum CCC. militibus interfectus est. Eodem tempore *Pisani* fideles imperio, classicum bellum contra *Januenses*, qui *Papæ* favebant contra *Imperatorem*, hostiliter instaurant, & submersis tribus galeis cum hominibus, *Januensium* XXII. galleæ captæ sunt à *Pisanis*. Item *Papienses* fideles Imperatori, contra *Mediolanenses* ad bellum procedentes, CCCL. captis multos occiderunt. *Cosmodrom.* (Anno ab incarnatione Domini MCCXV. celebrata est sancta & universalis synodus Romæ in *Ecclesia S. Salvatoris*, quæ *Constantiniana* vocatur, mense *Novembri*, præfidente Domino *Innocentio III. Papa*, Pontificatus ejus XVIII. atque ultimo anno, in qua fuerunt Episcopi CCCXII, quorum duo *Patriarchæ*, *Constantinopolitanus* & *Hierosolymitanus*. *Antiochenus*, infirmitate detentus, misit pro se Episcopos; *Alexandrinus*, sub *Sarracenorum* dominio constitutus, fecit, quod potuit, mittens pro se *Diaconum*, germanum suum. *Primates* & *Metropolitani* adfuere

(b) de *Oegenis de Eginis*, Episcopatus *Leodienfis* Sancta. MS. Cr.



fuere LXXI; cæteri Abbates & Priores ultra DCCC; Legati Regis Siciliæ, tunc electi in Romanum Imperatorem, Imperatoris Constantinopolitani, Regis Francorum, Regis Angliæ, Regis Ungariæ, Regis Hierosolymæ, Regis Cyprî, Regis Arragonum, Regis Daniæ; nec non & aliorum Principum & Magnatum, civitatum & aliorum locorum, ingens affuit multitudo. Ibi Papa primo prædicavit crucem pro passagio sub remissione pœnæ & culpæ omnibus, qui in propriis personis subeunt & expensis laborem, in subsidium terræ Sanctæ. Similiter & illis, qui sub suis expensis miserunt alios idoneos; & illis similiter, qui vadunt, licet sub alienis expensis, plenam veniam peccatorum. Anno Domini MCCVII. *Wilhelmus* Comes Hollandiæ & *Georgius* Comes de Wyde cum multis Teutonicis & Frisonibus vadunt in subsidium terræ sanctæ; inter quos *Saxones* & *Rhenenses* more suo strenuè laborabant, Paganis multis oppressis. De uno castro venundati sunt circiter 3000. Paganorum, & omnes; præter Dominum Castri, *Abur* nomine, qui baptismum petiit, sed reversus est ad vomitum. Ibi singuli Christiani rapinam suam in unum locum, circulo clausum, reponebant, præter unum; qui pulcherrimæ rei cupiditate seductus, obedientiæ aures temerariè præclusit. Hic dum cibum capere vellet, ad primum morsellum fere fuerat suffocatus. Sed restitutione per confessionem toto corde promissâ, à dolore liberatus est. Anno Domini MCCXVII. quarto die Novembris capta est civitas *Damiata* à Christianis, in qua tunc obsidione illius perierunt LXXX. millia Paganorum, exceptis tribus millibus, de quibus CCC. reservatis ad redemptionem captivorum, cæteri pretio venditi vel baptizati fuerunt. A.)

**F**REDERICUS II. filius *Henrici VI.* ex *Constantia* filia *Rogeri*, & nepos *Frederici I.* dictus de *Staufenborch*, imperavit annis XXIV. in Almania, & prius imperavit annis XXIII. in Apulia & superioribus regnis, statim post patrem suum. Iste ergo fuit Germanus origine, & Italus conversatione, vir catholicus, pius & providus: de quo sunt hæc *metra* per (c) quendam Italicum facta.

*Si probitas, sensus, virtutes, gloria, census,  
Nobilitas orti, possent resistere morti,  
Non foret extinctus Fredericus, qui jacet intus.*

Ipse *leges* optimas pro libertate Ecclesiæ contra hæreticos edidit & librum feudorum. Istum coronavit *Honorius III.* qui & eum postmodum excommunicavit. Ipse duxit filiam Regis Antiochiæ, dum morabatur in partibus illis, ubi tandem veneno peremptus est. Contra eum per Papas substituti & procurati sunt Imperatores sequentes usque ad *Richardum*, quos tamen Alemanni, sibi adhærentes, non tenuerunt pro Regibus. Ipse reliquit multos filios: *Henricum* fecit Regem Alamanicæ, sed periit in flumine prope Capuam: *Fridericum* fecit Regem Tuscorum, qui obiit apud Florentiam; *Ericum* Regem Lombardorum, *Manfredum* Principem Apulicæ, qui condidit *Manfredoniam* in Calabria; & *Conradum*, quem fecit Ducem Suevorum, de quo infra statim. Hoc ergo *Frederico* mortuo, ignorantibus Alamannis, vacabat imperium multis annis. Post quos senex quidam in civitate *Nutz* finxit se esse *Fredericum*; ad quem multi nobiles confluerunt; quos omnes noscens, licet prius nunquam viderat, propriis nominibus suscipiebat. Qui cum ad tempus regnasset, tandem à Colonienfibus crematus est. Ex hoc fama venit, *Fredericum* adhuc vivere in castro (d) confusionis. Ordo Carmelitarum cœpit, qui dicuntur cœpisse tempore Machabæorum, cum pallio *Helix*. Clausum in *Franckenbusen* fundatur; & in *Northusen*, monialibus exclusis, Canonici, earum capellani, successerunt apud S. Crucem. (*Lodovicus quintus*, Landgravius Thuringiæ, duxit *S. Elisabeth*. S. Dominicus migravit, & *Henricus*, filius *Friderici*, coronatur Aquisgranii. *Sifridus* Archiepiscopus Moguntinus in Concilio Erfordienfi statuit, quod omne festum, habens proprias laudes, celebretur cum novem lectionibus. Ordo Eremitarum (e) dictus Augustinensium cœpit, & *S. Franciscus* obiit. Nunc enim Papa Regulam S. Augusti eis confirmavit, & ordinem Eremitarum nuncupavit. Prius enim erant Eremitæ in Eremis. Cœpit ordo civitates inhabitare in subsidium ordinum, prædicando verbum Dei.) Passagium magnum factum est, in quo fuit *Fredericus* Imperator, & secum *Lodovicus* maritus *S. Elisabeth*, qui & obiit ibidem in Apulia: item Rex Ungariæ, Rex Cyprî, Dux Bavaricæ, Dux Austriæ & alii nobiles multi cum populo innumerabili. Recuperavit ergo Imperator quasi totam terram sanctam, coronatus in Ierusalem die sancto Paschali. Cum autem regnum Siciliæ potenter intraret, triplici diademate insignitus, multipliciter per Papas diffamatur, quasi invasor patrimonii Ecclesiæ & ex-

commu-

(c) quendam Historiographum Cruc. (d) leg. in castro *Cushusen* vel *Kyhusen*. In hujus enim montis antro (in *Kyhusen Berge*) vulgo persuasum fuit dormire *Fridericum II.* Imperatorem; atque aliquando evigilaturum, & inde exiturum ad imperium recipiendum. In MSC. Cruc. est: *Fridericum* surrexisse, & castrum *Kushusen* custodire. (e) dictus Augustinensis, quia *B. Augustinus* olim scripsit regulam Eremitarum. Cruc.



communicatur: & crevit odium in tantum, ut Imperator inde descendens, terram (ee) istam dereliquerit in manibus inimicorum. Et eo recedente, inter Christianos ibi manentes, filia diaboli discordia, regina inferni potentissima, subintravit cum sororibus suis, crupula, luxuria & superbia, in tantum, quod, cum uni parti placeret pugna, displiceret alteri: sicque bellum intestinum destruxit regnum in tantum, ut post Fredericum à nullo posset plenariè recuperari. *Soldanus* enim *Babyloniæ* *Ierusalem* cum terra iterum capit, occiditque ibi ad *M. Christianos*. (*Engelbertus* *Coloniensis* *Archiepiscopus* à *Comite de Isenberg* quatuor vulneribus sibi inflicis occisus est: anno autem revoluto idem malefactor apud *Coloniæ* solenni crurifragio confectus est.

Post M. post duo C. annos tredecim superadde,  
 Gregorius vallat urbem, Benedictus eam dat,  
 Hartesborg distam, per Saxones ardue victam.  
 Felix bombardam, cum tu vicisse dicaris  
 Hanc primam; guarda sic victrix cognominaris.

Quia die *S. Gregorii* vallabatur, & die *S. Benedicti* dabatur.)

**GREGORIVS** nonus, Campanus, prius dictus *Hugelinus* *Hoftiensis*, sedit annos *XIV*. Canonisavit *S. Dominicum*; approbavit ordines *S. Clarae* & *Pœnitentium*, scilicet *Mariae Magdalene*, & tertiam regulam *S. Francisci*. Ordinavit *Decretales* per Fratrem *Raymundum*, qui & summam composuit; cujus frater carnalis fuit *Jordanus* secundus, Magister generalis Ordinis *Prædicatorum*; qui missus 1237, ad prædicandum gentibus, (f) obiit in mari, (g) natus de *Dassel*. (Perierunt cum eo duo Ordinis sui, & quasi novem alii Laici. Cum enim ipsa die celebrasset missam in terra, nocte sequente orta tempestate subversa est galeyda.) *Jordanus* iste scripsit *Chronica de Germanis Regibus* usque ad *Rudolphum*. (Hic scriptor in *Chronica* sua sine dicit: Sicut Romana Ecclesia in Regnum Dei, sic imperium similiter est regnum Dei. Ideo absque dubio dignum esset, ut saltem semel in anno pro Rege & Imperio fieret generalis oratio, & nisi fiat, Rex Regum suo tempore ingratitude & injuriam sibi factam reprobabit. Romanus etiam Pontifex diligentiam debet habere de tribus istis præcipuam; scilicet, de Studio *Parisiensi*, de imperio & de Sacerdotio. Regno enim universalis Ecclesie nihil isto competentiùs videtur expedire, quam ut Sanctissimus Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, diligentiam habeat, ut studium illud in suo floreat vigore & fructificet, ad confutandas hæreticorum versutias & errores: & ut Germanorum imperium in suo honore dilatetur ad supprimendas gentes & omnes barbaras nationes; & ut sacerdotium Romanorum in suo robore consistat ad congregandos filios Ecclesie ad amorem & obedientiam per gratias competentes, & justitiam expeditam. Sequitur ibidem: *Præfules Germanici vicarii sunt illius Discipuli, qui Domino dixit: paratus sum in mortem tecum ire, & educens gladium amputavit &c.* *Præfules* autem *Italici* sunt illius vicarii, qui relicto *syndone* nudus evasit. Si igitur *Principes Germanie* capiti suo, sicut olim consueverunt, adhererent: omnes aves timerent aquilam Romanorum. Hæc ille. *Bodo* (h) de *Homborg* nobilis, à nobilibus de *Everstein* occisus est, in *Amelunxborn* sepultus. Anno Domini 1229. cœpit *Abbatia Maris stella*. Anno 1230. de pietate Dei. Circa tempus illud in multis partibus mare tantum crevit, ut præcipue in *Frisia* ad centum millia hominum cum omnibus suis delevit. *Cæsarius* lib. 2. dist. 1. cap. 3. Idem *Tiberis* alveum suum egrediens, ascendit gradus *S. Petri Romæ*. Apud *Cremonam* cecidit lapis grandinis, in quo erat crux & imago *Salvatoris* expressa, desuperque literis aureis erat scriptum: *Iesus Nazarenus Rex Judæorum*. Quo visus cives, in hæresin prolapsi, redierunt ad fidem Christi. Cecidit autem in *Monasterio S. Gabrielis*, & ex aqua inde liquefacta *Monachus* cæcutiens, oculos inungens clarè vidit. *Spec. Histor.* lib. 31. cap. 138. *Eclipsis magna solis*. *Nix magna* & *algor fortissimus*, ut multi homines cum bestiis & arboribus perierint, & *institores de Venetiis* cum *onagris* per mare transferint.) Hoc tempore *Bobemi* iterum exeuntes, *Austriam* vastant; quos fugavit *Fridericus* *Dux Austriae* & *Styriae*, magnumque ducens exercitum, *Bobemiam*, *Moraviam* & *Vngariam* populatur. Hoc tempore *Gregorius* *Papa*, cum *Imperatore Frederico* ad concordiam redeundo, ipsum ab excommunicatione absolvens, invitavit ad mensam; & sequenti anno *Ierusalem* restituitur Christianis. *Ludovicus* *Dux Bavarie*, præsentem familiam suam, cultro percussus à quodam ignoto quasi nuntio, sibi secreta locuturo, interiit. *Argentineses*, & eorum *Episcopus Bernhardus*, triumphabant contra *XIV*. civitates imperiales festo *S. Medardi*. *Ordo Servorum S. Mariae* cœpit, & *S. Antonius*, Ordinis Minorum, obiit *Paduæ*, canonizatus. *S. Elisabeth Landgravissa Hassie* obiit, cujus translatio facta est anno quarto sequenti, præsentibus *Friderico* *Imperatore*, & tribus *Archiepiscopis*, *Mogontino*, *Coloniensi* & *Bremenfi*, cum multis aliis. Hæretici circa *Rhenum* plurimi combusti

(ee) sanctam. Cruc. (f) in terra Sancta Cr. (g) verba: natus de *Dassel*, non extant in MS. Cruc.  
 (h) In margine Codic. Cruc. adscriptum erat: *Ultimus de Homborg* obiit.



Hi sunt per Magistrum *Conradum* (i) de *Magdeborch*, auctoritate Gregorii Papæ. Iste Conradus fuit magister S. *Elisabeth*, occisus ab eisdem hæreticis circa Maguntiam. *Nortiusen* cum Ecclesia S. Crucis & Fratrum Minorum, incendio consumta est. S. *Virgilius* canonizatur. Aquisgrani aperitur *feretrum B. Virginis*. Parisius *corona Domini* delata est. In *Fulda* perimuntur à cruce signatis XXXII. Iudæi, ideo quia die sancto nativitatis Christi occiderunt quinque pueros cujusdam ibidem molendinarii, sanguinem ipsorum colligentes. *Erffordia* celebraverunt (ii) ordines simul tres Episcopi, scilicet *Hildesheimensis*, *Herbipolensis* & *Havelbergensis*, in tribus Ecclesiis, ex mandato (k) Maguntinensis. (Gregorius Papa nonus cum interrogaretur, an posset de plenitudine potestatis cum plurium beneficiorum detentoribus dispensare? respondit: non possum, nisi super (l) vexatione tantum detinentium, dispensare, ut refert Frater Bn. Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarius Papæ ejusdem. Ideo *Jacobus de Vitriaco* Aconensis Episcopus & post Cardinalis, interrogans Magistrum *Rubertum*, Sacræ Theologiæ Professore probatissimum, Cardinalem morientem, audivit hæc verba: dico tibi migraturus à vita, quod mortale & damnabile est, dummodo unum sit competens, plura beneficia retinere. Hoc idem Magister *Petrus Sanctæ Mariæ* Cantor Parisiensis dixit & scripsit; & Magister *Gerhardus* Cameracensis Episcopus dixit: nollem pro toto auro Arabiæ una tantum nocte dua beneficia retinere, & certus tamen esse, quod de mane, si superviverem, unum illorum homini idoneo conferretur; & hoc propter incertæ vitæ discrimen. Anno 1227. Parisius disputatione publica per omnes Doctores Sacræ Theologiæ & Juris conclusum est ac probatum, duo beneficia Ecclesiastica, dummodo unum valeat (ll) XV. solidos Parisienses, teneri cum salute non posse. Consenserunt omnes, duobus Doctores exceptis, quorum unus erat *Philippus*, tunc Cancellarius Parisiensis; qui parum post hoc mortuus, apparuit ut umbra nigerrima Magistro *Guilhelmo* Episcopo Parisiensi, Doctori Sacræ Theologiæ, dicens, se propter hoc quod contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum opinionem propriam defensavit, æternaliter damnatum. De hoc Magistro *liber Apum*.

Post M. duo C. post annos ter decæ sexque  
*Elisabeth Sancta fuerat tunc canonizata.*

Item 1238. *Sanctus Franciscus* canonizatur à Gregorio nono.)

1242. CÆLESTINUS IV. prius dictus *Gaufredus*, Mediolanensis, fedit dies XVIII. INNOCENTIUS quartus fedit annos XI. menses VI. Iste canonizavit *Ocbimundum*, (m) Archiepiscopum Cantuariensem, *S. Stanislaum* Episcopum Cracoviensem, & *S. Petrum* martyrem, Ordinis Prædicatorum. Ipse contra *Fredericum* Imp. ordinavit eligi *Henricum septimum*, & eo mortuo *Wilhelmum*; & ut sic fieret, Alemannis confirmavit in perpetuum auctoritatem eligendi Imperatorem in concilio Lugdunensi. *Hugo* Cardinalis de Ordine Prædicatorum floruit. *Franfordiæ* cujusdam Iudæi filius, volens baptisari, prohibitus est à parentibus & amicis; propter quod Iudæorum CLXXX. gladio consumti sunt. Qui videntes mortem, ignem suscitaverunt, quo fere media pars civitatis cremata est, & XXIV. Iudæi baptisati sunt ibidem. Incendium fere per diem & noctem *Erffordia* durat, ut tale se nunquam dicerent vidisse. Eadem nocte simile fuit *Magdeborg*, & in pluribus aliis locis. (Tartari vastaverunt Silesiam, Ungariam & Poloniam, fuitque in Ungaria tanta fames, ut homines catos & catulos comederent & corpora hominum interfectorum. Spec. hist. lib. 31. cap. 149. Habuit Soldanus Tartarorum in exercitu suo XL. millia, quorum ferra cuspidum erant ex auro. Tunc & Turciam ditissimam subjugaverunt ibid. cap. 156. M CCXXXVI.) Civitas *Hildesbrim*, crastino nativitatis B. Virginis, cum Ecclesiis & domibus, infra murum contentis, ita totaliter conflagravit, ut solum *S. crucis* Oratorium, cum suo viculo remaneret. *S. Hedewigis* obiit; cujus pater, dictus Dux *Henricus cum barba*, & maritus, martyrizati sunt à Turcis.

HENRICVS septimus, dictus *Raspe*, frater carnalis *Lodovici*, mariti *S. Elisabeth*, Lantgravius Thuringiæ, vir grandævus & bonus, ad inductionem Papæ Innocentii ad Imperium assumtus, eodem anno obiit, in *Isnach* sepultus. Pincerna de (n) *Varila* cepit bello tres Comites; scilicet Comitem *Thuringia*, Comitem de *Konnigeberg*, & Comitem de *Schwarzborg*. Eodem autem tempore quidam nobiles Thuringiæ & Saxonix, invadentes nocte *Molbusen* cum injuria, repulsi sunt, quibusdam eorum occisis. Feria sexta ante Palmas *Witzensee* igne crematur.

1246. CONRADVS quartus, filius *Frederici* secundi, Rex Ierusalem & Sicilia, natus ex *Isabella*, filia *Iohannis*, Regis Ierusalem, de partibus Lothringiæ oriundi; adolescens

(i) de Margborg. Conr. Margborg. Cr. (ii) id est, ordinationes. (k) Domini Moguntini scientes. Cruc. (l) quando detinentes vexantur, sive, ob scrupulum conscientix anguntur. (ll) in MSC. Cruc. est 17. libras. (m) Sanctum Ethmundum. Conr. Cruc. (n) Verla Cr.



scens miræ probitatis & strenuitatis, conditor civitatis (o) *Aquilegia*, quam valde privilegavit; imperans XII. annis post patrem, in Apulia coronatus. Cum terram sanctam conaretur recuperare, (p) anno primo introitus sui, à medicis intoxicatus, interiit veneno Capuæ, sepultus juxta patrem, anno Domini MCCLII. Quo mortuo, ejus frater, Princeps Tarentinus dictus *Mansfredus*, pugnans contra Karolum (q) vasallum Imperii, quem Papa Innocentius constituit Regem Siciliae contra Conradum, in Calabria morte mulctatus est. (r) *Conradus* igitur adolescens spectabilis, filius & hæres prædicti Conradi quarti, infeliciter pugnando cum dicto Karolo, bello victus, per ipsum cum multis magnatibus decollatur, anno Domini MCCLXVI. in loco, ubi nunc est Ecclesia Carmelitarum, quam, mater ejusdem Conradini fundavit ibidem. Et sic ista *sublimis Domus Ducum SUEVORUM, AB OTTONIBUS SAXONIBUS descendentiæ, defecit in suo saluari*, isto Conrado V. Hoc autem totum imputatur Papis, qui (s) sibi regna Ierusalem, Siciliae & Trinacriae usurpantes, prædictum Karolum, Ducem Andegavensem, constituerunt Regem Siciliae: quorum unus fuit *Innocentius*, qui multum nocuit innocenti Conradino; alter *Alexander IV.* tertius *Urbanus IV.* qui nimis fuit inurbanus eidem Conradino; & quartus *Clemens IV.* non clementiam, sed inclementiam operatus in illos; ut scripsit idem *Conradinus* in Epistola, quam mundo dereliquit. Verba sunt Magistri T. de Nym.

1248. **WILHELMVS** vel *Wilkinus*, Comes Hollandiæ, vivente adhuc Conrado imperat, & anno ejus VIII. à Frisonibus occiditur. Tempore ejus civitates *Rheni* (t) optimam pacem ordinantes, cum multis Principibus destruxerunt castra nociva & injusta telonia. Quibus erant confœderati (u) *Eberhardus* Archiepiscopus Maguntinus, *Conradus* Colonienfis, *Arnoldus* Treverensis, *Ka.* Wormatiensis, *Henricus* Argentinensis, *B.* Basileensis, *Jacobus* Metensis, *Abbas* Fuldenfis, *Lodewicus* Palatinus Rheni, Comes de *Catzenelenbogen*, Comes de *Tzegebenagen*, (x) cum civitatibus plusquam LX. Hoc tempore 1249. *Damiata* civitas capta est à Christianis 4. die Novembris, & X. annis possessa. (Pagani etiam ceperunt *Ackaron* nocte Nativitatis Domini. Eo anno obiit *Fridericus* secundus.) Huc usque *Speculum Historiale* allegatur pro *Chronica*. Unde nota, cum ipse *Wilhelmus* in quadam civitate *Frisiæ* sepulchrum vidisset, opere mirifico constructum, & à civibus quæret, cujus esset sepulchrum: Dicebant, quod nondum quisquam sepultus esset ibi, sed patres eorum construxerint, per fatum cognoscetes, quod in eo deberet Romanorum Regum aliquis tumulari. Devicta itaque & subjugata tota *Frisia*, cum jam victor terram exiret, à quibusdam fugitivis, secus viam in arundinetis latitantibus, cuspidibus occiditur, & in prædicto tumulo sepelitur, anno regni sui nono. (In *Frisia* etiam occisus *Rex* *Daciae*, cum multis aliis. Anno Domini 1245. ceperunt *Abbatia* *S. Mariae de Rivo* *Verdensis* dioceseos, *S. Angeli*, de *Frigido*, *Novale S. Mariae*. Anno 1248. cepit *Abbatia* *S. Dyfbodi* prope *Sobernheim*. MCCL. *Alan* Rex *Tartarorum* obsedit & cepit *Baldachum* civitatem *Armeniae* Majoris, in qua erant ultra C. Millia equitum. *Califus*, ibi Dominus habebat turrim, plenam auro & argento & lapidibus pretiosis. *Alan* igitur Rex, postquam civitatem obtinuit, cepit & includit *Califum* in eadem turri, dicens: si thesaurum hunc tam avidè non servasses, te ipsum & civitatem servasses. Nunc autem juvet te, si potest, thesaurus; & sic sine cibo & potu dimissus, quarto die fame periit. In *Chronica Marci de Venetiis cap. 18. primi libri*.)

**ALEXANDER** quartus, Campanus, sedit annos VII. menses IV. d. IV. Eclipsis Lunæ, quam secuta est grando gravis, durans ultra septimanam. Ordo *Beatorum martyrum* cepit: tales sunt *Praga* ad *S. Crucem*, deferentes album habitum cum cruce. Tunc floruit *Bonaventura* Doctör sollemnis. (Circa tempus illud *Nicolaus & Mattheus* de domo *Pauli*, cives *Venetiarum*, mundum perambulare ceperunt. *Nicolai* filius fuit (y) *Marcus de Venetiis*, qui composuit *Cosmographiam*, de conditionibus orientalium regionum, & de potentia *Grandis Kaam*, Domini *Tartarorum*. Iste *Marcus* vixit inter *Paganos* 26. annis, ut omnia eorum secreta videret, quemadmodum fatetur in sua *Cosmographia*, quæ & hic aliquando allegatur.)

**FERRANDUS**, Rex *Castellæ*, & **RICHARDUS**, frater *Regis Angliæ*; simul assumpti ceperunt imperare. Alemanni enim, comperta morte *Frederici*, illos elegerunt. Hoc tempore *Judæus* quidam in *Hispania* sub rupe reperit librum, quasi folia lignea habentem, scriptum tribus linguis, *Hebraicâ*, *Græcâ* & *Latinâ*. Habebat tantum de litera, quantum unum *Psalterium*, & loquebatur de triplici mundo, ab *Adam* usque ad *Antichristum*. In principio tertii mundi scriptum erat: *Christus nascetur de virgine Maria, & pro salute hominum patietur, & hic liber sub Ferrando Castellæ Rege reperietur*. Legens igitur *Judæus*

(o) f. Aquilæ. (p) sequenti anno Conr. (q) de Gandavo, Gr. f. de Andegavo. (r) alias Conradinus, item: Conradus V. (s) qui, ut sibi - - usurparent, per istum Karolum & alios talia dicuntur procurasse. Cr. (t) pacem generalem statuentes Cr. (u) Gerhardus Conr. (x) Comes *Hastlie*. (y) iuxta *MSC. Conring.* in editione *Maderiana* comparuerunt hæc verba: *Marcus de Venetiis*, Historicus, qui multa vidit & scripto reliquit de cursu mundi. Similiter *Paulus*, pater ejus, confloruit.



dæus hoc de Christo, baptisatus est cum multis. Hoc tempore militia Alberti Ducis Brunsvickensis, sensim cepit *Gerhardum*, Archiepiscopum Maguntinum, cum pluribus Comitibus & Nobilibus; quos prædictus *Richardus* IX. marcarum millibus liberavit. Hoc enim dedit, ut ab eo eligeretur in Regem, sicut factum est. Idem Dux Brunsvickensis, *Albertus* nomine, suspendit Comitem de *Everstein*, patrum dicti Archiepiscopi Maguntini. Iste Archiepiscopus dicitur fuisse Ordinis Minorum, *Erfordie* sepultus apud illos. *Constantinopolis*, prius capta à *Vencis*, recuperatur à *Gracis*. *Flagellatores* iverunt primi, incipientes in Bohemia, & post per mundum. *Vngari* in CCM. vastaverunt *Bobemiam*, & postea *Stiriam* & *Carinthiam*; quos *Odocarus* Rex Bohemix, *Ulricus* Dux Carinthix, & *Otto* Marchio Saxonix, cum C. millibus ita humiliaverunt, quod præter occisos Ungarorum dicantur (2) IX. millia submersi.

URBANUS quartus, prius *Iacobus*, Patriarcha Hierosolymitanus, fedit annos IV. menses II. dies IV. Instituit *Festum Corporis Christi* cum indulgentiis. Prædicavit & prædicari fecit passagium. Contulit regnum Siciliæ *Carolo*, quod erat *Manfredi*. Tunc cometes maxima apparuit per tres menses, & secutus est ventus validus & gravis. Confirmavit *Ottonem*, Ducem de Brunswick in Episcopum Hildeshemensem, & idem *Otto* fuit duntaxat XIX. annorum, quando fuit confirmatus.

1265. CLEMENS quartus, natione Provincialis, prius dictus *Gwido*, fedit a. VII. m. IX. d. XXI. Prius fuit uxoratus, & in papatu dedit filix suæ pro dote tantummodo XXX. libras parvorum denariorum, vix tres florenos valentes. Canonizavit *S. Hedwidem*, (a) Ducissam Polonix. Hoc tempore Soldanus Babylonix cepit *Sabat*, castrum Templariorum, in quo occidit MD. clericos & monachos, & alios multos. Invenit ibi arma quatuor millium virorum, cum victualibus multis; de quo castro tandem totam terram sibi subjugavit. *Lodewicus* igitur Rex Franciæ, cum Regibus Angliæ & Siciliæ, vadit in subsidium terræ sanctæ. *Conradinus*, de quo supra, filius *Conradi* IV. Imp. Romæ solenniter coronatus, ingreditur Apuliam; Neapoli seditiosè decollatus à suo homagiali *Karolo*. Nota à tempore *Henrici* primi Saxonum Ducis & Imperatoris, usque ad tempus *Ferrandi* & *Richardi*, computatur REGNUM SAXONUM: quo rexerunt imperium per annos CCCLII. Versus *Theodori Longi* de *Embeke*:

*Hi prætaxati, sic taliter enumerati,  
Tunc populo grati, sunt bis terris ita nati.  
Ipsi per tria C. per quinquaginta duosque  
Annos rexerunt, tunc imperioque fuerunt.*

(1270. Pater Sanctæ *Elisabeth*, Rex Ungariæ, & frater ejus *Bela*, migraverunt ad Christum. *Stephanns* filius Regis, & æque frater *Elisabethæ*, succedit.)

GREGORIUS decimus, Italicus, prius *Thebaldus*, Ordinis Prædicatorum, fedit annos quatuor. Celebravit Concilium *Lugdunense*, ad quod vocati per eum cum solemnibus ambasciatis Græci, comparuerunt pro Imperatore Græcorum, eum L. Metropolitæ, D. Episcopis & eorum subditis, publicè jurantes juxta formam: *Ego Episcopus, &c. Papam Romanum esse caput; & tactis sacris Evangeliiis, obedientiam fecerunt Ecclesiæ Romanæ, sub ista conditione, quod permittantur servare consuetudines Græcorum, quæ non sunt contra Dominicam mandata; aut contra S. Evangelia.* Sicque Græci redierunt ad unitatem Ecclesiæ, qui sub *Gregorio sexto*, & sub Imperatore *Conrado Salico* recesserant. Idem *Gregorius* commisit ibidem in concilio *Lugduni* crucem diligenter prædicari, in subsidium terræ sanctæ. Ibidem statutum de electione Papæ: *Si intra tres dies Cardinales non eligunt, aliis quinque diebus sequentibus tantum unum ferculum detur eis; & post illos quinque dies tantum panis & aqua, donec concordent; & non observantes hanc formam Cardinales, sunt ipso facto excommunicati; & civitas, in qua sunt, inderdicto supposita & Episcopali dignitate privata.* Reprobavit ibidem multitudinem ordinum, & confirmavit *Rodolphum* sequentem in Regem; & postea vixit anno dimidio. Veneno intoxicatus, multis claruit miraculis.

RODOLFUS Comes de *Havkesborg*, Lantgravius superioris Alsatix, bonus & pius, imperat annis (c) XVI. Ipse diu bellavit contra *Odoacrum* Bohemorum Regem, propter terras *Karintia*, *Stiria* & *Carniola*, quas Cæsar dixit esse Imperii; Rex Bohemix vero dixit, ad se devolutas. Tandem simul (d) arbitrantibus, inter Principes conclusum est, Bohemum nihil juris in eis habere, sed omnes esse Imperii. Quæ sententia definitiva, nulla appellatione suspensa, transit in rem judicatam. Idem autem Rex Bohemorum, nomine *Odocarus*, dum postea terras easdem invaderet, occisus est ab eodem *Rodolpho*. Idem *Rodolphus*, *Erfordie* curiam solemnissimam tenens crastino S. Lucix, anno Domini MCCLXXVIII. fecit

(2) 24000. (a) Ducissam Slesix, cujus filium *Henricum*, Ducem Slesix, occiderunt Tartari in Slesia. Contr. (c) XVIII. Cruc. (d) arbitantes inter Principes Cruc.



fecit XXIX. raptos, comprehensos in *Ymana*, decollari, de quo terror ejus irruit super omnes malefactores. Imperavit quoque tunc, destrui LXVI. munitiones in diversis locis, quibus se recipiebant latrocinantes. Affuerunt curiæ tali Archiepiscopi; Magdeburgensis, Maguntinensis, Colonienfis & Zalsburgensis. Episcopi: Bambergensis, (e) Herbpolenfis, Constantienfis, Halverstadenfis, Hildesheimensis, Paderburnensis, Verdenfis, Nuenburgensis, Merseburgensis, Misnenfis & Eistetenfis. Abbates; Fuldenfis & Hersveldensis. Principes seculares: Rex Bohemiæ, (f) *Hinricus* Dux Brunsvickensis & fratres ejus *Albertus* & *Wilhelmus*; Dux Saxonie *gener Regis*, Dux Baviaræ, Dux Carinthiæ, Dux Magnipolenfis, Dux Austriæ, Dux Sveviæ, (g) Marchio Brandenburgensis cum fratribus, Marchio Misnenfis cum filiis, Lantgravius Thuringiæ, (h) Comes de *Swerin*, Comes de *Caizenelenboge*, Comes de *Bren*, qui obiit ibidem sine prole: cujus omnia bona Imperator dedit genero suo, Duci Saxonie, & filia sua in dotem, quæ dicebantur valere annuatim duo milia marcarum. Ibidem fuit Comes de *Anehalt*, & Burggravius Norenbergensis. *Rodolphus* iste *Spira* sepultus est. Ejus tempore facta est maxima aquarum inundatio, qua major visa non fuerat à viventibus. *Heidelbergæ* plus quam C. submersi sunt homines, & civitas eodem anno igne succensa est. In *Trajecto* superiori sive *Mastrick* in processione solemnè pons fractus est, & plus quam CCC. homines submersi sunt. Simile contigit *Francfordiæ* in ponte *Magoni*. *Ratisbona* etiam cathedralis Ecclesia totaliter exusta est; *Lubeke* similiter die S. Barnabæ incendio consumpta est. Tunc etiam S. *Thomas de Aquino*, Doctor eximius Ordinis Prædicatorum, obiit.

INNOCENTIUS quintus, prius dictus *Petrus de Tharantasio*, Doctor S. Theologiæ, Ordinis Prædicatorum, sedit menses V. dies XIV. Statuit, ab omnibus personis Spirituallibus, etiam à Papa & Cardinalibus, ad sex annos dari decimam, in subsidium Terræ Sanctæ. Veneno peremptus est; quo defuncto succedit Ianuensis

ADRIANUS quintus, mens. VII. diebus X. & post illum Hispanus quidam, nomine JOHANNES XXI. Sedit mensem unum. Hic cum in quadam domuncula testudinata contra Ordines fratrum Prædicatorum & Minorum librum cæpit dictare, subito Dei nutu domus super ipsum corruens, in tantum eum concussit, ut quinta die moreretur. Cumque ejulans ad Dominum clamaret; *cur caput Ecclesiæ interemisset?* vox de cælo respondit, dicens: *Non caput Ecclesiæ; sed destruentem percussit.* Hic erat Papatum CXCIII. Hoc tempore *Grisei* monachi in capitulo generali Cisterciensi statuerunt, nullum de fratribus Minoribus hospitari, vel prandio reficere vel eleemosyna subvenire. Soldanus Babiloniæ vastavit *Armeniam* in odium Christianitatis. Hoc tempore, coram Rege Franciæ *Philippo* quibusdam discrepantibus, pro prædio cujusdam defuncti, Rex dixit uni testium, ab aliis separato, dic Pater noster. Qui dixit, usque ad finem. Tunc vocato alio teste, dixit: socius tuus narravit nobis ita puram veritatem, sicut est *Pater noster*; & nisi tu similiter feceris, morieris. Quo audito, testis iste, timens, præcedentem testem factum publicasse, narravit (k) totum processum. Similiter & tertius, dicentes, se pecunia conductos ab actore; qui (l) & pecuniam posuerit in manum defuncti, cujus erat prædium, & vinum de quo biberant, in os defuncti fuderit. Quibus auditis, Rex justus, malos male perdidit. Idem Rex diu nutrit inter cæteros pauperes duos cæcos, quorum unus semper Deo, alter Regi gratias egit. Quo comperto, Rex iussit (m) eis dari duo pastilla, in quorum uno marcam auri fecit includi, & Regis laudatori proponi. Cum autem unum alteri præponderaret, Deo procurante, cæci sortem fecerunt de pastillis, & laudator Dei recepit pastillum cum auro. Hæc Cæsarius.

NICOLAUS III. de Domo Urfinorum, & Ordinis Minorum, sedit annos III. dies VII. De hoc scripsit *Joachim* Abbas in sua Prophetia sic: *Genus nequam urfa. Cum videris ursam matrem canum, miserabiliter luge.* Hoc tempore Comes Juliensis, Teutonice *van Iulke*, nimis confidens in divitiis & multitudine exercitus, est occisus cum CCC. militibus *Aquisgrani*, quam diu tribulavit. In cujus tamen occisionis emendam Domus Juliensis dicitur recipere tertiam partem oblationum Ecclesiæ B. Virginis ibidem. *Versus:*

*Dudum passa (n) statum maclavit Aquis Juliacum,  
Dumque Quiris peditem captat, capit ipse Quiritem.*

Hoc

(e) MS. Cruc. hunc ordinem servat: Bambergensis, Herbpol. Hildesh. Halberst. Constantienfis, Paderburnensis, Nuwenburgensis, Metzburgensis, Myssensis, Verdenfis & Eystetenfis. (f) tres Duces Brunsvickenses. Cruc. (g) MSC. Cont. Ducem Baviaræ, Carinthiæ, Magnipolensem, post Ducem Austriæ & Sveviæ collocat. (h) Thuringiæ & Hassiæ. Cruc. (k) totum facti. Cruc. (l) testes eos conduxerat, quasi vidissent, actorem pecuniam pro prædio solvisse, & in testimonium factæ emtionis, qui presentes fuerint, bibisse. (m) iussit fieri duo pastilla ejusdem quantitatæ, sed in uno marcam auri fecit includi, & eam suo laudatori proponi; aliam autem pastillam alteri cæco. Cum autem acceptare deberent, Deo procurante, sortem mutuo fecerunt, & laudator Dei recepit illam cum auro. Cruc. (n) Schakum. MSC. Cruc.



Hoc tempore floret *Bambenga* Poëta modernior, dictus *Hugo*, qui omnes Poëtas (o) in unum redegit, sub pulchra prosa tempus & materiam ipsorum pertractans, cujus hoc est Epitaphium:

*Mille simul cum ducentis annis copulatis,  
Ostoginta simul, presens sit arte registrum.*

*Albertus* frater *Iohannis*, dictus *Leo*, filius *Otonis* de *Luneborg*, de quo supra 1198. *Albertus*, inquam iste, (p) duxit uxorem de *Ferraria* Italiae, quæ genuit sibi tres natos, *Henricum Mirificum* (*den Wunderliken*) *Albertum*, & *Wilhelmum*. T. E.

*Hic nunc Albertus, multum laetamine certus,  
Tunc illibatam, sed de Ferraria natam  
Longobardorum, tamen ornata bene morum,  
Duxit honestate sic pollentem qualitate.  
Hæc sibi tres natos genuit, virtute beator.  
Hic expugnabat Assiborg; arte dolabat.*

*Henricus* iste reliquit quatuor filios & tot filias. *Albertus*, filius *Alberti*, (q) duxit *Rixam* de *Wenden*, quæ genuit sibi quinque filios, *Albertum Halverstadensem*, *Henricum Hildesheimensem* Episcopos, *Iohannem* cruce signatum, *Otonem* & *Magnum*. Idem *Albertus* filius *Alberti*, (r) potenter intravit *Brunsvyk*, immisus per *Cord Moller*, anno Domini 1299.

*MARTINUS* quartus, Gallicus, de *Turonis*, prius dictus *Simon*, sedit annis tribus, mense uno, diebus VI. Ventris debitum exsolvens, decessit. Hoc tempore Episcopus *Magdeburgensis* cepit *Marehionem Misnensem* cum pluribus nobilibus; & tunc obiit *Albertus Leo*, Dux *Brunsvickensis*, cujus hoc est Epitaphium T. E.

*Post M. post duo C. post septuaginta novemque,  
Albert Dux obiit, dum virgo puerpera scandit.  
Hic tres magnatos habuit Duces sibi natos.  
Dux Leo Henricus, Christi devotus amicus,  
Ipse fuit natus ab eo, primus generatus.  
Martius Albertus, juvenis Wilhelmus ephebus.*

Hoc tempore Rex *Tartarorum*, duxit uxorem, filiam Regis *Armeniae*, pulcherrimam & Christianam, quæ peperit foetum media parte hirsutum, in modum ferae silvestris, in alia parte nudum; quasi ex parte silvestri seu pagano, & matre Christiana natum. Quod dum aruspices adscriberent adulterio, & ob hoc regina judicaretur perimenda: ipsa, oratione ad Deum fusa, fecit puerum baptisari. Qui mox de fonte levatus, totus in forma humana nudus (s) exivit; unde regina salvatur, & Rex baptisatur. Qui postea sepulchrum Christi de manu Soldani eripiens, restituit Christianis.

*HONORIUS* quartus, Romanus, sedit annos II. Prius dictus est *Jacobus de Sabello*, Satis fuit tempratus, & magnæ discretionis. (Hoc tempore Monachus quidam *Tripolis*, celebrans coram suo Abbate, vidit manum scribentem in corporali hæc verba: Cedrus alta *Libani* succidetur, *Tripolis* destruetur, *Accaron* capietur. Mars Saturnum superabit, Saturnus insidiabitur Iovi. Vespertilio fugabit Deum apum. Væ tunc Clero & terræ Christianitatis. Ergo vigilate! Non diu igitur post hæc, anno Domini 1289. *Tripolis* capta est: & *Accaron*, civitas famosissima tunc Christianorum, destructa est à Soldano, *Else* nominato, & occisi sunt ibidem Christiani XXXM. utriusque sexus. *Tartari* etiam in *Ungaria* interfecerunt LXXX. millia Christianorum, tempore *Ladislai* filii *Stephani*, Regis *Ungariae*, multis in captivitate abductis. Tandem tamen ibidem *Tartarorum* ad centum millia perierunt, grandine nimia divinitus superveniente.) In *Frisia* diluvio perierunt fere (t) LXXX. hominum millia cum rebus & pecudibus. *Judæi* occiderunt *Wernberum*, qui dictus est *Bonus Wernberus*, inferentes ei omnia, quæ sciverunt, Christum esse passum. Propter quod *Judæorum* mille sunt interfecti, & de bonis illorum tres Ecclesie, ad honorem Dei, eidem *Wernhero* in salutem, constructæ.

Hoc

(o) in unum collegit, tempus est materiam eorum breviter, quasi duobus versibus, comprehendens. Crux Specimina de hoc Hugone vide supra sub *Anastasio IV.* item, sub *Calixto*. (p) In *MSC. C.* alia manu: accepit uxorem de Italia de Ducatu *Varrat* (de Monte Ferrato) bene moderatam & cum multis divitiis. (q) duxit uxorem, nomine *Rixam de Slavon*. Ex hac quinque filii: *Otto* & *Magnus* Laici; *Albertus* Episcopus *Halbestadensis*, *Henricus* *Hildesheimensis*, *Johannes* Dominus *Prutzenorum*. Aliâ manu in *MSC. Contr.* Vide etiam infra sub *Alberto Imperat.* (r) obsedit *Brunsvic*; quem introduxit *Cord. Muller*. Aliâ manu in *MSC. Contr.* (s) apparuit Cr. (t) LXX, *MS. Contr.*



Hoc tempore *Lodovicus* Dux & Comes Palatinus Rheni, Mariam uxorem suam, forem *Henrici* Ducis Brabantiae, suspectam habens de adulterio, fecit decollari, XV. Kal. Februarii. Expugnatum castrum *Camp*.

1287. *NICOLAUS* quartus, prius dictus *Hieronymus*, de Ordine Minorum, sedit annos VI. Iste primò *Confessionalia* invenit. Ipse dedit privilegium (u) monachis Ordinis Prædicatorum, non audens dare Minoribus, ut quilibet clericus de marca sui beneficii daret eis annuatim unum denarium. *Sifridus* autem Archiepiscopus Coloniensis in concilio suo Bunnensi, quod cum suis suffraganeis consuevit omni anno celebrare, literas Papæ rumpi fecit, & sic fratres nihil ibi sunt consecuti. De isto Nicolao Papa *Ioachimus Abbas* scripsit: (x) *Avis & eques, multum velox, promptus & lascivus, ad bella paratus.* Circa *Lübeck* multa millia perierunt in mari. *Guido de Columnis* Doctor claruit. Scripsit inter cætera volumen XXXV. librorum, de *Bello Trojano*, qui & hic sapius allegatur in Chronica. *Petrus* Rex Arragoniæ expulso Carolorum semine de Gandania (Andegavia) regnum Siciliae potenter occupavit; propter quod eum Papa excommunicavit, & contra eum excitavit Regem Franciæ *Philippum*, qui cum multis millibus *Arragoniam* intrans, præ multitudine muscarum illius terræ & inopia alimentorum, mortuus est ibidem cum multis hominibus & equis. Corpus tamen ejus reductum est *Parisiis*, & apud S. Dionysium sepultum. Mortuo igitur *Rodolfo* Imperatore, vacabat imperium per annum; & post electi sunt duo, scilicet *Rainoldus* Comes Gelriæ, strenuus & devotus; qui cum intollereret, Electores magis quærere pecuniam & munera magna, quam mores & vitam, statim resignavit, & sic

1291. **A**DOLFUS, Comes de *Nassawe*, avarus & lubricus, cum ipso assumtus, imperavit annis VII. (y) Hunc *Adolfum* commendat *Henricus Rosla*, dicens:

*Qualis nec Karolus fuit, aut de Regibus ullus,  
Quem nec præcellas Auguste, Julive, Nerove,  
Constantine tibi par per omnia noster Adolfus. &c.*

Sequitur ibidem:

*Felix Nassowe, de tanto pignore gaude.*

Hoc tempore *Marchio Mûnensis* præter alia mala, quæ fecit, Episcopum & clerum *Misnensem* expulit; de Ecclesia Cathedrali horreum fœni faciens. Quem *Adolfus* Cæsar, duobus fere annis *Thuringiam* & *Misniam* pervagando, compulit omnia restituere, & homagium Imperatori exhibere. Tunc orta seditione inter Reges Franciæ & *Edwardum* Angliæ, Imperator plus favens Regi Angliæ, repetivit regnum *Arelatense*, cum aliis terris Imperii, & coronam spiniæ Domini, clenodium Imperii, à Rege Franciæ; quæ nisi redderet, manu forti extorquerentur. Ob hoc multi nobiles, scilicet Comites *Flandriæ*, *Brabantie* & alii, opposuerunt se Regi Franciæ, qui prius eidem adhæserunt. Propter quod idem Rex Franciæ eduxit super eosdem Comites exercitum adeo magnum, quod præter Christianos dicebatur plus quam XXX. millia Judæorum in exercitu habere. *Adolfus* autem Rex Romanorum, præparans se contra eundem Regem Franciæ, impediabatur (z) per Archiepiscopum *Maguntinum*. Iste enim cum Rege *Bohemorum*, quem *Pragæ* coronavit, & *Alberto* Duce *Austriæ*, viam ejus impedit. Tunc Rex Franciæ cepit *Brugas*, cum aliis civitatibus *Flandriæ*. *Albertus* autem Dux *Austriæ*, filius *Rodolphi* præcedentis, cum favore *Ortonis* Ducis *Bavariæ* & auxilio dicti Episcopi *Maguntini*, habens secum *Bohemos* & *Ungaros*, pugnavit contra *Adolfum*; qui & ibi, cadens de equo, occisus est cum paucis hominibus, sed cum MCCCC. dextrariis occisus. Quo *Adolfo* mortuo & apud monasterium *Rosen* sepulto, filioque ejus capto, idem *Albertus* assumtus est in Regem. Hoc tempore *Accon* civitas capitur à Soldano. (a) *Herlingsberg* castrum fortissimum prope *Goslar*, (b) capitur à civitatibus *Saxonie*. Versus:

*Post M. post duo C. post nonaginta monosque,  
Herlingsberg capitur; moritur Rex, Dux sepelitur.*

(De isto castro & ejus Duce, Domino *Henrico*, Duce *Brunsvicensi*, qui cognominatus est *Leo*, fecit pulchrum libellum metricum *Henricus Rosla de Nienborg*, qui libellus sic incipit:

*Gentis Saxonica mens gessit bella referre.*

Inve-

(u) privilegium Ordinibus mendicantibus, ut quilibet clericus - - teneretur - - dare. Cruc. (x) equus multum velox & lascivus, Cruc. (y) VI. Cruc. (z) per Archiepiscopum & Regem *Bohemorum*, quem idem Archiepiscopus *Pragæ* coronavit, & per *Albertum* Ducem *Austriæ*; qui similiter cum aliis pugnantibus contra *Adolfum*, ipsum tandem interfecerunt, Cruc. (a) *Herlingsberg* & *Herlingborg*, C. *Harlingberg*, Cr. (b) impugnatur, & multis præliis ibi commissis, tandem capitur est destruitur. Cr.



Invenitur in Monasterio *Walkenrede* Ordinis Cisterciensis prope Northusam.) Anno Domini 1190. prope *Prigam* cepit solemnibus Abbatia *Zuleregia*, Ordinis Cisterciensium, nunc per Hussitas destructa, anno Domini 1420. Anno 1293. facta fuerunt statuta pro scholaribus & Rectoribus Scholarum *Erffordia* per omnia ibi Capitula; & per iudices S. sedis Moguntinae confirmata: quæ merito starent & servarentur in omni schola.

1293. CÆLESTINUS quintus, Ordinis S. Benedicti, sedit unum annum, menses V. Prius fuit Eremita per XL. annos, in quibus construxit de elemosynis fidelium C. Domos Ordinis sui in optimo statu. Ipse duxit vitam sanctam & asperam. Vinum & ficeram non gustavit sed tantum aquam, panem tantum cum fabis & radicibus manducans. Nudus jacuit in terra; nunquam ascendit equum, sed in papatu ad extremum demum asinavit. Octogenarius electus est in Papam. (c) Hic habuit quendam Secretarium, nomine *Benedictum*, qui quasi angelus de celo per canalem dixit Papæ quiescenti: *Cælestine resigna*. Fecit ergo Papa decretalem, quod posset Papa libere resignare, si vellet. Quo facto resignavit, reversus ad cellam suam, & assumptus est prædictus Secretarius, qui & Cardinalis fuit, nomine *Benedictus*, & in Papatu vocatus est

BONIFACIUS IIX. Gallicus & Campanus, durus & crudelis. Ipse non solum Papa, sed & Imperator esse voluit, faciens sibi imponi coronam imperii. Ipse (d) fecit præcedentem Cælestinum, postquam papatu resignavit, incarcerari usque ad mortem: qui etiam post mortem miraculis claruit, ut in quodam *Dialogo*, de ipso facto, lucidè declaratur. De Bonifacio isto scripsit Joachim: *Vacca, quintum locum habens ex filiis ursæ, intrabit ut vulpes, rogabit ut leo, morietur ut canis*. Ipse fecit miracula, quæ finaliter defecerunt. De quo dicitur: *Aurum nimis sitiens, aurum perdidit & thesaurum*; ut ejus exemplo discant superiores prælati, non superbe clero dominari. Deo eo quidam fecit hoc versus:

*Nomina bina bona tibi sunt, præclarus amicus,  
Papa Bonifacius modo, sed quondam Benedictus.  
Ex re nomen habe; bene fac, bene dic, Benedicte:  
Aut te perverte; male fac, maledic, maledicte.*

Ipse (e) nepotem *Karoli*, Regis Siciliae, deputavit Regem Ungariae; contra quem *Wenzlaus* filius *Ottocari* Regis Bohemorum, inunctus ab Archiepiscopo Moguntino, similiter coronatus est in Regem Ungariae. Ipse constituit primo annum *Jubilæum* (de centesimo in centesimum annum: sed non permanit, & revocatum est in quinquagesimum annum.) Ipse publicavit *Sextum Decretalium*. Ipse deposuit duos Cardinales *de Columna*, quos *Benedictus* Papa sequens absolutos restituit. Ipse canonizavit *Lodovicum*, Regem Francorum, mortuum in passagio Hierosolymitano; & excommunicavit *Philippum* Regem Francorum, eo quod regnum ab eo non recognosceret. Sed Rex combussit (f) literas Papæ. Judæi in multis locis occiduntur, & fuissent per totum mundum deleti, nisi infinita pecunia pro eis intercessisset; quia corpus Dominicum dicebantur (g) iterum crucifixisse.

ALBERTUS Dux Austriae & Stiriae, Marchio de Havesberch & Lantgravius Alsatiae, filius Rodolphi præcedentis, imperavit annos X; quem Papa *Bonifacius* octavus noluit coronare, sic ei scribens: *Occidisti & possidisti*. Addens, oportet Imperatorem Argum esse. Erat enim monocus, & occiderat Dominum suum *Adolphum* Imperatorem. Sed datis muneribus, approbavit & coronavit eundem. Ipse *Albertus* optimam fecit pacem in Almania. Curiam celebrans *Nürnberg*, edixit ibidem leges novas & bonas: fecitque primogenitum suum Ducem Austriae, cui cedit filiam *Philippi* Francorum Regis in uxorem. *Albertus* Dux *Luneburgensis*, filius *Alberti*, de quo supra 1281. cepit *Brunswick*. Versus T. E.

*Ipse fuit mundus AL. Dux, à sorte secundus,  
Brunswick intravit immissus, quod superavit,  
Multiis armatis populis secum cumulatis.  
Post M. post duo C. post nonaginta novemque.  
De Wenden Rixa fuerat conjux sibi fixa;  
Quinque Duces gnaros parit hæc de germine claros.*

Judæi

(c) De hoc Papa dixit Virgo Maria, Mater Dei, ad S. Brigittam: Cælestinus discessit de sede superbia, & reversus est ad solitariam vitam, ut habetur libro tertio revelat. Brigittæ c. 21. Cubicularius enim Papæ dixit per canalem quiescenti in strato suo, tanquam esset Angelus de celo. &c. Cruc. — (d) Ipse dicitur dictum Cælestinum in carceribus crucidasse. Cr. — (e) in MSC. Cruc. hæc ita leguntur: ipse coronavit *Karolum*, nepotem Regis Siciliae, in Regem Bohemiae; contra quem *Wenzlaus*, filius *Ottocari* Regis Bohemiae, coronatus est ab Archiepiscopo Moguntino: qui etiam regnavit. (f) bullas. Cr. — (g) in eorum synagoga martyrisasse.



Judæi perimuntur per totam Franconiam eo, quod dicebantur corpus Christi in mortario contudisse. Occiduntur Magistri Gildonum (h) Brunswick undecim à Consulibus: duodecimus autem in peregrinationem exiens, evasit. Versus:

*Milleno ducenteno nono nonageno,  
Remigii sunt suspensi bis quinque magistri.*

(Decem enim suspensi, undecimus decollatus fuit, & duodecimus evasit.) Tunc etiam navale bellum factum est inter *Francones* & *Venetos*, Venetorum victis XXX. millibus, & multis submersis. Coruscatio maxima facta est die S. Silvestri, & opidum *Wimaria* exustum est. ORDO *Speclantium* cœpit. *Andreas* Rex *Ungariæ* obiit sine prole. Cum Rex *Francorum* captivasset *Comitem Flandriæ*, totamq; *Flandriam* subjugasset; illi rebellantes, prope *Brugas* victoriam habuerunt, & submersi sunt de *Francis* ultra XX. millia; inter quos erant X. Principes, & fere D. famosi milites. Post hoc *Flandrenses* sæpius victores fuere. *Albertus* Rex, impugnans *Wentzlaum* Regem *Bohemie*, pervenit usque ad montem (i) *Kutznitz*, trahens ibi moram ad VI. septimanas, nullum castrum nec civitatem oppugnans; sed continue conflictum expectans, noluit suos periculo exponere, sine publico conflictu. Rex autem *Bohemie* non audebat exire, licet haberet secum stipendiarios (k) ad X. millia equestrium, & plus quam centum millia pedestrium. Insuper habuit secum Regem *Ungarorum*, (l) qui præter Christianos adduxit sibi XX. millia paganorum. Qui tandem ibidem miserabilem stragem fecerunt Christianorum, ipsos inhumaniter comedentes: quorum tamen per Christianos ultra X. millia sunt occisi. Rex tunc *Bohemie* de fecibus argenti infecit aquas, de quibus vixerat exercitus Regis *Romanorum*. Unde homines non pauci & equi perierunt; sicque Rex *Romanorum* reversus est in *Austriam*. Et quia Rex *Bohemie* non satisfecit suis stipendiariis, ipsi recedentes, regnum spoliaverunt. Versus:

*Post annos Domini sine binis mille trecentos  
Albertus Dux Australis prostravit Adolphum  
Regem Romanorum: regno successit eidem.*

Item: *In Julio mense Rex Adolphus cadit ense,  
Per manus Australis, Processi, Martiniani.*

Item nota versus de Rodolfo præcedente:

*Transferant anni post decem mille trecenti,  
Sex minus atque tribus, Julii sub mense, Rodolfus  
Hic obiit; annis cum rexerat octo decemque,  
Regnum post ipsum caruit rectore per annum.  
Cui subit Adolphus, senos regnando per annos.*

(m) *Hunc binis annis dentis de mille trecentis,  
Alberti Ducis Australis perimit virus illum.  
Hic dentis annis regnans, mucrone Johannis  
Occubuit patrii, Maji moriendo Kalendis.*

*Albertus* enim Imperator, à *Johanne* filio fratris sui ad prandium invitatus, nequiter occisus est in balneo, cum LXXX. suis, (n). Quem uxor ejus *Spiræ* solemni ter sepelivit, & ærarium aperiens, armatis conductis, omnes illius occisores captos suspendit, & virum hostiliter vindicavit. Anno 1303. inceptum est *Lilium Medicinæ*, & liber dictus. *de Remer.*

**BENEDICTUS XI.** *Italicus* de *Tervisio*, filius piscatoris (o), magister *Theologiæ*, *Ordinis Prædicatorum*, sedit (p) annum tantum. Ipse absolvit Regem *Franciæ*, quem *Bonifacius* excommunicavit, & restituit *Columnenses* ad *Cardinalatum*. De hoc scripsit *Ioachim*: *Alia urfa pascens catulos.* Ipse denunciavit sub bulla, sanctorum animas, etiam puerorum baptizatorum, clarè videre *Deum* in celo: & dicere contrarium, esse hæreticum. Hoc anno *Robertus Scholasticus* (q) *Sozaciensis*, à fide *Christiana* declinans, *Judæus* efficitur, & in *Franckfort* apprehensus, uritur. Hoc etiam tempore *Henricus Comes de Honstein*, & *Comes de Bichelingen* cum multis aliis, *Abbas de Fulda* terram invadentes, capti sunt aut occisi. *Abbas* etiam *Hermannus de Walchenrede* occisus est in itinere *Concilii generalis Ordinis Cisterciensis*.

**CLEMENS** quintus *Gallicus*, prius *Bertramus*, *Archiepiscopus Burdegalensis*; sedit annos

(h) Monopoliorum Cr. (i) Kutnis C. Cr. (k) decem mille stipendiarios equestres, præter alios Cr.

(l) cum XX. millibus armatorum Cr. (m) MSC. Cruc. sic

Anno milleno trecenteno sine bino  
Mars creat Australem Regem, qui stravit Adolphum.

(n) viris Cr.

(o) Piscatoris Cr.

(p) pagum ultra annum Cr.

(q) Zusaciensis Cr.



annos IX. Celebravit concilium *Vigennense*, ubi constituit *Clementinas*; sed morte prævencus, eas non fecit publicari: sed *Iohannes* successor ejus eas publicavit. Iste *Clemens* in suo Papatu nunquam vidit Romam, sed stetit *Avinione*. Ipse (r) condemnavit & penitus dele- vit, & per totum mundum extirpavit, potentissimum Ordinem *TEMPLARIORUM*, opponens ei (s) XL. articulos, in quibus agerent contra fidem Christianam. In hoc consensit ei Rex *Franciæ*; qui multos ex eis, & Magistrum Ordinis, fecit tormentari. Dicitur autem com- muniter, quod Magister Ordinis dixit in agone, se & ordinem suum omnium obsecrorum criminum innocentes; appellans ad summum judicem, ad quem specialiter Papam & Regem *Franciæ*, super hoc sibi responsuros, peremptoriè (t) citavit: qui quasi eodem anno mortui sunt. Idem *Clemens* pos- itus in extremis, valde deploravit, se reum esse (u) mortis *Henrici* Imperatoris, hic sequen- tis, & destructionis Ordinis *Templariorum*. De eo scripsit *Joachim Abbas*: *Vulpinam figu- ravi amicitiam, sicut multum senex.* (*Clemens* iste quintus dicitur dedisse remissionem negli- gentiarum in horis canonicis, istam orationem devotè legentibus in fine horarum: Sanctæ & individue Trinitati; Jesu Christi crucifixæ humanitati; Beatæ Virgini & matri; sit sem- piterna gloria ab omni creatura, per infinita seculorum secula. Amen.) *Crücebröder* iterum cernuntur. *Judæi* interfecerunt puerum Christianum, *Conradum* de *Somerden*, filium castren- sis, qui puer miraculis claruit. Propter quod *Judæi* occisi sunt per *Thuringiam* & civitates proximas; *Erfordiâ*, in qua pecunia tunc salvati sunt, exceptâ. Sequenti tamen anno, & ibidem per communitatem sunt occisi. Iidem cives *Erfordenses* destruxerunt quatuor ca- stra fortissima, quorum tria fuerunt *Borggravi* in *Lerchberg*. Nota anno 1309. mortuo Im- peratore *Alberto*, *Marchio Thuringiæ Fredericus*, *Misenam* & terram orientalem invadens, multas civitates imperiales, nullam tunc defensionem habentes, acquisivit, quas & hodie de- tinent *Domini Misnenses*; inter quas erant *Aldenborch*, *Kemnitz*, *Swickau*, *Lipcz*, *Grimmen*, & cætera, cum castris aliquibus. Tunc & *Yfinacenses* coacti, tradiderunt se *Marchioni*, qui fuerant imperiales. Inde idem *Fridericus* totam turbavit *Thuringiam*. Sed *Henricus* Impe- rator sequens, juvenem *Erfordensium* & civitatum Imperialium, compescuit eundem. In concilio *Constantiensi* dixit *Doctor* quidam in sessione & prædicatione publica: à tempore, quo Imperatores *Romani* seu *Germani* Principes cessarunt succurrere terræ sanctæ, non est facta salus in illa.

1308. HENRICUS OCTAVUS, Comes de *Lutzellenborg*, imperavit annis (x) VI. Hujus filius *Johannes*, factus postmodum Rex *Bohemix*, fuit pater *Karoli quarti*. Idem *Johannes* cum patre suo *Hinrico* ivit in passagium *Hierosolymitanum*; ubi *Hinricus* veneno necatus, obiit in *Pisis*. Versus:

*Milleno tricenteno Henricus in anno  
Octavo Domini, sine stirpe primordia regni,  
Factus Rex; binis regnans cum præfuit annis,  
Subdit Lumbardos sibimet, filioque Bobemos.*

Item: *Anno milleno, tria C. des, & tria deno,  
Tunc obit Henricus Cesar, pietatis amicus.*

Cometæ duæ fuerunt, & successivè, & magna secuta est immediatè fames, quæ duravit septem annis. Versus:

*Ut lateat nullum tempus famis, ecce, CUCULLUM, id est, 1315.*

Item: *Eine Moysse, drey Creyen, drey (y) umcken, wisset den Hunger.*

Tunc *maldrum Erfordiensis mensura* solvit quatuor marcas examinati argenti, id est, XXIV. florenos, quod alias communiter solvit quatuor vel quinque florenos. *S. Angela de Fulgineo* obit. Ordo *PAULINORUM* cæpit, & *Templariorum* destruitur à *Clemente* Papa præcedente. De hoc Ordine scripsit *B. Bernardus* taliter: *Ad confusionem militum, non plane Deo, sed diabolo militantium; dicamus breviter vitam & mores Equitum Christi. Vivunt in communi sub unius obedientia, absque uxori- bus & liberis, & absque omni proprio; nullo tempore otiosi, aut curiosè sedent vel vagantur, sed sem- per, dum non procedunt ad bellum, ne gratis panem comedant, armorum seu vestimentorum vel scissa re- sarciant, vel vetusta reficiunt, vel inordinata componunt; vel faciunt, quæcunque facienda Magistri ipso- rum voluntas & communis indicit necessitas. Persona inter eos minime accipitur. Meliori, non nobi- liori defertur. Verbum insolens, opus inutile, visus immoderatus aut murmur, (z) ibi vel non deprehendi- tur, vel non inemendatum relinquitur. Scacos & alios ludos detestantur, venationem abhorrent, nec ludicra avium rapina delectantur. Mimos, magos, scurrilesque cantilenas atque ludorum spectacula, tan- quam vanitates & insanias falsas, respuunt & abominantur. Nunquam cooperti, rarè loti, magis autem neglecto crine hispidi, pulvere fædi, lorica & caumate sunt fusi. Porro imminente bello, milites, intue*

Ccccccc 3

fide,

(r) in margine Cod. Conr. est: Nota, Papa fecit hoc ad complacentiam Regis *Franciæ*. De hoc ordine vi- de etiam sub *Henrico VIII.* (s) quatuor Cr. (t) citaret Cr. (u) necis Cr. (x) V. Cruc. (y) vinken. (z) nequaquam, ubi deprehenditur, inemendatum relinquitur. C.



*fide, foris ferro non auro, se munitunt, quatenus armati non ornati, hostibus metum incutiant. Equos habere cupiunt fortes & veloces, non phaleratos. Pugnam quippe non pompam, victoriam, non vanam gloriam cogitantes; student magis esse formidationi quam admirationi. At ubi ventum fuerit ad certamen, tanquam si dicerent: Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, &c. in adversarios irruunt, velut oves eos reputantes; quia non de suis viribus presumentes, sed de virtute Dei Sabaoth victoriam sperant; Cui facile esse confidunt, juxta Macchabei sententiam, concludi multos in manus paucorum. Ita miro & singulari quodam modo cernuntur, & agnis mitiores & leonibus fortiores; quibus nec deest monachi mansuetudo, nec militaris fortitudo. Tales enim elegit sibi Deus, & colligit à finibus terre ministros ex fortibus Israel, qui lectulum Salomonis, id est, sepulchrum Domini vigilanter fideliterque custodiant. Spec. Hist. lib. 29. c. ultimo.*

**IOHANNES XXII.** Gallicus, sedit annos IX. Fecit multas constitutiones utiles, quae tamen Corpore Juris non habentur, sed Extravagantes dicuntur: inter quas statuit, Ordinarios illa, quae ratione sui officii sibi incumbunt facienda, propriis debere stipendiis explere. Ipse statuit certum modum taxandi literas Apostolicas, & pro quatuor lineis unum Turonensem; & taxavit lineam CL. literas, seu (a) XXV. dictiones continere. Ipse prohibuit cantum fieri cum discantu in horis canonicis & in missis. Ipse transtulit sedem à Roma in Avinionem. Confirmavit Ordinem de militia Christi, & canonisavit S. Thomam de Aquino. Ipse autem in senio desipuit, praedicans, animas (b) separatas à corpore non videre essentiam divinam ante diem iudicii. Contra quod Thomas Walleis Ordinis Praedicatorum, se exponens periculo propter fidem catholicam, publicè praedicavit; ita, quod Papa propter hoc eum misit in carcerem, à quo tamen liberatus est magno cum honore: & Papa anno XX. Lodowici sequentis, in extremis constitutus, praedictum errorem revocavit. Cosmodr. Ipse autem excommunicavit & deposuit Lodowicum sequentem, ad complacentiam Regis Francia; & contra Lodowicum deposuit Papam, nominans eum haereticum, ponens pro eo Petrum de Corbario Ordinis Minorum, qui se (c) nominavit.

**NICOLAUM** quintum. Unde schisma magnum exortum, de quo magni libri compilati sunt. Iste Nicolaus, quia fuit uxoratus, & uxor eum repetiit, publicè sententiatum est, ad matrimonium rediret: & sic tertio ejus anno Iohannes (d) iterum papavit, & Nicolaus venditus pecunia, traditus est in manus Iohannis Papae; praestito tamen prius juramento, quod nec in corpore, nec in rebus laederetur. Iohannes autem, contra juramentum suum, damnavit Nicolaum ut haereticum. (Graeci scripserunt isti Iohanni vigesimo secundo: Potentiam tuam circa tuos subditos credimus, superbiam tuam tolerare non possumus, avaritiam tuam satiare non intendimus. Diabolus tecum, quia Deus nobiscum). (Anno 1333. totum studium Parisiense conclusit, animas sanctas, à corporibus exutas, clarè videre sanctam Trinitatem, contra Papam Johannem XXII. Tempore hujus floruit Augustinus de Ancona Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui multa utilia scripsit, & praecipuè solennem librum de Ecclesiastica & Apostolica potestate; in cujus principio mentionem facit de hoc Papa, ad quem eundem scribit. Anno 1330. fuit expulsus Clerus à Wratislavia.)

**L**ODOWICUS Dux Bavariae, & FREDERICUS Dux Austriae, simul eliguntur in discordia; sed Lodowicus, victo Frederico, imperavit annis XXXII. Eclipsis solis die SS. Petri & Pauli; & secutae sunt cicadae multae & magnae ac locustae, à Kal. Septembris usque ad festum S. Lucia. Tunc enim nive perierunt. Versus:

*M. tres X. tria C. post octo venere cicadae.*

Anno etiam Lodowici sexto Bernbardus de Lippia fit Episcopus Padebornensis, & praefuit XX. annis, minus duobus mensibus. Ipse condidit castrum Beverungen & Dringenborg, ad quod transtulit reditus castri Driborg. Archiepiscopus etiam Magdeburgensis Burchardus de Scmpelau, fuste percussus à civibus suis, interit anno Domini MCCCXXV. Versus:

*Burchardus gnatus Domino, jacet hic tumulatus,  
De Scmpelau natus, pro jure tuendo necatus.*

(Simon de Lippia, pugnans contra Osnabrugenses, captivavit tot, ut, praeter equos & arma, pro corporibus propinarent Simoni mille florenos Rhenenses. Cosmodr. Circa illud tempus factus est computus Cyclometralis.) Erfordensi in studio antiquo floruit Nicolaus de Lym (anno 1329, ut ipse scribit super Apocalypsin cap. XIII. Hic scripsit literaliter super tota Biblia, & alia multa contra Judaeos. Bartholomaeus Pisanus anno 1338. summam suam perutilem de casibus conscientiae complevit.)

1334. **BENEDICTUS XII.** prius Iacobus, Magister S. Theol. Ordinis Cisterciensium, sedit

(a) in MS. Contr. est XX. (b) Sanctorum Cr. (c) nominari fecit Cr. (d) reconciliatus Imperatori, mansit Papa adhuc annis 15. Nicolaus autem traditus est pecunia venditus, praesentatus est adversario suo, Papae Johanni, qui damnavit eum, ut haereticum, Cruc.



fedit annos IIX. Iste Papa divitibus & habentibus non contulit beneficia; sed (e) magis secundum statum eorum sufficienter retinentibus, alia dimittere compellebat: cepitque juramentum à familiaribus curiæ, quod non reciperent munera vel xenia. Ipse compulit religiosos, existentes in curia, ad sua claustra redire. Ipse promovit literatos & bonos ad magna. Decimas & primos fuctus non extorsit à Prælatibus & clero. Cum requireretur plures creare Cardinales, ait: *Si plures deberent fieri Cardinales, necesse foret, novum mundum fieri, quia pro Cardinalibus jam existentibus vix sufficit mundus præsens.* Ipse edidit *Statuta Canonorum regularium*, anno ejus sexto, & multa alia bona fecit. Tunc Reges Castellæ & Arragonum, ac Rodolphus Palatinus Rheni, cum exercitu multo feliciter pugnantibus, multos paganorum prostraverunt, vexillum Papæ *Benedicto* Romam mittentes. De quo Papa magnam faciens lætitiâ, per urbem decantavit: *Vexilla Regis prodeunt.* Idem Rex Castellæ contra Sarracenos navale bellum conferens, LXXV. galleas submersit. Reges Franciæ & Angliæ, postquam diu litigaverunt, statuunt treugas tribus annis. Hoc tempore *Heiligenstadt* oppidum crematur. Versus:

*Anno milleno tricenteno tria deno  
Et terno Domini, nocteque Remigii,  
Est Civitas sancta totaliter ista (f) perusta,  
Et plures igne quam ducenti pericere.  
Et post hoc annis non plene novem revolutis,  
Tunc aqua Geisla domos fregit, ternos quoque muros.*

Francfordiæ iterum fuit inundatio, & cecidit pons Mariæ Magdalenæ cum capella. Similiter inundatio fuit Erfordiæ & ventus magnus.

1343. CLEMENS VI. Gallicus, Ordinis S. Benedicti, fedit annos X. Statuit *annum Iubileum* de L. in L; in cujus bulla dicitur, quod ante eum fuerunt CCIII. Papæ, à B. Petro incipiendo. Ipse privavit Dominum *Henricum* de *Verneborch* Archiepiscopatu Maguntinensi pro eo, quod adhæsit *Lodewico* Regi, & Archiepiscopatum dedit *Gerlaco* de *Nassau*. Sed *Henricus*, quam diu vixit, obtinuit Episcopatum Papa invito. *Gerlacus* vero spiritualia tantum in partibus *Hassæ* exercuit, favente sibi Landgravio *Hassæ*. Cosmodr. Hic finitur *Chronica Martiniana*. Conflictus magnus Regum Franciæ & Angliæ, ubi cecidit frater Regis Franciæ; Barones & Nobiles quam plurimi, cum aliis innumeris. Episcopatus *Pragenfis* fit Archiepiscopatus, (& Dominus *Ernestus* primus Archiepiscopus.) Tunc cæpit nova Ecclesia *Pragenfis* in castro. *Andreas*, frater Regis Ungariæ, coronandus in Regem *Siciliæ* & *Ierusalem*, interimitur. *Marchio* *Brandenburgensis* *Woldemar*, qui mirabilem & sumtuosissimam curiam in *Roslock* delebravit, fingitur rediisse, quodam molendinario, ei facietenus simili, per quosdam Principes pro eo introducto, ut terram obtinerent. Versus:

*Millenis trecentenis & bis (g) tetra senis,  
Ex Marchia verum pellens phantasticus herum,  
Marchio narmitur fore, sed si sit dubitatur.*

T. E. *Inclutus Otto Dux, dum vixit tuncque Ducum lux,  
Non fuit in mille, Ducum talis velut ille.  
Post M. post tria C. quater deca quatuorque  
Mortuus est iste, placeat nunc & tibi Chrifte.*

(*Johannes de Liniis* scripsit tractatum correctionis Calendarii ad *Clementem* sextum, ut dicit *Cambracensis* tractatu suo de legibus & scèlis. Anno 1345. pestilentia magna fuit in Gallia, & conjunctio magna trium superiorum planetarum in Aquario, 20. die mensis Martii, quæ cum aliis Eclipsibus &c. fuit causa universalis pestilentiæ, ut tunc sententiavit facultas medicorum *Parisiensium* ad rogatum Regis *Philippi*. Sexta tuba cæpit tonare ad immutationem mundi, per pestilentiam, gladium & famem, solutis quatuor Angelis, quibus datum est nocere. Septima vero tuba incipit anno Domini MDC.) (Anno MCCCXX. *Johannes Mandevil* miles ex Anglia pertransivit mare per *Turkiam*, *Armeniam*, *Tartariam*, *Syriam*, *Perfiam*, *Ægyptum*, *Libiam*, *Æthiopiam*, *Amazoniam*, per tres *Indias* in columnis, in aqua: ubi mira vidit, quæ exponit in libro suo.)

GUNTHERUS Comes de *Schwartzborch*, & KAROLUS quartus, primogenitus *Johannis* Regis *Bohemorum*, eliguntur in discordia ad Imperium Romanum. Cum autem *Karolus* vidit, se regnum non posse viribus obtinere, (quia *Teutonici* Principes favebant *Gunthero*;) ordinavit, prout fama vulgaris volavit, à quodam medico *Guntherum* veneno intoxicari, in campis oppidi *Franckenwort*, ubi etiam extinctus. Tunc autem *Karolus* cum exercitu suo se *Maguntia* continuit; & demum *Electores* magis placatis pecunia, regnum obti-

(e) plura beneficia, quam status eorum requirebat, habentibus. (f) cremata Cruc. (g) tria. Cr.



obtinuit. Guntherus autem reductus in patriam, sepultus est in *Arnstete* prope Erfordiam. Quo mortuo,

1348. **K**AROLVS IV. obtinuit Imperium annos XXXV. Ipse fundavit studium Pragen-  
se. *Pragam*, civitatem Cathedralē, valde ampliavit & exaltavit, Ecclesias mul-  
tas & monasteria ibidem construendo; (quibus bonis pro dolor! ingrata, Magistros oc-  
cidit & eiecit, haresinque post mortem Karoli incipiens ab universalibus, ad inconvenien-  
tia dilatavit.) Ipse anno regni sui XI. *Romam* veniens, per Cardinalem hostiensem, nomi-  
ne Innocentii Papæ sexti, coronatus est, solum per noctem in urbe subsistens. Ipse filium  
suum *Wenczlaum* in Regem Romanorum, se vivente, anno imperii sui 33. procuravit coro-  
nari, non sine grandi pecunia, Electoribus assignata: (de quo circa Rhenum pingitur A-  
quila per varias bestias deplumari, vulpe sub nidulo latitante. Cosmodr.) Ipse tempore  
*Urbani V.* ab eodem Urbano vocatus contra Mediolanenses, & (i) *Barrabonem* tyrannum, ve-  
nit in Italiam; cumque Papa congregato exercitu ipsum crederet secum fortiter actuarum,  
& Papa per se veniret in auxilium Karoli: Karolus pecunia placatus, ab Italia discessit: &  
post idem tyrannus contra Ecclesiam fortiter infremuit. Compulit namque dictum *Urba-*  
*num*, sed ante Papatum, literas Papæ, contra se directas, vocare: monachos subferravit,  
& alia multa mala commisit. (Frater ejus *Galeatius* invenit in palatio literam scriptam sic:  
in quacunque die legeris ista scripta, sub triduo tu morieris. Hoc ubi *Galeatius* legit, hor-  
ror & tremor eum sic invasit, ut in triduo mortuus sit.

*Hec ita Presbytero mihi, Canonicoque professo  
Dixit Alexander Prior. Is Galeatius est Dux  
Virtutumque Comes, quem tulit hinc ita mors.*

Ex Poëtria nova.) Ipse Karolus pro libertate Ecclesiastica contra Dominos temporales plu-  
rima statuta edidit. Nam postquam statuta Laicorum contra Ecclesiasticam libertatem  
irritavit, adjecit. *Quicumque Laicus, cujuscunque status aut conditionis existat, &c. sacerdotem vel cle-*  
*ricum secularem vel religiosum, diffidaverit, proscripserit, captivaverit, spoliaverit, occiderit, mutilaverit,*  
*aut in carcere detinuerit; aut hujusmodi maleficia perpetrantes scienter receperit, vel favorem eis pra-*  
*stiterit; eo ipso sit infamis & omni honore privatus, nec ad placita, nec ad concilia nobilium admittatur quo-*  
*vis modo.* (k) Ipse tamen alienavit imperio regnum *Arelatense*, Comitatum *Delphinati*, & qua-  
dam alia domina Imperii terræ *Francigenarum*, quæ *Ottones* cum magno labore acquisie-  
rant imperio; nimis tamen parva pecunia pro illis recepta. *Cosmodr. & T. N.* Hic peti-  
it (l) & recepit reliquias *B. Georgii* martyris; item cor & lanceam, à monasterio, quod nunc  
*Marienrode* dicitur: quæ nunc esse dicuntur adhuc in castro *Tangermunde*. Manum vero ejus-  
dem *B. Martyris* retinuit & habet adhuc idem monasterium. Obiit & sepultus est in (m) ca-  
stro *Pragenfi*, cujus hoc est Epitaphium:

*Karolus Augustus, celo (mm) terraque venustus,  
Clauditur hac archâ, Princeps mundique Monarcha.*

Hoc tempore 1348. terræ motus factus est magnus. Surrexit *Seçta penitentium* seu *Flagellato-*  
*rum*, Teutonicè *Crücebröder* in *Almania*: & anno sequenti, scilicet *MCCCL.* qui fuit *Jubi-*  
*læus*, surrexit magna persecutio *Judæorum*, ut fere ubique cremarentur.

*(Tanquam morte reitunc cruciabantur Hebræi  
Insuper hac addes, fuit & tunc maxima clades,  
Mures frumenta vastabant, & nocuentia  
Per spatium terra prebebant undique guerra.  
Acephalam gentem conspeximus egredientem;  
Cum crucibus dorsum pungebant, verberare morsum.  
Persidia, satis sub pretextu pietatis,  
Omnibus, ut Nero, dederunt, sed maxime Clero.)*

Pestilentia gravissima in *Almania* sevit, cui non dicebatur similis unquam fuisse; & post  
hunc annum raro cessaverunt particulares pestilentie & maxima, quolibet septimo anno,  
usque ad annum *MCCCLXXXII.* in quo iterum magna fuit per orbem, nec adhuc cessave-  
runt. Obiit *Johannes Andrea*, Doctor Juris maximus, *Bononiæ* sepultus VII. die *Julii*. Ver-  
sus:

*Hic jacet Andrea notissimus orbe Iohannes:  
Primo qui sextum Clementis atque Novellas,*

*Hiero-*

(i) Comitum virtutum *Barrabonem* C. (k) prout patet in *Karlina*. Cruc. (l) Hæc superaddita in  
MSto *Lansberg*. (m) Ecclesia. Cruc. (mm) terræque C.



*Hieronymi laudes, speculi quoque jura peregit.  
Rabbi Doctorum, lux, censor, norma que morum,  
Occubuit fato, prædixit pestis in anno.*

Duces Brunsvicensis, *Magnus, Henricus, Ernestus, & Otto*; fratres carnales *Alberti* Ducis Brunsvicensis: quorum *Magnus* perdidit bellum, prope *Gardeleve* victus ab Archiepiscopo Magdeburgensi. *Henricus* autem Episcopus Hildensemensis litigavit septem annis contra civitatem Hildensemensem. *Otto* vero, cognominatus *Bonus Otto*, duxit relictam Waldemari Marchionis Brandenburgensis, & obiit in castro (n) *Baltbusen* in *Göttingen*. *Ernestus* autem erat pater *Ottonis*, qui dictus est de *Leyna*, & avus *Ottonis* adhuc viventis. Dictus *Henricus* Episcopus Hildensemensis, cœpit construere prope *Hildensem* castrum *Marienborch*, & captivatis quibusdam civibus de *Hildensem*, compulit eos castrum complere. Halberstadenfes vicerunt Regensteinenses, ubi cum cæteris interfectus est *Albertus* Comes de *Regensleyn*. (Anno 1350. Iudæi fontes aquarum intoxicaverunt; propter quod vulgare dictum fuit, ex hoc esse & perseverare pestilentiam. 1353. Frater *Franciscus de Archita* ordinis Minorum publice dixit & usque ad mortem tenuit, quod *Johannes* Papa XXII. *Benedictus* XII. *Clemens* VI. & *Innocentius* VI. fuissent & essent Hæretici. Idem Frater combustus est, & post eum plurimi Minores.)

1352. INNOCENTIUS VI. Gallicus, sedit annos X. Fuit Cisterciensis Ordinis. Coronavit *Karolum* per Cardinalem *Hofstiensis*. Tunc Rex Angliæ potenter intravit Franciam usque ad *Parisi*um, captivavitque *Iobannem* Regem Franciæ cum filio suo, & multis aliis; quos duxit in Angliam. *Delfinus* vero, filius ejus major, quia fugit à bello, relinquens patrem; factus suspectus, pulsus est à patria; & Rex *Navarra*, tentus *Parisi*us in vinculis, liberatus à *Francis*, constitutus est Rex Franciæ. Tunc facta est ibidem detestanda societas rusticorum & ignobilium, quasi triginta millium, qui multos nobiles occiderunt, nec prægnantibus pepercerunt: sicque maledictio *Bonifacii* octavi, qui Regem excommunicaverat, videtur effectum consecuta. T. Niem. Ecce, qualia contigerunt hoc anno jubileo! Tunc *Gobelinus Person*, Decanus Ecclesiæ S. Mariæ *Bilvelden*sis, *Paderbornensis* dioceseos, natus est, qui postmodum *Cosmodromion* collegit, (& obiit anno 1414. Versus:

*Quadringentesimo deno bino bis in anno  
Ipse tibi refero, mensis Septembris in imo.)*

URBANUS quintus, Gallicus, Ordinis S. *Benedicti*, Abbas *Massiliensis*, sedit annos IX. Fecit processus contra Comites *Mediolanenses*, *Galeacium* & *Barnabonem*, à quibus ante papatum compulsus erat literas Papæ davorare. Hic Papa dixit: *Me Patrem patrum fecit discordia fratrum*. Sanctus est & canonizatus dicitur. Hoc tempore *Domina Brigitta* de *Swecia* revelationem habuit, quam Papæ *Urbano* quinto tradidit scriptam per manum *Alfontii* Eremitæ confessoris sui, in monte *Flasconis*. In Vigilia Assumptionis B. Virginis *Brigitta* vidit Romæ in visione B. Mariam Virginem sibi dicentem: *Papa vult redire Avinionem contra Dei voluntatem, & derelinquere sedem propriam. Quod si fecerit, statim morietur, rationem de tali recessu Deo redditurus*. *Urbanus* autem parentum affectu, & Cardinalium consilio allectus, hanc visionem vilipendens, ab Italia recessit, & statim mortuus est. (Anno etiam Pontificatus sui primo, quidam religiosus ordinis S. *Francisci* *Petrus de Arragonia* habuit visionem à Christo, quo Papæ diceretur, ut de *Avinione* recederet, & *Romam* se transferret. Quam visionem idem Frater Papæ retulit, addens ex visione: Si etiam rediret ad locum, in quo fuit electus, ipse efficeretur *Iosias*, incipiens & non perficiens, & daturus esset locum schismati proxime venturo, in quo millena millia animarum essent peritura. Ideo Papa *Romam* se transtulit: sed postea rediit, & schisma venit. *Cosmodr.*) Societas in Italia, dicta *Boncampanion*, ultra XXX. millia armatorum; de sola rapina vivens, omnia devastabat, nec amicis parcens; multas civitates & quasi omnes villas ibidem desolando. In libello *Moyfi* (o) contra *Belial* dicitur: *Hoc anno incepit potestas infernalis contra universum mundum, secundum Propheciam Danielis cap. XII. usque ad annos Domini (p) 1459. duratura. Hoc enim tempus est ablati sacrificii Christianitatis. Postea fiet pax Ecclesiæ*. Hæc ibi *Marchio Misnensis* & Archiepiscopus *Maguntinus* cum exercitu magno in terrâ Ducis *Alberti* de *Brunswick*, destruxerunt *Hindenburg*, *Lechtensteyn* & *Sutrode*, tria castra, *Moringen* cum villis; & ante Castrum *Helde* sive *Salis* quasi per mensem residentes, (q) multos perdiderunt. Inter quos erant Comes de *Ghichen*, *Marfchalcus* *Thuringiæ*, & cæteri. Comites de *Honsteyn* ædificaverunt castrum *Suaelsborg*: quod cives de *Noribusen*, eorum tunc adversarii, destruxerunt. Ex hoc cœpit bellum

(n) forte *Ballei-hus*. (o) qui dicitur *Belial*, scribitur: *Cruc*. (p) 1460. *Cruc*. (q) quibusdam eorum captivatis, pacæ facta recesserunt. Ibidem capti, detenti sunt in *Eymbec*. *Cruc*.



lum intestinum in *Northusen*. Consules enim dominantes in vulgo, cum indicibilem pecuniam illis de *Honstein* concessissent, nec rehabere possent; decollati sunt à vulgo XXVIII. potentiores, & sic eorum Oligarchia tunc mutata est in Democratiam, anno Domini M CCCLXXV. Pestilentia magna & incendium Ecclesiarum Maguntia ex coruscatione, & alibi: nix etiam magna civitates & villas destruxit, & secuta est inundatio grandis. Bellum Episcopi Hildenseimensis *Gerhardi* contra Magistrum *Albertum*, Episcopum Halverstadensem (r) de *Rickmersforp*, qui *Logicam* composuit. Ibi capti sunt *Magnus* Dux Brunsvicensis; supra dictus Episcopus Magdeburgensis, & prædictus *Albertus* Episcopus Halverstadenfis, cum M. D. armatis, cum tamen dictus *Gerhardus* Hildensemensis vix haberet (s) D. armatos. Ille *Gerhardus* fundavit Carthusiam prope Hildensem; & dilexit religiosos & literatos, quia fuit & ipse bene doctus. Duces Lunenburgenses obierunt, quorum unus dictus *Magnus*, reliquit quatuor filios, scilicet *Fredericum*, *Henricum*, *Ottonem*, qui factus est Archiepiscopus Bremensis, & *Bernhardum*, quia adhuc vixit anno 1433. *Ernestus* frater illius Ducis Magni similiter obiit. Illius Ducis Magni relictam duxit Dux Saxoniae, alias de Luneborg, cognominatus *cum pellicio*, quia frequenter pellibus ornatus incescit; propria machina necatus (t) prope castrum *Rickelingen*, per *Thidericum* de *Mandelslo*, quem *Henricus*, dicti Magni filius, postmodum suspendit prope claustrum, quod dicitur *Werdere*. (Anno Domini 1367. Dominus *Milittus* publicè prædicavit Romæ coram Papa & tota Curia: Hodie sunt duo anni, quod natus est Antichristus; & hoc reliquit in scripto toti mundo præsentandum. Ipse fuit Prædicator maximus in præsentia studii Pragensis, cujus (u) adhuc sunt plurimi sermones conscripti.) Anno Domini MCCC. LXXIIX. anno secundo Urbani sexti in capella B. Virginis Romæ, in Ecclesia S. Iohannis prope S. Bartholomæum, dum quidam coronam argenteam imaginis capiti superponeret, sanguis effluxit, ut legitur ibidem. Eodem anno fuit inundatio magna in Italia. *Alvelde* capitur, spoliatur sed non destruitur, à Ducibus *Alberto* & *Ottone* Brunsvikcensibus, in nocte Omnium Sanctorum. Versus:

*Vrbem nunc Alvelde vini Duces inire:  
Stirpis erant ambo Brunsvik, Albertus & Otto.*

Item sic: *Ein M. drey Wörste, ein L. two X. Otto Förste,  
Eins myn ek melde, All bilgen wint Alevelde.*

Tunc anno etiam sequenti Thuringi captivantur ante *Hanssteyn*, de quibus redemptis *Otto* Dux, dictus de *Leyna*, filius *Ernesti* Brunsvicensis, habuit pro parte sua 24000. marcas puri argenti, & illi de *Hansstein* receperunt IIX. millia marcarum. Anno Domini MCCCCLXXI. factum est bellum inter Ducem Brabantiae & Ducem Iuliacensem, quod Dux Iuliacensis triumphavit, & obtinuit Ducem Brabantiae in campo, cum nobilibus multis; plurimis tamen occisis. (Versus:

*Post M. post tria C. post septuaginta duoque  
Lucia Festo, hujus pugna memor esto.)*

*Fredericus* Archiepiscopus Coloniensis, *Florentius* Monasteriensis, *Henricus* Paderbornensis, *Melchior* Osenbruggensis Episcopi; *Engelbertus* Comes de Marchia, juraverunt pacem generalem terra *Westfalia*, quam ad eorum instantiam *Karolus* Imperator confirmavit; quod in perpetuum, Ecclesiae cimeteria cum omnibus bonis, peregrini, mercatores, aratores, &c. pacem habeant & securitatem; nec ullus alterum (x) deserat ante tertium diem intimationis. Sed & eorum oppida sigillis appositis idem jurarunt; similiter *Henricus* Comes de *Waldecke*. (Anno 1373. Venerabilis Magister *Henricus* de *Oyta* in curia Romana absolvitur ab Hæreticis conclusionibus, quibus Magister *Adalbertus* Bohemus eum infamaverat.)

GREGORIUS XI. sedit annos VII. Ad istum scripsit Domina *Brigitta* ex revelatione B. Virginis, de voluntate Dei esse, quod iret Romam cum humilitate & paterna caritate, & non cum pompa. Istam revelationem *Brigitta* dixit *Alfontio* Heremita, qui ex ore ejus scripsit, & literam clausam figillavit, & aliam copiam illius in papiro; quam præsentavit *Gerardo* Abbati Turonensi, qui postea factus fuit Cardinalis. Et cum literam sibi præsentaret, copiam coram eo legit, & rupit in frustra, dicens ex nomine *Brigittæ*: Si Papa non veniet Romam tempore sibi assignato, omnes terræ Ecclesie, quæ modo sub unius Papa obedientia, dilacerabuntur. Sed Papa distulit, & terras Ecclesie perdidit: & postea cum pompa Romam se transtulit, sed terras non recuperavit. Et cum Avinionem iterum redire vellet, defunctus est, ad Mariam novam in Urbe sepultus. Cosmodrom. (Sancta *Brigitta* obiit anno Domini 1380. Kalendis Augusti; canonisata anno 1391. Regina Neapolitana, pomposissima & lascivissima in peregrinatione

(r) dictum *Rickenstorp*. Gerh. (s) medietatem. Cr. (t) dum castrum -- impugnaret. Cruc. (u)

qui composuit *Postillas*. Cruc. (x) diffidet.



natione Romæ conversans, ad S. Brigittam dixit: possetne salus esse mihi? Illa paululum orando, respondit: salvaberis, sed contemptu, ignominia, privationisque honoris & rerum, morteque turpissima punieris, quæ deliciis tuis præponderabunt. Quæ successivè taliter contigerunt. Surrexit contra eam quidam servus ejus, qui captis filius ejus, in conspectuque matris occisis, equorum pedibus eam interfecit, cadaver canibus relinquens insepultum, ut legitur de Isabel. Retulit senex quidam, qui vidit Reginam. Cœpit & Carthusia Erfordia.) Consules in Brunsvik captivantur ab *Ottone* prædicto, qui tunc provisor erat juvenum Ducum quatuor prædictorum. Sed tunc ab eisdem seclusus à *Wulferblütte*, duxit secum unum de dictis consulibus captivum in *Herdesen*, nomine *Bok*; qui datis mille marcis reversus est in patriam, aliis sociis suis gratis libertati restituitis. Consules ibidem parum ante fuerunt à vulgo decollati, oligarchia in democratiam variata. *Karolus* Imperator obsedit *Erfordiam*, eo quod *Adolfo* de *Nassau* adhererent contra Marchionem *Misnia*, qui similitigabant pro Archiepiscopatu *Maguntino*. Iste Marchio postea factus Archiepiscopus *Magdeburgensis*, mortuus est in chorea in *Calve*. Miranda & inaudita pestilentia, præcipue circa *Rhenum*. Nam plurimi utriusque sexus, quasi furia bacchantes, per plateas, Ecclesias & domos, more chorifantium saltabant, & demum quasi amentes in terram cadebant. (Pannum rubeum, & calceos rostratos se dixerunt abominari. *Semöchten neyn roth Darick seen, noch snäbelde schoe.*) (Miles *Henricus de Gielde* etiam mortuus est in chorea *Embecæ*; qui reliquit filium, *Henricum* nomine, dñssimum armigerum, qui decessit in magna paupertate. *Gerardus* Episcopus *Hildeshemensis* dedit ei XII. marcas ponderati argenti, & tamen in fame & maxima paupertate obiit, sic, quod etiam circumiit mendicatum.)

URBANUS Sextus, prius dictus *Barenfis* *Neapolitanus*, de platea, quæ dicitur ibidem *Infernus*, Doctör Decretorum, quasi sexagenarius electus in Papam, sedit annos XI. In principio fuit nimis rigidus Papa; propter quod Cardinales, ab eo recedentes, elegerunt *Robertum*, fratrem Comitis de *Gebenna*, Regni *Arrelatensis*, & factum est schisma pessimum, quod duravit fere XL. annis. Versus:

Tunc schismatizas, cum mundo scribitur 1378.

Iste *Robertus* nominavit se *Clementem VII.* qui fuit largæ conscientia; dum esset *Gregorii XI.* legatus in partibus *Lombardiae*, plurima mala commisit, multos innocentes occidendo. Civitatem *Vercellensem*, quam parum ante *Otto*, qui tunc dominabatur *Neapoli*, & *Balthasar*, Duces *Brunsvicensis*, ecclesiae recuperaverant, vendidit cum XL. castris *Galeatio* & *Barnaboni* Comitibus *Mediolanensibus*. *Clemens* iste postquam rexit *Avinionem* XIV. annis (in suo Papatu, decessit; cui *Petrus de Luna*, Doctör Iuris satis ingeniosus, succedit, nominatus in sua obedientia *Benedictus XII.* Diu vixit; quem secutus in sua obedientia *Eugenius V.*) De istis scripsit *Alfontius*, qui fuerat specialis quondam S. Brigittæ: Revelatum (xx) est cuidam, quod *Urbanus* est verus Papa & sponsus Ecclesiae, sed in regimine suo tenebit modum sine modo. De isto (y) etiam *Iohannes de Lignano*, Doctör egregius juris, multa prædixit, quæ postmodum ita evenerunt; & inter cætera sic; Cavendum est *Urbano* in anno Domini *MCCCLXXXI.* & *LXXXV.* Rex tamen *Franciæ* cum universo *Francorum* regno, & fere tota *Hispania*, & regnum *Siciliæ*, adhæserunt (z) *Roberto*. Imperator vero *Karolus*, *Lodovicus* Rex *Ungariæ*, Rex *Angliæ*, & omnia (a) regna septentrionis; regna etiam *Cracoviæ* & *Poloniæ*, nec non provincia *Italiæ* & (b) *Germaniæ*, cum omnibus suis, adhæserunt Domino *Urbano*; qui (c) ad complacentiam *Karoli de pace*, qui se scripsit Regem *Neapolitanum*, fecit submergi sex suos Cardinales, quos creavit, & una die recreavit XXXII, Archiepiscopos & Episcopos nationis *Neapolitanæ*; & postea XXVI. Cardinales. Isti *Urbano* primitus assumpto, regina *Siciliæ* *Iobanna* propinavit XL. millia ducatorum, cum vino, blado, carnibus, & cæteris necessariis sufficienter, sperans, eum sibi semper benevolum & amicum fore, sicuti in paupertate prius videbatur. Ipse autem mutatus in alium virum, eam regno privavit, conferens dicto *Karolo* de *Pace*: quod tamen parum post etiam contulit *Lodovico* Duci *Andegavensi*, accepta pecunia; & tertio, ambobus istis privatis, per seipsum invasit. Unde tunc Papa per dictum *Karolum* diu fuit obsessus in castro *Lucerio*: *Lodovicus* etiam potenter vastavit *Apuliam*, cum LXXX. millibus equitum. *Urbanum* igitur sic obsessum,

(xx) Dixit, sibi revelatum, quod *Urbanus* & c. Cruc. (y) Pro illo etiam scripserunt plures magni viri; singulatim *Iohannes de Lignano*: Item *Magister Henricus de Hassia*, doctör S. Theologiæ. Sic & pro adversa parte plurimi scripserunt. Cr. (z) *Clementi VII.* Cr. (a) Regna *Bohemæ*, *Sueciæ*, *Daciciæ*, *Nortwegiæ*, *Poloniæ*. Cr. (b) tota *Alamannia* Cr. (c) *Urbanus* ille VI, antiquis Cardinalibus ab eo recedentibus, ait: Cardinales habemus in manicis; & creavit uno die 32. nationis *Neapolitanæ*, ad complacentiam *Karoli de Pace*; quorum Cardinalium idem *Urbanus* dicitur sex submerxisse. Iterum post hoc creavit 26. Cardinales, inter quos erant absentes Episcopus *Pragenfis* & Episcopus *Quinquecelesensis*. Cruc.



fessum, nobilis *Otto*, Dux Brunsvickensis, iuvamine Januensium, cum X. galeis liberavit; pro quarum galearum expensis tradidit *Urbanus* Papa Ianuensibus *Cornetum*, quæ est de patrimonio S. Petri, in pignus. Pecunia autem & sumtus illarum galearum per quatuor menses computata est ad LXXX. millia florenorum. Quælibet enim galea indigebat per mensem duobus millibus florenorum. Habebat enim una remiges CLXXX, balitarios L, præter familiam patroni & gubernatoris. *Cosmodr. Otto* iste vendidit in patria sua *Duderstad*, *Gbeveldehusen*, & cætera, quæ ibidem pater suus *Henricus* habuit, Episcopo Moguntino: sed nondum pecunia numerata, ivit in Italiam, factusque Princeps Tarenti, duxit præfatam *Iohannam*, reginam Siciliæ, (viduam uxorem, restituitque ei totum regnum.) Ipse fratrem suum *Balthasar* fecit ibi Comitem Fundorum. Qui semper Papam Urbanum defendentes, loca multa Ecclesiæ recuperabant. Cum (d) quodam tempore *Otto* coram Urbano cyphum levasset inclinatus, nec ipse respiceret, dixit: *Pater noster non Urbanus, sed Turbanus debet appellari.* Ipse quoque *Otto* cum diu regnasset in Apulia, Sicilia & Italia, tandem dolo captus, sub nomine & sigillo dictæ reginæ uxoris suæ vocatus, cum paucis suis nobilioribus captus est à Karolo prædicto; ubi etiam dictus *Balthasar* exoculatus interiit. *Otto* vero diu tentus in vinculis, tandem evadens, circa LXXX. annum ætatis suæ decessit, (in Sicilia sepultus. Tertius ejus frater *Thomas*, factus religiosus & S. Theologiæ Doctor, pretiosas reliquias portavit in Almanniam; de quibus sunt & *spina Corona Domini* & *duæ cruces* pretiosæ in *Walkenrede*. Sorores etiam suas duas maritavit in Italia, ubi tota eorum genealogia sepulta est. Frater autem carnalis patris eorum, dictus *Ernestus* Dominus Eimbeccensis, captus erat ab *Henrico de Hardenberge*; qui & in eodem equo reductus est ad castrum Salis. Unde cœpit bellum inter eos & Moguntinum Archiepiscopum. Ernestus reliquit Ducem *Ericum*, qui & reliquit tres filios, *Albertum*, *Ernestum* & *Fridericum*. Albertus reliquit Ducem *Ericum*, qui & reliquit tres filios, *Henricum*, *Ernestum* & *Albertum*, cum sex filiabus, hodie viventibus, scilicet anno Domini 1433.) *Karolus* vero præfatus dictus de *Pace*, (e) cum regnum *Hungaria* niteretur adipisci, per filiam *Sigismunda* desponsatam, à quodam occisus est in mensa. *Urbanus* vero prædictus instituit annum jubileum de XXXIII. in XXXIII. annum, sed non vidit populum accurrentem, nec collegit ex hoc aurum, quia prius decessit. Annus enim iste debuit esse MCCCXC. Ipse tamen moriens, plures pecunias dimisit in Camera Apostolica, quam invenit assumtus: & quamvis continuas guerras haberet, & ob hoc multiplices expensas, non tamen propter hæc commisit simoniam, nec (f) baratriis consensit: sed antiquis luribus Camera Apostolicæ, quantumcunque modicis, fuit contentus. T. N. Ipse fecit hanc (g) bullam: *Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis, religiosis cujuscunque professionis vel ordinis &c. Etsi animarum affectantes salutem, &c. Nos igitur, qui ex suscepti Apostolatus officio. Et infra: Universitati vestrae per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus parochianos diebus dominicis & festivis non recipiatis de cætero in Ecclesiis seu oratoriis vestris temerè ad divina, nec ipsos sine licentia sui sacerdotis ad penitentiam aliquam admittere. Tum, si quis alieno sacerdoti iusta de causa voluerit confiteri peccata, secundum statuta concilii generalis licentiam prius postulare ac etiam obtinere debet à proprio sacerdote; vel alias sibi primo confiteri & recipere absolutionis beneficium ab eodem. Aliter namque ab ipso absolvi non poterit: Cum duplex in judicandò funiculus, potestatis scilicet & scientiæ requiratur, quorum alterum in alieno constat deficere sacerdote. Et ne parochialibus Ecclesiis devotio debita subtrahatur, antemissarum solemnia, ad quæ audienda parochiani prima diei parte in suis consueverunt & debent Ecclesiis convenire, nequaquam in Ecclesiis vestris supradictis, nec hora ipsa, solemniter eis faciatis sermones, ne propter hos audiendos ad vos populus confluens, parochiales Ecclesias derelinquat. Sed nec ad prædicandum solemniter, ad illas parochias accedatis, nisi à sacerdotibus illarum parochiarum fueritis invitati, vel saltem ab illis humiliter perieritis & obtinueritis vos admitti. Et sequitur. Si in casu licito parochianos in vestris Ecclesiis ad sepulturam recipere contingat, omnem, quam obtentu sepultura hujusmodi fueritis consecuti medietatem, vel tertiam partem, vel quartam; juxta felici recordationis Gregorii Papæ part. 2. d. 2. secundum consuetudinem regionis, & non requisiti; infra VIII. dies à tempore receptionis eorum, Episcopo vel Sacerdoti, de cujus parochia mortuus est assumtus, exhibere curetis. Si quis vero vestrum hujusmodi præcepti transgressor extiterit, vel contra prædicta, vel aliquod prædictorum venire præsumserit, præter inobedientia vitium & excommunicationis sententiam, quam de facto ipsum incurrere volumus, gravi suo periculo subiaceat; & nihilominus à loci diocesano ad præmissa omnia & singula observanda, censurâ ecclesiastica operante, discretius compeccatur, nulla ei contra hæc indulgentiâ vel privilegio Apostolico valituris. Datum Neapoli XI. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno VII.* *Urbanus* iste anno Pontificatus sui XII. Romæ obiit, in Ecclesia S. Petri sepultus.

(d) Quodam tempore cum *Otto* diu stetisset cum potioribus suis amicis, flexis genibus, coram Papa, dixit: noster *Urbanus* est nimis inurbanus. Cr. (e) postea regnum Ungariæ, quod *Urbanus* sibi contulit, invadens, cum vellet filiam Regis Ungarorum, quæ desponsata fuit *Sigismundo* filio Karoli Imperatoris, consilio matris ducere, interfectus est ibidem, & Regina mater ab Ungaris suspensa; filia vero tradita *Sigismundo*. T. de Niem. MS. Cruc. (f) *Barataria* fraus, dolus, qui fit in contractibus vel venditionibus. Du Cange. (g) *Urbanus* ille anno Pontificatus sui septimo, sub gravi pœna prohibuit religiosis, audire confessiones aliorum sine licentia veri Pastoris, & prædicare tempore missarum parochialium, ut ponitur in Bulla. Cruc.



sepultus. Otto (h) Dux Brunsvickensis cepit castrum *Herdegeffen*, quod tunc erat illorum de *Rosforp*. Bohemus quidam nomine *Poto*, Episcopatum impetravit Monasteriensem: sed quia nationis alienæ, & idiomatis ignarus, licet à civibus esset honorifice susceptus, cum ignominia tamen recessit. Cosmodr. *Vrbanus VI.* concessit indulgentias C. dierum, sequentibus corpus Christi infirmum & (i) rursus ad Ecclesiam, sub bulla. Incubus quidam, nominans se Regem *Goldemar*, adhæsit cuidam armigero, dicto (k) *Nevelung* de *Hardenberg* in Comitatu de Marca prope flumen *Rure*. Incubus loquebatur cum hominibus, lusit in instrumento musicali, perceptibiliter lusit ad taxillos, pecunias exposuit, vinum bibit, visibiliter multis tam religiosis quam secularibus responsa dedit, sed crebro religiosos, scelera eorum occulta recitando, confundit. Hospitem suum prædictum sæpius ad inimicorum suorum adventum præmonuit, & contra eos consilia dedit: manus duntaxat palpandas præbuit, & erant manus graciles & molles, ac si quis tangeret aurem vel ranam. *Christianos fidem in verbis, Iudeos in pecunia, & paganos in verbis ponere*, dixit. Hæc omnia à multis audiivi, & post, anno XXVI. ab ipso *Nevelung* plenius intellexi. Quem etiam docuit, ut hoc versu se signaret: *Increatus pater, increatus Filius, increatus Spiritus S.* & postquam triennio secum morabatur, sine cujusquam læsione recessit. *Cosmodr.* 1379. Anno primo Pontificatus Vrbanus VI. commissæ & examinatæ sunt Constitutiones & regulæ *S. Brigittæ*, & anno sequenti, scilicet 1380. confirmatæ, per eundem Vrbanum Sextum.

**WENTZLAUS**, filius Karoli IV, imperat annis XX. In omnibus tepidus, Studium Pragense neglexit, sicut & totum imperium; Doctores & Magistros aliarum nationum quam Bohemorum, expulit. (l) Hæresin Hussitarum fovit; terram Mediolanensem, quæ fuit imperii, vendidit Comiti, quem fecit Ducem, pro CL. millibus florenorum. T. N. Ipse (anno Regni sui 15. captus est à proprio fratre *Sigismundo*, & Marchione Moraviæ patruo, & cæteris potentibus, inque proprio suo castro Pragensi incarceratus, sub turri, quam parum ante, aurum deponens, decalaverat, lignis vestiendo. Hæc autem ideo fecerunt, ut eum compellerent ad proprium honorem exsequendum, & Ecclesiæ Dei succurrendum. Post vero à fratre suo *Johanne* Marchione Brandenburgensi liberatus, mansit, ut erat, in nullo penitus emendatus. Ob hæc ei quidam scripsit: *Tu es verus Nero.* Ipse addidit: *non sum, sed ero.* Ob hæc & ignaviam suam, tandem destitutus est ab Imperio, contraque eum electus ipso vivo RUPERTUS.) Indicibilem pecuniam per tempus suum collegit, & Hussitis nunc dereliquit. Sepultus in aula regia, per Hussitas ibidem cum monasterio, mortuus est combustus. Hoc tempore iterum in Hungaria cœpit pestilentia gravis: quæ descendens per Bohemiam in Almanniam, fere per mundum grassabatur; & Flagellatores similiter currunt. Obierunt & multi nobiles, *Edvardus* Rex Angliæ, *Johannes* Rex Franciæ, *Henricus* Rex Hispaniæ, & multi alii nobiles; quibus inexperti juvenes, deliciis dediti & pessimi successerunt. Hoc tempore *Karolus de Pace* supra dictus, dum filiam Regis Ungariæ ducere conaretur, *Sigismundo* filio Caroli quarti desponsatam, & per eam regnum usurpare, occisus est in mensa reginæ. Sueteni sive Svicensis bello magno occiderunt *Lippoldum* Ducem Austriæ, cum multis nobilibus & populo innumero, in profesto S. Margarethæ. Ipse enim voluit dictis rusticis dominari; sicut & patres sui plures, id attentantes, prostrati sunt ab eisdem. *Tyderick* Comes de *Werningerode*, (cum suis cepit castrum *Blankenborg*. Sed Halberstadiensis compulerunt eum castrum cum civitate resignare, datis tamen sibi tribus millibus marcarum.) Idem autem *Dyderick*, vocatus à quibusdam Principibus, dolo captus, suspensus est prope *Heimborg*. Dominus Mediolanensis *Galeacius*, cui *Wenzeslaus* vendidit Mediolanum, occidit (m) fratrem suum *Barnabonem* in vinculis. *Parisus* lis mota est inter universitatem & ordinem Prædicatorum, super opinione conceptionis B. Virginis; & mandatum est postea per Ecclesiam, de hoc amplius non disputari nec prædicari, ne per Ecclesiam publicè altera partium detraheretur. Similiter conclusum est in monte Pessulano. Anno Domini (mm) MCCCCXXIV. nix magna. Bellum prope *Winzen up der* (n) *Alre*, ubi capti sunt duo Comites de *Hoye*, & Comes de *Brockhusen*; interfectis CL. civibus Lüneburgensibus, & pluribus captis. Duces autem *Fridericus*, *Bernhardus* & *Henricus* victoriam obtinuerunt; ubi & *Busso* Comes de *Regenfein*, optans haustum aquæ pro M. marcis, extinctus est calore sitis, cum multis suffocatis & occisis aut captis. Ibi Duces tres fratres triumphabant, quorum quartus erat Archiepiscopus Bremensis. *Philippus* de *Alenconio*, Legatus Papæ, collegit pecuniam per Alemaniam. Idem anno 1383. obiit *Johannes de Lignano*, Doctor maximus Juris, 16. die Februarii. Versus:

*Frigida mirisæ tenet hic lapis ossa Johannis;  
Ivit in astriferas mens generosa domos.*

D d d d d d 3

Glo.

(h) Otto in Brunsvic, dictus de *Leyna*, expulsis militaribus de *Rosforp*, invasit & obtinuit *Herdegeffen*. Cruc. (i) contra C. G. (k) *Nevelung*. Cr. (l) & quosdam occidit; ex quo surrexit hæresis Hussitarum. Cr. Bohemorum expulit amore, vel submersit. Conr. (m) alii patrem. (mm) forte leg. MCCCCXXIV (n) *Aller* Conr.



*Gloria Lignani cycli, decoratus utroque,  
Legibus & sacro canone dives erat.  
Alter Aristoteles, Hipocras erat, & Ptolomæus,  
Signiferi ætherei noverat astra poli.  
Abstulit hunc nobis inopina syncopa mortis,  
Heu dolor! hic mundi portus & aura jacet.*

Anno 1384. Obiit in Christo in diœcesi Trajectensi magister (o) *Gerhardus Grote*, id est, *Magnus*; & vere magnus in omnibus scientiis & virtutibus; ut de eo scribit magister *Wilhelmus* Cancellarius Parisiensis, Doctor S. Theologiæ præcellens. (Multa scripsit, præcipue contra Fornicariam tractatum gravem & veracem.)

1389. BONIFACIUS Papa IX. sedit annos XV. Simoniacus maximus, collegit indicibilem pecuniam, tam de anno jubileo anno Domini 1390. (quem Urbanus instituit de trigésimo tertio in trigésimum tertium;) quam de aliis jubileis, quos vendidit omnibus emere volentibus per orbem; tum etiam de aliis novitatibus, tunc adinventis. Ipse tamen primis septem annis fuit satis competens, non audens publicè simoniam exercere, donec mortui fuerant Cardinales seniores. Tunc enim emisit legatos per mundum, qui prædicabant, qui volebant: absoluebant, quæ non poterant; quorum etiam aliqui in Alemannia rebus spoliabantur & incarcerabantur. Ipse invenit clausulas *Antelocationis* sive *Anteferri*, quos alii subfando vocabant *Inferni*. Apostatas & similes fecit *Capellanos honoris*, verius horro- ris. Gratias, quas vendidit, revocavit, & plus dantibus concessit. Fecit *Episcopos titulares*, quotquot pecuniam producebant. Sororem suam dedit cuidam uxorem, quem statim fecit Ducem *Adria*, dans in dotem XVII. millia florenorum. Sed parum post idem Dux uxorem istam interfecit, ab aliis contra interfectus. Ipse coronavit *Ladislauum*, puerum XVII. annorum, in Regem Ungariæ, contra *Sigismundum*. Sed tamen regnum non obtinuit. Ipse fecit metropolim *Rigensem*, Ordinis tunc S. Augustini Canonicorum regularium, (p) in- posterum subesse Hospitalariis ordinis Fratrum Teutonicorum, datis sibi XV. millibus florenorum. Ipse habuit matrem, avarissimam feminarum, quæ devoravit Hospitale S. Spiritus pauperum Romæ, cum pluribus Abbatibus. Ipse etiam Bonifacius penitus fuit illiteratus, & tamen Romanis non solum ut Papa, sed tanquam rigidus Imperator dominabatur. Nec fuit ante eum quisquam Romanorum Pontificum, qui talem potestatem temporalem exercuisse legatur. Non erat tunc dubium de signatura obtinenda, aut literarum expeditione facienda, si impetrans non defecit in pecunia producenda. Ipse Papa anno suo XIV. omnes gratias expectatitias revocavit; novos modos inducens. Revocavit etiam indulgentias ad instar à pœna & culpa, & cætera, quæ prius concessit. Cosmodr. Pragæ comburebantur Iudæi ad tria millia die Paschæ, quia blasphemabant sacramentum Eucharistiæ in bona feria quinta & sabbatho sancto præcedentibus. Versus:

*M. simul & tria CL. L. X. I. removete,  
Pascha luce reus Pragæ perit igne Iudæus.*

De quorum strage prædictus *Wenselaus* Rex recepit V. tunnas plenas argento, ut famabatur. Anno CCCXCIII. primus fuit annus jubileus de XXXIII. in trigésimum tertium. *Brigitta* vidua de Suecia, multa propter Deum passa, post mortem canonisatur: cujus reliquiæ de Roma ductæ sunt in Sueciam. *Johannes* Rex Castellæ, cadens de equo, fregit collum. *Karolus* Rex Franciæ, ducens exercitum contra *Johannem* Regem Britanniæ, mente alienatur usque ad diem mortis, quod multis medicorum imputabatur immeritò. Tonitrua cum coruscationibus magnis, die SS. Fabiani & Sebastiani. Bellum prope *Goslar*. Dum enim *Fridericus* tunc juvenis, Dux *Brunswick*, & Dux Saxonie, cujus dixit filiam in uxorem, villas quasdam comburebant territorii *Lewenborg*: supervenerunt *Hildensemenses* contra prædictos, & commisso bello, *Conradus* de *Steynberch* miles interfectus, *Johannes* de *Schwichelde* captus cum cæteris; Ducibus victoriam obtinentibus. Hoc tempore cæpit papare in sua obedientia *Petrus de Luna*, Doctor Juris ingeniosus, in concilio postmodum Constantiensi degradatus. *Otto* Dux *Brunswyck*, de *Leyna* reconstruxit castrum *Gronæ*, sed perdidit XII. armatos & (q) *Balrehus* in *Göttingen*. *Wigenna* obierunt duo sacre Theologiæ Professores *Islem- nissimi*, Magister *Henricus* de (r) *Euta*, & *Henricus* de *Hassia*, cujus hoc est Epitaphium:

*Mortales cuncti, moveat vos tumba sepulci  
Hassonia eximii, vermibus expositi.*

Multa dictaverunt & scripserunt, præcipue (s) contra schisma, de quibus sunt ista:

Quam

(o) Autor Reformationis VVindeshemensis. (p) amplius esse hospitalem Fratrum Teutonicorum. Cont.  
(q) Balrehus destruxerat Göttingenses. Csuc. (r) Oytha.



Quando finis erit, ignoro, schismatis hujus,  
 CLEMENS Urbanus 9<sup>Vo</sup> 11<sup>XI</sup> 14<sup>ta</sup> re<sup>CV</sup>fat.  
 Tempus, (1) quo cepit, numeri dant grammata versus  
 Qui prait, addendo centum, sine sex minus uno.

Schisma namque cepit anno Domini MCCCLXXIII. *Witoldus* Dux Lituaniae, fidem Christi suscepit, & baptizatus, *Alexander* vocatus est, & multas Ecclesias in (u) *Lituania* fundavit, anno Domini 1395. Factum est etiam grave bellum anno 1396. VI. Kal. Octobris, inter Regem Ungariae & Regem Turcorum, apud urbem *Schiltouwe*, quae apud Graecos *Nicopolis*, id est, civitas victoriae vocantur, & est in partibus *Bulgariae*, quam condidit quondam *Trajanus* Imperator, victis ibi *Sarmatis*. Convenerunt itaque ibidem *Sigismundus* Rex Ungariae, cum multis Principibus Christianis: & ex alia parte *Morach Backen* (x) Rex Turcorum, & *Raysach Backin* filius ejus, cum suis; qui non viribus, sed fallaciis vincere satagebant. Nam palos acutos ligneos per campum inter rubos, quasi per tria millia, in terram fixerunt; & ubi non plene rubis occultabantur, ramos arborum praecisos eis praefixerunt. Cumque Princeps *Walachiae*, qui vicinus Turcis habitavit, & mores ipsorum in bellis, praecedentibus annis contra se gestis, notaverat, primo bellum attentare petiisset. *Francigenae* consentire recusabant. Isti ergo praedicti *Francigenae* Turcos aggrediuntur, & prima Turcorum acie prostrata, alia pars Turcorum fugam simulat, & per certa loca inter palos transiit; quos Christiani quasi fugientes, stimulis equis calcaribus, prosequuntur; & dum se credunt rubos tantum sentire, in palos incidunt, nec est facultas procedendi nec retrocedendi. Hinc Turci, Christianis sic defixis, in maxima copia erumpunt ab insidiis, & Christianos caede miserabili prosternunt. Rex autem *Sigismundus*, suorum clade cognita, fugam navigii se cum paucis salvavit. Captus est ibidem filius Ducis *Burgundiae*, qui se cum paucis pecunia redemit. Teutonici igitur hoc bello, fortiter ad tempus se defendentes, tandem simul occisi sunt, ultra centum millia computati. Tunc Turcorum Ammiratus, nomine (y) *Barsetus*, Ungariam potenter devastans, multa millia in servitutem perpetuam abduxit. Similiter *Witold* seu *Alexander* praedictus, anno tertio sequente contra Regem Tartarorum magnum ducens exercitum, fugatus est, multis Christianis occisis & captis. *Rupertus* primogenitus *Wilhelmi*, Ducis de Monte, juvenis ingeniosus, discretus & justus, Ecclesiae *Pandefontanae* Praelatus, raptos terruit undiquaque; *Fridericum* de *Pathberg* captivavit cum LXXIII. armatis, *Bengekere* tunc nominatis. Quo mortuo, planctus inauditus factus est; cujus hoc est epitaphium:

Plangite *Rupertum*, varia virtute refertum,  
 Montis magnificum, *Bavariae*que Ducum  
 Germen amorosum detestans omne dolosum,  
 Gloria *Westphaliae* qui fuit Ecclesia,  
 Hujus Electus; nunc terra tegmine lectus.  
 Ante triumphator, sedis atque sator;  
 Quo pax juvatur, quo patria tota beatur  
 Ista, refota suis viribus assiduis.  
 Virtutum cultor, vitiorum strenuus ultor  
 Hic iudex equus, militumque decus,  
 Sensibus antiquis senior, metuendus iniquis,  
 Cum vinci juvenis Marte nequiverat is.  
 Linqvens magnatis speculum se strenuitatis,  
 Parvarum saevas pertulit insidias  
 Ante (z) die *Julias* terno surgente *Calendar*,  
 M. sine sex anni cum C. quater Domini.  
 Ergo steamus eum, veluti nostrum *Machabeum*,  
 Oremusque Deum, quod sibi solvat eum  
 Ad regnum vitae caelestis, quando: venite,  
 Qui stans a dextris; dulce sonabit eis.

Huic successit *Iohannes de Hoya* V. annis, & postea Ecclesiae *Hildensemensis* praelatus per *Bonifacium* nonum. In ejus locum *Wilhelmus*, filius *Wilhelmi* Ducis de Monte, frater quondam *Rupertii* praemissi, juvenis XIII. annorum, electus est a Capitulo *Pandefontano*. Sed Dominus *Bertrandus*, natione *Lumbardus* civitatis *Ferrarum*, Doctor *Decretorum*, & Auditor *Palatii* Apo-  
 Apo-  
 Apo-

(1) grammata sive literae versus, qui praecedunt, dant numerum temporis, quo cepit Schisma. Efficiunt scilicet literae numericae versus praecedentis 1283. Cui numero si addas centum minus quinque, id est, 95, evadit 1378, annus cepti schismatis. (u) Lituonia C. (x) Beg est Princeps, Dominus. (y) Bajazet. (z) die tertio, surgente ante *Kalendas Julias*, id est, tertio Kal. Jul.



Apostolici, à Papa presentatus, receptus est in Episcopum anno Domini 1399, & anno 1401, propinatis sibi à Capitulo duobus equis & viginti florenis, cum non modica confusione regreissus est ad Lombardos, & *Wilhelmus* à Papa (cum dispensatione ætatis. Idem *Wilhelmus* eodem anno captus ab *Henrico de Ore*, & anno Domini 1407. liberatus, bello casuali vicit Comites de *Speigelberge* & opidanos de *Hamelen* (die S. Cæcilie, ubi ceciderunt 16, & multi capti. De victoribus nemo cecidit, sed quidam fuerunt graviter vulnerati. Anno Domini 1408. obiit *Wilhelmus* Dux de Monte, pater illius *Wilhelmi* electi; ) cujus hoc est Epitaphium:

*Turbida me cogis, o mors, insignis Herois*  
*Heu minus egregio facta referre stilo.*  
*Versibus alternis claudis gradior, quia spernis*  
*Gaudia. Cur ajo tristior hæc elego?*  
*Mors Ducis illustris Wilhelmi turbida; lustris*  
*Fluxis virginis bis D. puerperii,*  
*Hic, anni Iulias septeno stante Calendas,*  
*Bis C. bis, octavi, vi fuit acta gravi.*  
*Hic fuit ipse bonus pater, Ecclesieque patronus;*  
*Excolit ornatus hanc per eumque datus.*  
*(Divinum cultum, dilexit, crescere multum.*  
*Fæstis magnificus quod fuit, atque pius,*  
*Monia castrorum, turres testantur eorum,*  
*Et quod collegium condidit egregium;*  
*In Dussel villa muri, turres & in illa,*  
*Ejus temporibus nobilis in Ducibus.*  
*Hunc generosum quod haberet mente decorum,*  
*Nunc mausoleum valde decoret eum.*  
*Terra sed ossa tegit, animam, qui tartara fregit,*  
*Lucis perpetue collocet in requie.*

*Otto de Leyna* die *Lucie* anno Domini 1394. obiit, (a) *Wibbrunshusen* sepultus; ) cujus filius *Otto* castrum cepit *Hindemborch*, raptores ibi XVIII. suspendendo. Bellum (b) *Episcopatus* *Monasterienfis* contra illos, dictos *Vörst* de *Limborch*. *Versus*:

*Millenis quadringentis uno minus anno,*  
*Otto bellavit, Lymborch Vörst (c) suppeditavit.*  
*Sunt captivati quasi centum communerati.*

Item, nix magna & frigus intensum. Item prope *Herbipolim* bellum inter Episcopum & cives delevit DCCC. civium, MCC. captivatis. Francigenæ facti fuerunt neutrales. Quod ad Papas, Prior S. Pauli, cum monachis suis Romæ captus in spolio, suspensus fuit cum illis ibidem. *Franciscus* Urbani VI. nepos, cum matre, filio & filia, & (d) XIII. personis utriusque sexus, periit in mari quasi casualiter & repente; in quo tota posteritas *Urbani* divino iudicio deleta est. T. N. *Ernestus* Episcopus Halverstadtensis veneno necatur. (e) *Esevelt* oppidum proprio igne crematur, ita ut nec fontes in terra, nec fontes sub terra, nec stabulum permaneret in oppido. Anno Domini MCCCCI. *Wenselaus*, suis demeritis exigentibus, depositus est ab Imperio, atque *Rupertus* Dux Bavarie, Comes Palatinus, (f) armis strenuus, consiliis acutus, vir justus & Deo devotus ac literatus, assumptus est. Item 1397. die *Iulianæ* Virginis. de nocte fuerunt tonitrua magna, coruscationes, grandines, pluviz, cum vento validissimo. In eadem nocte venerunt multi nigri equi, cum nigris canibus, ad castrum *Waldeg* in *Hassia*, & Comitem jacentem in agone, receperunt cum lecto, & abierunt, spargentes plumas per duo fere miliaria. Fregerunt & colla duorum ibi vigilum. Eadem nocte comburebantur (g) CC. domus in *Argentina*.

**R**UPERTUS, *Clemens* nominatus, in Regem Romanorum à *Frederico* Colonienfi Archiepiscopo Colonie coronatus, per Papam *Bonifacium* confirmatus. Ipse literatos diligens & promovens ad magna, ordinavit (h) *studium* & fovit *Heydelbergense*, colligens undecunque Doctores & Magistros potiores, Magistrum *Matthæum de Cracovia*, sacre Theologie Professore & Prædicatorem eximium, fecit Episcopum *Wormatiensem*, *Conradum de (i) Zoltow*, similiter sacre Theologie Doctorem, fecit Episcopum *Verdensem*. De hoc *Clemente* sunt metra:

*Ruperto*

(a) *Wibrechtshusen*. In M.S.C. Cruc. est: sepultus est in Claustro *Wibbrunshusen* Montalium. (b) *Otto* Episcopus *Monasterienfis* pugna captivavit dictos &c. Cruc. (c) pedibus quasi subiecit, superavit. (d) XVIII. Cf. (e) *Bzveln* G. (f) Dux *Heydelbergensis* Cruc. (g) 500. Cont. (h) fundavit. Cr. (i) *Zolta*, G.



*Ruperto dignus non est status iste malignus,  
Sub quo viget honor, pullulat omne bonum,  
Virtus, Iustitia, Libertas, Philosophia,  
Pax & vera fides, & salus atque quies.*

Eodem anno, sed prius, in vigilia Pentecostes, *Fredericus Dux Brunsvick*, reversus à concilio Principum, pro electione Imperatoris *Franchenvort* celebrato, occisus est prope *Frislar*, Duce Saxonie, Episcopo *Verdeni* prædicto, cum aliis ad CCCC. captivatis; postmodum tamen relaxatis. Imputabatur hoc *Iohanni de Nassauwe*, Archiepiscopo *Maguntino*. Ex hoc surrexit litigium inter eos, quinque annis continuatum. *Himicus* enim *Dux Brunsvick*, frater *Frederici* carnalis, duxit exercitum ad XIII. millia armatorum, cum quo erat *Rex Sueciae*. Subiugavit sibi *Dominum de Lippia*, qui prius ipsum captivaverat, & in compositione remissi sunt LXXX. mille floreni; solutis prius XX. millibus de C. millibus promissis. Fuerunt & cum eo in exercitu tali *Bernhardus Dux Luneborgensis*, *Otto Archiepiscopus Bremensis*, fratres carnales *Frederici*; *Landgrafius Hassie*, & fere omnes nobiles Saxonie. Sed quia exercitus magnus erat, propter victualium defectum ad partes redierunt. Guerra (k) tamen contra Episcopum *Maguntinum* & *Henricum Comitem de Waldeghe* gravissimæ continuatae sunt. Versus:

*Regula non ficta, nequam Maguncia dicta,  
Germinè Pilati, nunc denuo vivificati;  
Sicut, dum vixit, iterum Christum crucifixit.  
Namque Ducem stravit Fredericum, qui quasi David  
Brunsvick protexit, gentemque suam bene rexit.  
Transtulit ad Christum respublica creditur istum,  
Pro qua perrexit Francfort; heu tunc (l) sibi textit  
Traditio vestem, qua mortis postea testem  
Nequiter inflixit, prope Frizlar vulnera fixit.  
Heu, heu, heu mille, miles validissimus ille  
Sternitur ipse fugâ, qui sepius ardua iuga  
Belli contrivit; spes est quod in æthere vivit.  
Hic jacet in crypta, de quo sunt talia scripta:  
In Pentecostes profesto saxa per hostes  
Ingerit hic mors se, post M. monos & quatuor C.*

Idem alius de eodem:

*Est mortui deditus de Brunsvig Dux Fredericus  
Vigilia festi Pentæque, die Bonifacii.*

Gallici, Franci & Hispani, celebraverunt Romæ annum Iubilæum, in multitudine acutiores innumerabili. Tunc quidam pseudo, fingens se *Helysm* Prophetam, attraxit sibi innumeros flagellatores, cum quibus etiam magni Prælati & Cardinales currebant occultè. Sequenti autem anno Prophetam istum flamma consumpsit, & flagellatores evanuerunt. Cometa grandis per quadragesimam duravit, & tamen bonum tempus subsequutum est, licet bella gravissima inter paganos etiam sint secuta. Nam *Rex Tartarorum Tamerlanus* terram Turcorum dissipavit, & bello commisso triumphavit, & regnum Turcorum subegit; ubi ceciderunt ultra D. millia hominum, & *Barsetus*, Turcorum Admiratus, id est, Imperator, interfectus est. *Tamerlanus* autem cepit & spoliavit *Damascum*, civitatem nobilissimam Syriæ, abducens ultra XX. millia hominum, diversarum artium mechanicos, in civitatem suam capitalem, (m) *Sommerland* nominatam. Inde *Sarracenos* invasit, multas civitates & terras eorum sibi subdens: etiam *Soldanum* vicit, & castrum *Smirna* firmissimum, tunc *Hospitalis S. Johannis* *Ierosolimis*, solo adæquavit. Idem combussit templum *Machmeti*, cum *Sarracenis* illac fugientibus in *Damascum*; licet esset ejusdem sectæ. Dixit enim, se missum à Deo, ut malos *Sarracenos* & falsos *Christianos* devastaret. Inde rediens in *Persiam*, cepit *Susa*, quæ modo vocatur *Baldach*, & alias civitates magnas, numero CXX. cum regnis illarum partium; quæ omnia suæ subjecit ditioni. *Bonifacius* Papa IX, *Wenselao* reprobato, *Rubertum* approbavit. *Wilhelmus* (n) *Dux de Monte* captus est cum IIX. Comitibus & DCCC. armatis, deditque pro se & armigeris suis redimendis nonies centena millia florenorum *Comiti de Marchia* triumphanti. Ultra hoc vulgus pedestre seipsum, sicut poterat, redimebat. Dominus

(k) Mors *Friderici* imputabatur *Henrico* *Comiti de Vvaldeck*, & *Archiepiscopo Moguntino*; unde quidam sic metrificavit: *Cruc.* (l) ita MS. C. sed pro sibi est bene, in MS. G. (m) *Samarcanda.* (n)

de hoc supra jam actum, ubi & Epitaphium ejus occurrit.



minus de *Padua* Veronam de manu Mediolanensis tyranni recuperavit; quam, capto eodem, postmodum *Veneti*, una cum pertinentiis *Padua* & multis civitatibus imperii, obtinent, usque in praesens. *Adolfus* Comes de *Ravelberg*, patrem suum *Wilhelmum*, Ducem de *Monte*, nihil mali suspicantem, captivavit, & in custodia detinuit ad tempus.

INNOCENTIUS VII. Doctor Juris, mitis & bonus, sedit praeter X. dies II. annos: quem *Ladislans*, Rex Siciliae coronatus a Bonifacio, expulit *Roma*, spolians Ecclesias. In exitu tali *Curtisani* multi & alii, siti perierunt. Tunc *Gebelini*, potentia *Ladislai* freti, ceperunt Urbi dominari, inveneruntque in Capitolio, praeter alia bona, tantum salis, quantum XX. millibus florenis comparari vix posset; quod Bonifacius IIX. collegerat. Tunc & *Guelfi Florentini* ceperunt *Pisam* civitatem nobilem, metropolim Tusciae, (o) cameram Imperii: & parum ante *Veneti* ceperunt *Veronam*, *Paduam*, & *Vincientiam*, etiam civitates Imperiales. *Rupertus* Episcopus Paderbornensis, & Dux de *Monte*, captivavit LXXX. armatos de secta *Bengelensium*. Erant enim tunc variae sectae armigerorum, mutuo se & alios impugnantium, Quidam nominaverunt se *Bengelere*, alii (p) *Stormere*, alii (q) *Flotelere*, alii (r) *Sekelere*. Tunc & Episcopus Monasteriensis triumphavit contra *Markenses*. Versus:

In Domini mille, quibus annis, quatuor C.  
Traxerunt enses *Praxedia Dulmanienses*;  
*Markenses* quarum, sed turpiter hi fugierunt,  
Contum fugati sunt rer quini galeati,  
Et sunt armati per inermes sic superati.  
Sex quadragenos captant, armis quasi plenos:  
Succumbunt maeste, certant nostrates honeste.

Anno Pontificatus *Innocentii II.* prima die mensis Junii, fuit Eclipsis lunae, & XXVI. die ejusdem, Eclipsis solis, hora quinta ante meridiem, ita, quod unus homo alium juxta se stantem vix discernere potuit: & secuta sunt pluviae & inundationes aquarum, a medio Aprilis, usque ad medium Septembris. Et anno sequenti, scilicet anno Domini MCCCCVIII, *Leodienses* obsederunt *Trajectum*, & victi sunt *Leodienses*, cecideruntque ex eis ad XXXVI. millia, anno 1408. Dominica ante festum S. Michaelis. Deinde electus frater Ducis *Hollandiae*, cepit *Leodium* & alias civitates sibi rebelles, & iterum occisi sunt ac submersi omnes, utriusque sexus circiter IV. millia.

GREGORIUS XII. prius dictus *Angelus de Conario*, Veneticus, Doctor S. Theologiae, quasi LXXX. annorum, eligitur in Papam. Hic aliquoties per suos Cardinales reprobatus, tandem in concilio Constantiensi liberè resignans, per magnificum Comitem legumque Doctorem *Karolum de Malatesta*, reassumptus est in summum Cardinalem & approbatus; in omnibus, quae tanquam Papa usque ad illam horam dedit, gessit, vel statuit, confirmatus. Ipse dixit Cardinalibus a se recedentibus, illum versum in eis esse completum: (Ibi CeCIderVnt, qVI operantVr InIqVitateM; eXpVLsl sVnt, neC potVerVnt stare. Computo literas numeri significativas praeter D.) & habebis MCCCCVIII. Cardinales autem tunc contra eum assumerunt *Alexandrum*. Tunc eclipsin praedictam secuta est nix magna, & fames tanta, quod maldrum plus quam quadruplum solvit in partibus Saxoniae; nec tamen fames mansit per annum. Tunc & pax generalis terrae statuitur, decem annis duratura, sicut & duravit, pro parte servata. Tunc & studium *Lipzense* cepit, magistris *Pragensibus* Teutonicis a *Praga* recedentibus, propter materiam universalium realium, & errorem *Hussitarum*, (& *Marchione* eos de salario competenti providente. Tunc & Consules *Libickenses* recederunt a sua civitate; & X. annis litigantes contra cives suos, reversi sunt ad eosdem, amabiliter acceptati. Die XVI. Aprilis fuit Eclipsis; quam motus terrae, ventus validus, & nimia frigiditas, & mures innumeri sequebantur, qui etiam germina frugesque vorantes, quasi per annum duraverunt, ventoque & pluvia perierunt. Hoc tempore Cardinales, recedentes a *Gregorio* Papa, elegerunt *Petrum de Candia*, Doctorem S. Theologiae, in Papam, in concilio *Pisano*: qui nominatus est *Alexander* quintus, ordinis Fratrum Minorum, seditque in papatu mensis X. Iste novit nunquam parentes aut aliquem cognatum. Fuit enim inventitius puer, receptus & sustentatus a quodam fratre Ordinis Minorum, qui recepit eum in Ordinem; & factus Doctor Theologiae, nominatus *Petrus de Candia*, tandem promotus est in Episcopum Mediolanensem. Multa scripsit, in papatu nimis gratiofus, gratias fecit exorbitantes innumeras, juxta breve tempus suum. T. N. De hoc sunt versus isti:

Lucifer & Luna, cum deicerentur ab una  
Mitra papali, sub concilio generali;  
Doctus *Alexander*, praeclens valde magister,  
De *Gracia* natus, *Pisis* est Papa creatus,

M. sed

(o) caput. Cr.

(p) Stormere G.

(q) Slobelere C. Slotere G.

(r) Zekelere C. G.



M. sed C. quater, tria post hac si numeres ter,  
In Pauli festo; (s) cuius facti memor esto.

Hoc tempore *Witoldus*, alias *Alexander*, Dux Lituaniæ; & Rex Poloniæ, cum maxima multitudine armatorum intrabant *Prusiam* & triumphabant, habentes, ut dicitur, viciesies C. millia: ibique ceciderunt Prutenorum ultra XII. millia, & plures aliorum, simulque computata sunt ad XCIII. millia. Pestilentia viguit. Item Magister *Albertus* (t) *Engelsiat*, Doctor S. Theologiæ Pragensis, obtulit tractatum, quem nominavit *Aureum Speculum*, Dialogum, ubi *Petrus* interrogat & *Paulus* respondet, & concludit: *Totam Romanam Curiam esse in statu damnationis*. Ibi & reprobatur communis Juristarum distinctio, scilicet: *Quod aliqua Simonia, quia prohibita; alia prohibita, quia Simonia: & dicit, quod illa damnanda distinctio catervatim transmittit ad infernum*. Similis tractatus contra curiam Romanam incipit: *Moses* &c. Item: *Henricus* nobilis Dominus (u) in *Homborch* obiit sine liberis, relinquens Dominium terræ suæ Illustribus Principibus Ducibus in *Brunsvig* & *Lünenborch*.

**SIGISMUNDUS**, undecim Regnorum Rex, Ungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Pannoniæ, Avariæ, (x) Raviæ, Bohemiæ, Galiciæ, Bulgaricæ, Cumanicæ & Romanorum, filius *Karoli IV.* & frater *Wenselai*, Imperatorum præcedentium, imperat. *Ruperto* enim mortuo, & Marchione *Moraviæ* nominato, sed non consentiente, adhuc fratre suo *Wenzelao* vivente, Archiepiscopus *Treverensis*, *Lodovicus* Dux *Heydelbergensis*; & *Burggravius* *Nurenborgensis*, tunc *Procurator* *Brandenborgensis*, ipsum elegerunt, anno regni sui Ungariæ XXI. Idem *Sigismundus* dicitur triplex Dux: *Vntislaviae*, *Luzatiæ* & *Svidnicensis*. Item duplex erat Marchio: *Moraviæ* & *Brandenborgensis*. Archiepiscopus autem *Coloniensis* & *Maguntinus* elegerunt *Ioachim* Marchionem *Moraviæ*, qui statim eodem anno defunctus est: sicque & isti Archiepiscopi in dictum *Sigismundum* consenserunt. Cujus uxor erat *Maria*, filia *Lodovici* Regis *Ungariæ*; cuius mater *Elisabeth* ab *Ungariis* jugulata, suspensa est de fenestra sui castri, eo quod voluit dictam filiam, *Sigismundo* desponsatam, tradere *Karolo de Pace* in uxorem. *Ista* etiam *Elisabeth* misit prius *Urbano VI.* cum aliis clenodiis infulam pretiosam, valoris XXII. millium florenorum. T. N. *Wilhelmus* *Paderbornensis* electus, cum suis captivavit (y) *Up der Delbruge* armatos CCCLX. & inermes LX. Equi victorum computati sunt ad DCCC. quamvis non tot inter spolia dividendum pervenerint. *Fredericus* etiam Archiepiscopus *Coloniensis*, & *Adolfus* Comes de *Clivis*, valido exercitu terram illam *Delbrüge* non in propriis personis intraverunt, & suos perdidit. Eclipsis lunæ; coruscatio cum tonitru magno. In *Albia* circa *Meydeborch* submersi sunt XX. homines, dicti de (z) *Hense*. Circa (a) *Wilsnac* tres naves peregrinorum perierunt, coruscatione cum tonitru percussæ. Castrum *Hariesborch* ab *Episcopis* *Magdeburgensi* & *Halberstaden* & Duce *Brunsvig* & civibus *Goslaricæ* capitur. Verum non diu retinuerunt, sed amicabiliter restituerunt illis de *Schwichelte*.

**JOHANNES XXIII.** prius dictus *Balthasar de Coxa*, assumptus in Papam in concilio *Pisano*, intravit *Constantiam* anno Domini MCCCCXIV. indictione septima, die XXIX. mensis *Octobris*. Anno sequenti, die prima mensis *Martii*, juravit cedere papatui, sed occultè recessit à loco. Propter quod idem *Balthasar* degradatus est in Concilio *Constantiensi*, per omnes mundi nationes; & Imperatori tanquam *Advocato* *Ecclesiæ* præsentatus, detentus est à *Lodovico* *Palatino* *Rheni* in castro *Manbeym*, quasi tribus annis; & post per Papam *Martinum* quintum, ob spem pecuniæ, quam dicebatur (scilicet unum milionem & septingenta millia florenorum) innumerabilem habere, liberatus à carceribus, solutus tamen prius XXXVI. millibus florenis *Lodovico* pro expensis. Restitutus in *Cardinalatum*, sequenti anno decessit, pecunia inventa: *Florentiæ* sepultus. *Ladislaus* Rex *Siciliæ* Romam vastavit consensu & ordinatione, ut dicebatur, dicti *Iobannis* *Papæ*; quod tamen in caput suum versum est. Nam Româ fugatus, plurimos de *curtis* amisit, thesauro & *Sanctorum* reliquiis spoliatus. Idem *Ladislaus* obiit anno sequenti, videlicet Domini MCCCCXIV. Dux *Otto* cepit den *Brunckenberg*. Hoc anno obiit *Fridericus* Archiepiscopus *Coloniensis*. Tunc quidam *Canonicorum* postularunt *Wilhelmum*, electum *Paderbornensis* *Ecclesiæ*; alii *Tiderum* de *Morse* *Bunensem* *Præpositum*. Concilium *Constantiæ*, *Provinciæ* *Maguntinæ*, civitatis *Imperialis* cœpit; & tribus annis & VI. mensibus duravit, in omni rerum copia, libertate nimia ac securitate maxima. Ibi fuerunt omnium Regum, Principum & Prælatorum *Christianitatis*, *Universitatum* & *Ordinum*, *Ambasiatores* *solemnes*; vel *Principes* & *Prælati* in propriis personis. *Fredericus* *Marchio* *Misnensis* inter alios nobiles & potentes intravit *Constantiam* cum 500. equis faleratis, habens in comitatu circa X. Comites. Erant omnes, domini cum servis, auro vel argento, aut armis valde venusti. *Græci* etiam cum *Turcis* habebant ibi suam *ambasiatam*. Ibi videbantur plus quam L. religionum diversitates. Versus:

*Barbaricus asinus vulpem capit Italicorum,*

ibi.

(s) mortis cuius Cr. (t) Engelschale, S. Theologiæ Professor Pragensis, composuit tractatum, Cruc. (u) de Cruc. (x) Raccæ G. forte Raccæ. (y) ut Cr. (z) Al. Gense. (a) Villenac. Cr.



ibidem. Ibi Rex *Sigismundus* Burggravius Nürenbergensē; constituit Marchionem Brandenburgensē & Electorem Imperii, usque in tertiam generationem. Ipse etiam fecit Comitem (b) *Zabodie* Ducem esse sui domini, quod (c) tunc adhuc erat patrimonium Imperii. In hoc Concilio comburebantur duæ Hæresiarchæ *Hus* & *Hieronymus* Bohemi, renovantes, & in multis studiis, ut *Parisiis*, *Anglia* & *Praga*, dogmatifantes errores *Wicleff*, olim in *Anglia* condemnati. Ex quo tantus error invaluit, quod totum regnum Bohemiæ cum locis vicinis, pro dolor! infecit: nec hodie potest extirpari. Eodem anno (d) in *Sangerbusen*, multi hæretici deprehensi per *M. Henricum Sconesfelt* S. Theol. Professore & Inquisitorem hæreticæ pravitate, sunt igne combusti. *Fredericus* Dux Austriæ, quia *Iohannem* Papam prædictum, contra edictum Concilii Constantiensis eduxit à Constantia, perdidit magnam partem terræ suæ, *Switenfibus* auctoritate Regis & Concilii eam invadentibus. Ipse tamen *Fredericus* Concilio & Regi reconciliatus, restitutus est, tantum certis civibus (e) & castris à *Switenfibus* retentis. Hiems fuit aspera, & ventus frigidus læsit homines in pectoralibus, & facta est tussis hominum generalis, cum raucedine nimia, præcipue in Quadragesima, ut etiam in magnis Collegiis nemo cantare valeret. In conventu Concilii Constantiensis computati fuerunt personæ nobiliores isti: Papa *Iohannes* XXIII. venit cum 23. equis. Quatuor Patriarchæ cum 105. XXIII. Cardinales cum 2200. Duo Patriarchæ Græcorum cum 44. XIX. Archiepiscopi cum 1480. CXII. Episcopi cum 2650. XCII. Abbates cum 800. Auditores Rotæ XVI. cum 152. Secretarii Papæ XII. cum 60. Notarii Papæ CXLII. cum 426. Scriptores primarii XLVII. cum 90. Procuratores Papæ & Cardinalium CCXCVI, quilibet ad minus cum 2. equis, Scriptores aliarum nationum 670. Doctores & Magistri Universitatis Parisiensis XX. cum 78. Universitatis Coloniensis XXV. cum 134. Viennensis XXIII. cum 110. Aliarum Universitatum Doctores & Magistri CXC. cum 680. Ambasiatores Principum & civitatum habuerunt equos 2403. Ii duraverunt per concilium. Aliorum continuo accedentium & recedentium non erat numerus. Anno MCCCXIII. *Hermannus* Comes in *Everstein*, ultimus illius nobilis profapie, obiit sine prole; relinquens Comitatum illum Illustribus Principibus, Ducibus in *Brunswick* & *Lünenborch*. Item de isto *Iohanne* XXIII. est hoc Epitaphium:

*Qui modo summus enim gaudens de nomine Præsul,*  
*Tristis & abjectus nunc mea fata gemo.*  
*Excelsus solio nuper versabar in alto,*  
*Cunctaque gens pedibus oscula prona dabat.*  
*Nunc ego penarum fundo devolvor in imo,*  
*Et me deformem quemque videre piget.*  
*Omnibus ex terris aurum mihi sponte ferebant:*  
*Sed nec gaza juvat, nec quis amicus adest.*  
*Cedat in exemplum cunctis, quos gloria tollit,*  
*Vertice de summo quando ego Papa cado.*

*Friderick de Driborg*, provisor Episcopatus Paderbornensis, cepit LXX. armatos. Grando prægrandis die III. mensis Julii multa vastavit. *Wilhelmus* Electus Paderbornensis, (postquam diu litigavit cum Archiepiscopo Coloniensi *Tiderico de Morfe*, Præposito Bunnensi, super Episcopatu Paderbornensi, duxit uxorem *Albeid*, filiam Comitis de Tekenborg, ac filiam sororis *Tiderici* prædicti, Episcopatu Paderbornensi ei relicto: quem & tenet in Commendam, cum Archiepiscopatu Coloniensi. *Bernhardus* Domicellus de Lippia obiit; ut & *Henricus*, Dux Brunsvicensis & Lunenburgensis.) Rex Angliæ cum navibus MD. & armatorum LXX. millibus, mare versus regnum *Francia*, transfretavit: contra quem Rex Franciæ bellum instauravit, & commisso prælio Rex Angliæ triumphat. Ubi de parte Regis Franciæ ceciderunt Dux Brabantæ, Dux Barenfis, Marchio Barenfis, & alii multi potentes cum suis. Rex autem Angliæ perseveravit ibidem manu potenti, donec (f) regnum Franciæ subegit. Cosmodrom. Anno Domini 1417. Abbates provinciæ Moguntinensis & Diocesis Bambergensis, Ordinis S. Benedicti, existentes in Concilio Constantiensi, perpendentes, quantum eorum nunc religio, in ordinis & totius Ecclesiæ scandalum, à regulari sua observantia indecenter devia- ret: concordaverunt, quod omnia & singula monasteria dicti Ordinis, per præfatam provinciæ constituta, regulam S. Benedicti per omnia servare deberent; præcipue tria substantialia monachatus. Item in refectorio simul reficerentur: carnibus non nisi infirmi pascerentur, silentium in locis debitis servarent, cellas in ostiis fenestras haberent, nec lectis de plumis, neque camisis lineis uterentur, & quod nullas mulieres septa monasterii intrare permitterent, sub pœnis, &c. Qualis autem fructus subsécutus sit, Deo cooperante, hodie cernitur. (Dicitur in Regula Sancti Benedicti: tunc veri monachi sunt, si de laboribus

(b) Sabaudiz Cr.  
 forte, civitatibus,

(c) cuius erat advocatus, cum foret Imperii. Cr.  
 (f) partem regni G.

(d) prope Northusen Cruc.

(e)



bus manuum suarum vivunt, sicut patres nostri fecerunt & Apostoli. Ad hoc autem, puto, quod eorum reformatio aliquando se extendet in certis locis.) (In Concilio Constantiensi *Cathedra de Prucia*, inclusa prope Basileam in loco, dicto *Bika* diœcesis Constantiensis, misit Imperatori Sigismundo schedulam ita scriptam: die 21. à presenti die recedet occultè *Johannes* Papa XXII. Imperator legit & tentavit, & sic invenit. Hæc Prophetissa obiit anno Domini 1422. *Johannes de Pinguia*, Ordinis S. Johannis Hierosolymitani, Doctor & Prophetæ, per Doctores à Johanne (\*) XXII. examinatus fuit & approbatus.)

MARTINUS V. prius dictus *Otto de Columnis*, Cardinalis, electus est in Papam XI. die Novembris, scilicet die S. Martini, in provincia S. Martini, (quia Moguntina) & ob hoc Martinus nominatus. Tunc quidam quasi prophetice clamabat: LaVs eIVs In eCClesia SanCtoRVM. Combuta enim literas numeri significativas, & habebis 1418. (g) Iste Martinus Papa, approbante concilio, dedit multas magnas gratias. Primo *gratiam Jubilei* semel in vita & semel in morte omnibus, qui propter bonum concilii illuc venerant aut interfuerant, dum modo sextam feriam per vitam suam jejunent, vel saltem consilio confessoris in aliud opus pietatis immutent. Item dedit auctoritatem eligendi confessorem cuilibet Christiano, qui posset eum semel absolvere ab omni simonia, & irregularitate ex hac contracta, etiam in beneficiis simoniacè acquisitis, si causa subesset dispensandi & retinendi. Item dedit gratiam pro graduatis talem, ut in omni Collegio per Alemanniam sexta pars beneficiorum sit graduatorum. Item statuit neminem in divinis vitandum, nisi nominatim excommunicatum: ut sic excommunicatio juris tantummodo tangat excommunicatos, & sola excommunicatio, facta per hominem, tangat participantes. Isti (h) tamen duo articuli restricti sunt tantum ad quinquennium. Statutum etiam erat ibidem & juratum, quod Concilium futurum deberet *Papie* celebrari, anno quinto immediate sequenti; & posthoc alibi anno VII, & postea semper de decennio in decennium, ubi Papa cum Concilio vel Concilium, antea per annum intimaret celebrandum. Postquam igitur Dominus *Martinus* fuit coronatus, petebatur per nationes reformatio Ecclesiæ, tam in capite quam in membris, prout in reformatorio per ad hoc electos conceptum fuerat, & per totum Concilium juratum. Sed quia non omnes æque ardentè instabant, Cardinalibus etiam in hoc torpentibus, parum profecerunt. Unde Gallicana natio specialiter Regem Sigismundum adiit, petens ab eo, ut Papam ad reformandum Ecclesiam dignaretur informare. Qui respondit eis: *Dum nos curam natione Germanica & Anglicana, ut reformatio fieret prius, quam electio Papæ, instabamus, vos prius Papam voluistis. Et ecce Papam habetis, quem & nos habemus. Illum adite, quoniam pro nunc non interest nostri, prout intererat sede vacante.* Martinus autem Papa, (i) cum suis recedens de Constantia, intravit *Gebennam*, quam quidam scripserunt *Jehennam*, & satis congruè; quia ignis civitatem quasi consumpsit. Caristia & pestilentia per Rhenum descendens, totam grassabatur per Alemanniam; (quorum nullum erat Constantiæ. Inde venit Florentiam, ubi similia patiebantur curtezani.) *Johannes de Nassawe*, Archiepiscopus Moguntinus, obiit, (qui solvit Papæ pro pallio 300000. florenos, eò quod frater ejus præcedens *Adolphus*, & *Conradus* intermedius, qui tamen brevissimo tempore præfuit, non solvissent. Oportuit ergo *Johannem* omnia expagare. Papa vero contulit ei gratiam Clerum suum sic spoliandi, quod bene amplius rehabebat. Quem *Johannem Conradus Rhingreve* (Comes Armanthiaci) secutus est. Ignis grandis in *Embeke* nocte Sancti Dionysii. Concordia facta est inter clerum & cives Brunsvicensis. Dux Burgundiæ cum multis nobilibus occisus est Parisius ab Anglicis, & secuta est guerra gravissima inter Reges Franciæ & Angliæ, nec hodie sopita, sed utrinque multis milibus occisus. *Wenselau*, olim Rex Romanorum, similiter obiit, cum multis aliis; quia pestilentia magna fuit in Germania, nix magna & nebulæ densissimæ; & secuta est pestilentia tanta, ut in clauistro *Garde* de LXX. monialibus infra duos menses decederunt LII. sorores. In Austria *Memna* civitas quasi periit diluvio nive resoluta. Erat enim nix magna. Monachi S. Albani, Ordinis S. Benedicti, *Magnumia* habitu mutato, facti sunt Canonici seculares. Marchio Brandenburgensis feria IV. post *Judica* (k) cepit DCXVI. equos cum CCC. armatis Ducis Stetinensis & Episcopi Caminensis *Magni*, interfectis etiam CLX. Expeditio magna Principum & vulgi contra Bohemos, quæ parum profecit. (Latrones plures occiduntur, qui peregrinos, Concilium visitantes, spoliaverant vel interfecerant prope Rhenum.) Dux *de Monte*, dum terram Ducis Lothringiæ infestaret, cum tribus spatatus in clauistro monialium, captus & venditus est adversario suo Duci Lothringiæ pro XII. millibus florenis, duodecim personis captivantibus propinatis. Idem Dux dimissa terra, pro qua litigabatur, superadditis (l) XL. millibus florenis liberatus est, & post hoc anno sequente factus est Dominus Juliensis. (Sedata est guerra inter Brunsvicensis & Hildensemenses, triumphantibus *Ottone* & *Wilhelmo* Ducibus, prælio commisso prope *Gronc*.) Dux Saxonie obiit prole, & *Fredericus* Marchio Misnensis statuitur *Dux Saxonie* & *ElectoR Imperii*, à Rege *Sigismundo*; contra quem litigat *Ericus* Dux Saxonie, ab eodem

E e e e e 3

dem

(\*) XXIII. (g) hebetis annum presentem. MSC. G. (h) Plurimi opinantur, hoc solum fuisse per Alemanniam, & V. annis Oruc. (i) quanto citius properat exire manus Almannorum, intrans *Gebennam*. C<sup>r</sup> (k) captivavit 400. armatos Ducis Cr. cepit DCXVI. equos cum tot armatis, G. (l) XXX. millibus Cr.



dem Rege, ut dicitur, in civitate Constantiensi confirmatus ad Ducatum eundem. Dux Ericus Brunsvicensis, alias de Sale, & Eimbekcenses perdiderunt L.X. armatos, cum equis aptis ad bellum, *Wimar* traducti, (m) donec VII. millibus florenis solutis, reversi sunt ad propria. Mutato Concilii loco *Papiensi*, per Concilium Constantiense determinato, celebraverunt Italici Concilium *Senense* sine fructu: ubi statutum est, futurum concilium post IV. annos *Basilea* celebrari, nec tamen celebratum est. Anno Domini 1422. *Gandavis*, t' *Ghynsb*, mulier quædam virum suum, dum secum esset in lecto, dormientem occidit, & in frustra divisum, projecit in aquam: ubi inventum cadaver prodidit ream, quam & flamma combussit. Versus:

*Quadringentesis millenis & duodenis  
Et denis annis Ganda ream cremat hanc.* In Poëtria nova.

Anno 1423. jubileum celebratus est *Roma* secundus de XXXIII. in XXXIII. *Molbusen* quasi promeditate exusta est. *Halverstat* de concilio portiores quatuor decollati sunt à vulgo, aliis Consulibus detentis in vinculis. Propter quod civitas illa, ab aliis civitatibus bannita, tantum infestabatur, quod ultro, de assumtis Consulibus, quatuor tradiderunt interficiendos (Carthusia cepit in *Legnitz* 17. Kal. Augusti ab Illustri Duce *Slesia Lodovico*. Eodem anno fuit incendium horribile in *Legnitz* & in *Goldberg*.) Mortuo *Petro de Luna*, nominato à suis *Benedictus XIII.* succedit ei *Eugenius* quartus. Magnus Dux *Saxonie*, prius Episcopus *Caminienfis* præscriptus, frater *Erici Saxonie Ducis* immediatè præcedentis, & *Otonis* (Scholastici *Hildeshemensis Ecclesie*), qui obiit in bello *Hildensemensi*; factus Episcopus *Hildensemensis*, ad complacentiam *Johannis de Vslar*, duxit exercitum contra *Molbusen*; (n) ut tunc dicebatur, quasi centum equos abducendo, in jejuniis sitiens. *Johannes* autem prædecessor *Magni*, Episcopus *Hildensemensis*, quasi tribus annis bellando contra Duces *Brunsvickenses*, perdidit captivos, IIX. millibus florenorum liberandos; inter quos Comes *de Spegelberch* perdidit *Ozen* & *Grone*, sua castella, pro quibus *Stijrenvolt* dicitur eidem impignoratum. (o) (Duces *Brunsvickenses* triumphaverunt anno 1421. (p) Frater *Fridericus Luderi* Ordinis Minorum, Custodiæ *Halverstadenfis* opidi, *Brunsvici* publicè prædicavit & in scripto reliquit, tempus præfinitum à *Daniele* 45. annorum hoc anno, scilicet 1421. finire. Sed oppositum sentimus. Dixit & tunc Antichristum interfectum esse.) (A Beato *Petro* usque ad *Martinum quintum* fuerunt 25. schismata *Paparam*.)

Domina (q) *Schonetta*, relicta quondam Domini de *Homborg*, stirpis de *Nassaw*, uxor Domini Ducis *Otonis de Bunsvic*, viro relicto, castrum *Grene* cum aliis dotaliis suis, tradidit Episcopo *Hildensemensi*, qui Ecclesiam villæ destruxit; unde guerra surrexit, pauperum desolatrix. Pestilentia magna fuit in urbe *Romana*: ventus ubique validus; unde & naves plurimæ perierunt in stagnis, & arbores cum fructibus exsiccatæ sunt. Hiems remissa. Civitates *Saxonie*, dictæ *Hensfelde*, compulerunt cives *Halberstadenfes*, tradere quatuor de novo eorum consilio: quibus decollatis, guerra sopita est. *Duderstadt* igne CCCXL. domus conflagratæ sunt vigilia omnium Sanctorum, & post, eodem anno, iterum plurimæ perierunt. Similiter *Gbeismaria* circa festum *Palmarum*. Eclipsis solis & lunæ in mense *Novembri*, fuitque conjunctio Planetarum, quia fere omnes planetæ erant in eodem signo in eclipsis solis; & secuta est hiems remississima & quasi vernalis, usque ad nativitatem Christi, & tunc hiems satis gravis.

*Marchio Misnensis* perdidit ultra quatuor millia armatorum cum multis nobilibus & multis millibus currum, qui clenodia Principum & victualia cum armaturis deferebant. Hi omnes mactabantur ut pecora per *Bohemos*. Duces *Brunsvickenses*, cum populo maximo circumvallantes *Berneborg* Archiepiscopi *Bremensis*; *Frisonibus* cum *Bremensibus* occurrentibus, nil egerunt; sed ad XXX. perditis, pacem cum Episcopo facientes, cum eodemque *Frisiam* poten-

(m) solverunt Eimbekcenses pro suis, in *Vymar* abductis, 700. florenos Marchioni *Thuringiz*. *Cruc.* (n) eis putatus amicus, graviter infensus, quasi C. equos abducendo. G. (o) Hicce *Maderiana* editio subjicit sequentem Epilogum operis, in codice *Finckiano* repertum: Venerabilis *Beda* in Prologo suæ *Chronice* de gestis Anglorum inter cætera dicit: Lectorem suppliciter obsecro, ut, si qua in his, que scripsimus, aliter, quam se veritas habet, posita reperit, non hoc nobis imputet: quia vera lex Historie est, simul ea, qua fama vulgante collegimus, ad instructionem posteritatis literis mandare. Præterea omnes, ad quos hæc Historia pervenerit, suppliciter precor, ut pro meis in-firmitatibus, & mentis & corporis, apud supernam clementiam sæpius intervenire meminerint. Hoc idem et amplius, nos, T. E. hujus collector & scriptor, exoptamus. Et, si juxta quorundam opinionem mundus hęc 1-gionem annorum implebit, quod soli Deo notum est, restabunt paucissimi anni, ut patet juxta numerum majorem, si-dicta, videlicet 6666. Hæc ex Codice *Finckiano*. (p) Quæ hic addimus, leguntur in Codice Manuscripto *Conringiano*. Sed, quæ postea ibidem in MS. sequuntur, hæc nihil ad *Engelhusii Chronicon*; sed, annotante ad marginem ipso *B. Conringio*, sunt desumpta ex *Jornandis* libro de rebus *Gothicis*. (q) Continuatio hæc desumpta est ex Codice Manuscripto *Gerhardiano*. Alias duas continuationes supra exhibuimus numero XII, pag. 84. seqq.



potenter intrantes, multis submersis plurimos amiserunt; ubi & Episcopus Monasteriensis & Bremensis capti sunt.

Civitates Saxoniae quasi LX. unierunt se, pacem procurantes; in cujus executionis signum quosdam armigeros *de Swigelde* persecuti, castrum ceperunt *Widenla*, ipsis occultè fugientibus; ubi & multa repererunt edenda, ultra C. latera lardi & filiginem copiosam.

In prima Continuatione Engelhusiana supra pag. 85. hiatus habetur, quem ex Codice Martini Poloni Hofmanniano hoc modo supplemus.

Pecunia collecta est ubique & à multis civitatibus in *Nuremberg*, directa pro stipendiariis sustentandis. Anno enim prætereunte fuerat exercitus validus nostratium inutiliter in Bohemia circa opidum *Dachaniam* Clausarum nemoris, unde *Egram* descendebatur; à Bohemis nostratibus expulsis aut interfectis.

FINIS.













